



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Valerii Reginaldi Bvrgvndi Seqvani E Societ: Iesv,
Praxis Fori Poenitentialis**

Ad Directionem Confessarii, In Vsv Sacri sui muneris ...

Regnault, Valère

Mogvntiæ, 1617

Libri IX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78322)

nem, debeat tali manifestatione contentus esse pro omnibus peccatis ad illud vsque tempus ab eo commissis: ita vt veliteum manere liberum ab onere per reservationem imposito se presentandi ipsi pro consequenda abolutione ab aliquo illorum.

Si obijcias illam manifestationem non impedire quin peccatum oblitum debeat clauibus subici quoad culpam: de eo enim quando in memoriam venerit, confitendum est: ergo nec quod subici debeat quoad reservationem. Respondetur negando consequentiam: quia vt peccata cenentur quoad culpam sufficienter supposita esse clauibus, debent per peccatoris confessionem manifestari Sacerdoti eadem claues habenti: nec enim aliter Sacramentalis absolutio eis directe applicatur, vt constat ex necessitate confessionis ad eam impendendam. Vt verò cenentur supposita sufficienter quoad reservationem (*etiamsi haec sit cum censura*) sufficienter ita satisfactum esse Superiori à Penitente, vt ille ostendat se contentum esse de eo quoad obligationem, quam habere potest comparendi coram ipso, pro remedio adhibendo peccatis quibus animam habet contaminatam.

Ceterum procedit istud, vt Suarez quoque ibidem num. 17. notat: non tantum quando Superior iurisdictionem ordinariam habens absoluerit, sed etiam quando ab ipso delegatus: cui censetur vices suas commississe ad absolvendū Penitentem eo modo, quod ipsius dispositio & intentio exegerit. Quo fit vt de ordinario, sic & de ipsius delegato concedi possit; quod dum ex obliuione peccatum referuatum non manifestatur, is ita absoluat Penitentem facientem quod in se est, vt ab onere reservationis ipsum liberet sicut Ordinarius ipse liberaret. Neque obstat quod delegatus non possit subdelegare suam iurisdictionem: quoniam reservationem tollere non est iurisdictionem suam alteri committere, sed solummodo auferre impedimentum, quo remoto tale peccatum relinquatur sub communi lege aliorum mortalium: nempe vt ab eo possit ille absolueri, qui communem habere iurisdictionem in propositum Penitentem. Neque etiam refert quod delegatus nihil possit in referuatis sine Sacramentali abolutione: quia non est necesse simpliciter vt ea directe sit à referuatis; nisi facultas restricta esset ea conditione. Nam data simpliciter vt solet in Iubilaeis interpretanda est; iuxta Sacramenti Penitentiae institutionem, requirentem quidem per se loquendo, vt peccatorum omnium confessio vni & eidem fiat: per accidens tamen si per obliuionem aut ob aliquam iustam causam, aliquod omisum sit; permittentem de eo confiteri alteri.

Quod autem idem Suarez in sequenti numero 18. vult documentum propositum non procedere in confessionibus ordinariis, quasi in eis sine vlla cogitatione casum referuatorum, & inferiori confiteatur, & superior det abolutionem: non puto necessariò tenendum in praxi, quae ordinariè habet, vt Peccator si non distinctè, saltem confusè, de reservatione cogitet, eo animo confitens, vt per Sacerdotis abolutionem quantum fieri potest, liberetur ab omni vinculo suorum peccatorum: eademque intentione Confessarius cum illo procedat, vt iudicio est absolutio à censuris, quae solet Sacramentali abolutioni praemittere, non qualitercumque sed quantum potest, & confessus indiget vt indicat forma absoluedi proposita à nobis in praecedenti numero 18. quam à plerisque vsurpari, ipse Suarez non improbat. Deinde tam excommunicatio referuata, quam non referuata impedimentum est abolutionis Sacramentalis. Ergo cum ad tale impedimentum tollendum Confessarius dicit, Absoluo te imprimis à vinculo excommunicationis, in quantum possim & indiges, intendit absolueri non tantum ab excommunicatione non referuata, sed etiam à referuata, si ipse possit & penitens indigeat. Quod verò ille ait, tollere quidem excommunicationem, non tamen illius reservationem, reijcitur: quia reservatio solutionis vinculi, nulla est vinculo ipso sufficienter soluto ab habente plenam potestatem: & in casu proposito soluitur vinculum excommunicationis ab habente, vt supponimus plenam ad id iurisdictionem. Quod si hoc dicitur de reservatione cum excommunicatione, multo magis dici potest de reservatione sine excommunicatione, quae minor est.

Valerij Tom. 1. Pars II.

Quod adhuc ille vrget talem modum tollendi reservationem esse contra huius finem: quia nec peccatum tunc cognoscitur à Superiore, nec pro eo satisfactio imponitur, nec medicina adhibetur quae praecipue intenduntur per reservationem. Reijci pariter potest, quoniam eadem ratione probaretur, nec tolli reservationem peccati oblitum, quando fit confessio & datur abolutio legitime. Nam nec tunc à Superiore tale peccatum cognoscitur, nec pro eo imponitur satisfactio, aut adhibetur medicina.

Quintum documentum est; probabile esse, id quod antea dictum est de peccatis referuatis in confessione expressis, dici posse de oblitis: nimirum libera manere à reservatione in eo qui bona fide confitens absolutus est Sacramentaliter virtute Iubilaei à Summo Pontifice concessi, cum facultate absoluedi ab omnibus casibus referuatis: quantumuis postea mutata voluntate, absolutus negligat cetera facere quae requiruntur ad lucrandam indulgentiam quae conceditur. Hoc tractans Suarez in sequent. num. 23. & 24. ipsum fundat in eo, quod supposito tali privilegio à Papa concessio ad obtinendam relaxationem reservationis per Sacramentalem abolutionem, satisfiat eiusdem voluntati quidquid postea sequatur: dum modo praecesserit confessio, qualem absolutio ipsa requirit vt valida sit. Nam si in valida sit, non modo obliuorum, sed nec expressorum in confessione, reservatio tollitur: quia non erit satisfactum voluntati Superioris ad id exigentis confessionem, & abolutionem, non aliam quam validam, vt nemo negauerit.

Postremum documentum est, quod postremo tractat Suarez consequenter à numer. 25. vsque ad finem sectionis: quando fuerunt plures eiusdem peccati reservationes, omnes tolli, cum directe per abolutionem Sacramentalem peccatum ipsum remittitur: sic enim remissum, non est amplius materia necessaria confessionis: vnde fit vt pro eo non sit ad Superiorem denuo recurrendum. Cum verò indirectè tantum remittitur, vt lolet peccatum oblitum: si diuersae sint illius reservationes ab eadem potestate praefectae: vt cum vnus Episcopus per suum statutum referuat aliquod peccatum, & successor eiusdem facit per aliud statutum: quia tales in re, sunt potius vna reservatio repetita: quam plures, manantque ab eadem potestate, simul tolluntur dum praeditus eiusmodi potestate absoluit. Si verò sint à diuersis potestatibus subornatis; vt quando Papa referuat peccatum iam referuatum Episcopo: & potestas ad absoluedum habeatur tantum ab Episcopo, ea non est sufficiens: Papali reservatione maiorem potestatem requirente. Sin habeatur à Papa potestas ad absoluedum à casibus sibi referuatis, sufficiens est ad tollendam cum papali episcopalem reservationem iuxta illud quod in praecedenti numero 55. ostensum est; habentem à Summo Pontifice licentiam absoluedi ab omnibus casibus sibi referuatis, habere simul absoluedi à casibus referuatis Episcopo.

Adde his: quando reservatio est cum excommunicatione, vt ea tollatur, tollendam esse excommunicationem: quae si non sit vna, sed plures; ad tollendam reservationem opus est potestate absoluedi ab omnibus, quia vna perseverante, perseverat reservatio impediens Sacramentalem abolutionem: cum inter excommunicationes non sit ea connexio, quae inter peccata mortalia, vt ad vnus relaxationem, sequatur aliarum relaxatio.

L A V S D E O.

LIBER QVINTVS, ET TOTIVS OPERIS NONVS, DE ABSOLVTIONE AB EXCOMMUNICATIONE, ABSOLVTIONE Sacramentali praemittenda.

P R A E F A T I O.

Ante tradita explanationi abolutionis Sacramentalis à peccatis, adiungenda esse explanationem absolut. ab ex-

communicatione: satis patet ex recepto communicare v. su utramque coniungendi: & ex eo, quod excommunicatione quelibet priuando participatione Sacramentorum; iuxta cap. Si celeb. De Clerico excommunicato ministrante, irretitum eadem sic reddat incapax absolutionis Sacramentalis, ut hanc nec licite nec valide accipere possit quādo grauis necessitas aut ignorantia eum non excusat, prout ante expositum est satis plene in fine libri sexti. Sic autem procedemus ut primo loco dicamus de eo qui absolueri potest ab excommunicatione à iure: seu lata cum intentione faciendi statutum. Secundo, de eo qui potest absolueri à lata ab homine, seu lata absque intentione faciendi statutum. Tertio, de eo qui absoluitur. Quarto, de iis quae obseruari debent ad rite impendendam absolutionem ipsam ab excommunicatione, quando constat incursum esse. Quinto, de iis quae obseruari debent, cum dubitatur an sit incursum. Atque illis addamus quae de excommunicatione Confessarium scire conuenit ad impendendam debitè eandem absolutionem: qualia sunt ea ex quibus pendet excommunicationis validitas, & causa excusantes ab excommunicatione ipsa; & reservatio in Bulla Cœna Domini. Porro de absolutione à suspensione, & interdicto properea non est necesse in presentiarum dicere, quod sine ea Sacramentalis absolutio possit & licita & valida esse, quandoquidem suspensio non excludit ab ea, ut bene docet Caietan. in Summula verbo Suspensionis: neque interdictum obstat, quin eadem impendi possit parato ad faciendum id quod tenetur. & potest: prout habetur ex c. Alma mater, §. Quia verò, De sent. excommun. in 6.

CAPVT I.

De eo qui potest absolueri ab excommunicatione lata à iure.

SVMMARIVM.

- 1 Ab excommunicatione à iure reservata, nullus absolueri potest, nisi is cui facta est reservatio, aut Superior ipsius, aut alius de ipsorum commissione.
- 2 Commissio facta Episcopo à iure ad absolendum à casibus reservatis Papæ.
- 3 Qui habentes ex commissione facultatem absoluedi à casibus reservatis, possint eam alteri committere.
- 4 Commissio generalis ad absolendum à casibus reservatis, non includit eum casum quem is qui committit negaturus esset in specie.
- 5 Nec item talis commissio inuat pro foro externo.
- 6 Virtute eiusdem commissionis, data absolutio ab omnibus peccatis & censuris, tollit reservationem oblatorum in confessione.
- 7 Commissio generalissima pro articulo mortis.
- 8 Per eam absolui potest ab excommunicatione, is etiam qui non est capax absolutionis Sacramentalis.
- 9 Laico aut cuius alteri non Sacerdoti non est commissæ facultas absoluedi ab excommunicatione in articulo mortis.
- 10 Nomine articuli mortis in hac re comprehenditur probabile mortis imminens periculum.
- 11 Obligatio presentandi se Superiori, imposita ei, quem ob mortis probabile periculum, vel aliam urgentem necessitatem inferior absoluit ab excommunicatione reservata.
- 12 Qui absolueri possint ab excommunicatione à iure non reservata.
- 13 Difficultas de Parocho, & simplici Sacerdote habente licentiam audiendi confessiones.
- 14 Cur pars affirmans tenenda videatur.
- 15 Potestas facta in c. Nuper De sent. excomm. non est tantum ad absoluedum à minori excommunicatione.
- 16 Eadem ratione censenda est facta Parocho, quæ ceteris habentibus curam animarum, Episcopo inferioribus.
- 17 Talem potestatem Parochus circa suum subditum exercere potest,

etiam extra Parochiam, siue excommunicatio sit à iure communi, siue à particulari.

18 Quomodo Parochus habeat potestatem ad absoluedum ab excommunicatione, cum non habeat ad excommunicandum.

19 Habet pro foro tantum interno.

20 Eadem cum Parochus potestate gaudent Sacerdotes simplices qui delegantur ad audiendas confessiones.

21 Notanda pro solutione eorum quæ in contrarium obiciuntur.

22 Prohibitio in hac re Religiosis facta sub excommunicatione reservata.

Excommunicationum à iure quædam sunt reservatæ, hoc est, quarum absolutionem iuris conditor sibi aut alteri reservauit: & quædam non reservatæ, hoc est, quarum absolutionem conditor iuris nec sibi nec alteri reservauit.

De eo qui potest absolueri ab excommunicatione reservata à iure.

SECTIO I.

A Reservata à iure nemo potest absolueri, ut omnes consentiunt teste Nauarr. in Euchir. cap. 27. num. 39. in fine, nisi ille cui facta est reservatio: nimirum si Papæ, solus Papæ; si Episcopo, Episcopus tantum; aut etiam Metropolitanus ipsius; cum appellatum fuerit ad ipsum ex cap. Venerabilibus §. 1. De sentent. excommunic. in sexto: non autem inferiores, nisi gratiâ speciali seu gratiosâ, ut loquitur, commissio id fuerit illis concessum, siue ab homine, siue à iure. Atque commissio factæ ab homine, frequens est in Ecclesia vñs pro priuilegio Summi Pontificis, & facultatibus aliorum Ordinariorum: qui ut possunt iuxta cap. Vltimum, De officio Ordinarij; sic & solent potestatem absoluedi ab excommunicationibus sibi reservatis, concedere extraordinariâ: quantum ad maiorem Dei gloriam, maiusque animarum luctum conferre iudicauerint, eam ampliando aut restringendo. Ad quam rem spectantiam tradita sunt in proximè precedenti lib. c. 4. & 5.

Ex commissione autem à iure facta in Concil. Tridentin. sess. 24. De reformat. cap. 6. potest Episcopus absolueri ab omnibus excommunicationibus Sedi Apostolicæ reservatis, cum fuerint occultæ, nec ad forum externum deductæ, quoscumque sibi subditos in sua diocesi, per seipsum aut Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientie gratiâ absolueri, impositâ salutarî penitentia. Id quod procedere etiam quoad casus bullæ Cœna Domini, prout aduertit Nauarr. in libr. 5. Confessorum. titul. de sentent. excommunic. consilio 43. numer. tertio patet: quia nulla alioqui fuisset ratio cur Concilium specialem mentionem faceret hæreseos, quoad eam restringens illam suam facultatem: quæ si non extenderetur ad casus reservatos in bulla Cœna Domini, nihil spectaret ad hæresim: quæ primò omnium loco in eadem bulla reservatur. Neque obstat, quod in illa ipsa (§. Cæterum) statuitur, ut nullus præter Summum Pontificem à talibus sententiis extra mortis articulum absolueri possit, prætextu quarumcumque facultatum & indultorum per cuiusvis Concilij decreta concessorum. Nam id non habet locum in Concil. Tridentin. quia ut à Vivaldo notat in Candel. aureo capit. De absolutione num. 13. praxis habet ut quando Papa in lege alicuius gratiâ Concilij (maximè cum ipsum adhuc recensens est, ut Concil. Trident.) dispensare vult, vel ei derogare id specialiter exprimat. Adhæc quantumcumque excommunicatio reservata Papæ notoria fuerit: si illa irretitus habeat legitimum impedimentum ad eundem illum personaliter: ut cum quis puer est, aut valde senex, aut foemina, aut infirmus, aut alio simili modo iuste impeditus: eius quoque absolutio iure ipso censetur commissa Episcopo, prout iam à nobis traditum est lib. 1. num. 135. & annotat Henriquez alius in margine suo more citatis lib. 6. cap. 10. §. 1. & 4. item lib. decimo tertio cap. 27. §. tertio Addens quod si nec Episcopus adiri possit, videri quod à Parocho solui queat imposito onere se illi presentandi, cum primum sublatum fuerit impedimentum. Sed iuxta dicta à nobis in fine citati num. 135. id procedere non potest extra casum grauis necessitatis confitendi in quo censetur ab Ecclesia concessa esse Inferiori facultas absoluedi habentem eam reservatum: ut censetur tum in articulo mortis, prout adhuc in eadem prima parte expositum est in præced. num. 58. & aliquot

sequen. tum etiam quouis alio casu in quò necessitas confi-
tendi adiunctam habuerit iustam causam truncandi confes-
sionem: extra quem, ob defectum integritatis ad sacramentalem
absolutionem necessitate ex Christi institutione, non potest quis Sa-
cramenti Pœnitentiæ administratione iuari à suo pastore.
Vide dicta in numero 80. libri proxime præcedentis.

Observationes de generali commissione ad absolendum ab excommu-
nicatione referuata.

SECTIO II.

7. **O**bserua autem primo, quod attigit Henriquez libro
decimotercio cap. 27. §. quinto, aliquos eorum qui ex
commissione absolueri possunt ab excommunicatione re-
feruata, posse eandem absolutionem rursus alteri commit-
tere: vt Legatum Papæ tanquam Principis summi. Item ha-
bentem ab eod. Summo Principe priuilegium perpetuum,
quo talis commissio annexa sit dignitati suæ ac officio quo
ipse fungitur iuxta illud quod in cap. fin. De Officio Ordin.
dicitur: eos qui possunt ex officio absolueri à certis casibus,
posse absolutionem eiusmodi committere cum videant ex-
pedire. Itemque eum qui delegatus est ad vniuersitatem cau-
sari, cum vi coactiua, & iurisdictione in vtroque foro: vt Vi-
carium generalem Episcopii; aliumve constitutum ad geren-
dum vices Prælati absentis, cuius dignitati & officio prædicta
commissio est annexa priuilegio perpetuo.

8. **O**bserua secundo, quod tum alij quorum meminit
Henriquez ibidem in fine: tum etiam Nauar. & Couar. ille
ad princip. cap. De pœnit. dist. 6. num. 61. & hic ad cap. Al-
ma mater, parte prioris §. 11. num. 15. annotant generalem cõ-
missionem absoluedi ab excommunicatione, minime cõ-
prehendere illam excommunicationem cuius absolutionem
delegans creditur nequaquam in specie commississe iuxta 81.
regulam iuris in 6. Vnde Couar. ipse colligit quod iam tradi-
ditus in proxime præced. lib. cap. 5. in initio: virtute bullarum
& aliarum Apostolicarum litterarum quibus conceditur
absolutio ab omnibus excommunicationibus, etiam referu-
atis in Bulla Cœnæ Domini, non posse quem absolui ab ex-
communicatione quam incurrit ob heresim. Colligi quo-
que posse videtur, quod virtute eiusmodi commissionis ab-
solui nequeant illi qui sunt nominatim excommunicati à suo
Superiore. Nam quia id cederet in præiudicium & damnum
eiusdem Superioris, qui impediretur obtinere suorum sub-
ditorum obedientiam, auctoritatemque suam retinere; pro-
ut conatur per talem censuram: non est præsumendus Summus
Pontifex talem absolutionem in se eccle committere: præfer-
serim cum priuilegium semper intelligatur concessum sine
lesione alterius; ex cap. Pastoralis, de priuileg. Vbi glossa, ver-
bo Contineatur id expressit: Neque generalis commissio deroge-
at iurisdictioni cuiusquam; ex cap. Licet, De offic. Ordin.
nisi id in illa sit expressum, ex cit. c. Pastoralis.

9. **O**bserua tertio, Pœnitentem absolutum à Confessario
virtute eiusmodi commissionis generalis nihil iuari in foro
exteriori vt Couar. in seq. num. 16. probat: tum aliunde,
tum ex eo maxime, quod stylius vetustissimus curiæ Romanæ
habet Summum Pontificem non consueuisse per lubeum
aut Bullas, Confessarijs Sacerdotibus committere ea quæ
forum contentiosum concernunt: sed tantum quæ ad fo-
rum pœnitentiale, conscientiaque purgationem spectant.
Atque hinc est, quod iuxta glossam ad cap. De his sub finem,
De accusationibus: ille qui virtute talium bullarum absolu-
tus est, etiam peractâ pœnitentiâ imposi à Confessario,
possit in foro exteriori accusari; perinde ac ante absolutionem;
quoniam examinatio quæ fit in iudicio conscientia, vt
Couar. quoque arguuntur, præcipue fit ad satisfactionem di-
uinæ offensa: & ideo præter illam debet, alia esse in foro ex-
teriori ad satisfactionem Reipub. Quod tamen intellige, nisi
in ipsis litteris Apostolicis expressum sit, vt nonnuquam so-
let esse eadem Couar. in ibid. vers. hac deinde, absolutionem à
Confessario delegato datam in foro exteriori prodesse, &
immunem efficere.

10. **O**bserua quarto, Si quis consteatur Sacerdoti à quo vir-
tute eiusmodi commissionis generalis potuit ab omnibus
peccatis & censuris absolui, & inter confitendum per obli-
uionem omittat aliquod peccatum propter quod exco-
municatus est excommunicatione referuata Superiori, ipsum

manere ab hac liberum, si ab eodem Sacerdote, vt solet, gene-
raliter absolutus sit ab omni peccato & vinculo excommuni-
cationis: ita vt id ipsum peccatum recurrans in memoriam
sufficiens illud subijciat clauibus de eo confitendo Sacer-
dote proprio, etiam non habenti potestatem absoluedi à re-
seruatis. Ita docent alij citatis Nauar. & Couar. ille in Enchir.
cap. 26. num. 13. & hic in eod. §. 11. num. 12. Vide quæ dicta
sunt in proxime præced. libri cap. septimo.

Observationes peculiæres de eadem commissione; factæ pro
articulo mortis.

SECTIO III.

7. **O**bserua quinto; omniura amplissimam esse generalem
commissionem absoluedi ab excommunicationibus
referuatis concessam in articulo mortis. Nam ex Conci. l. Tri-
dent. sess. 14. cap. 7. ea est absoluedi à quavis excommuni-
catione, à quocumque & quomodo cumque lata & quantum-
cumque referuata, cuius Sacerdoti concessa: ita vt eam ab-
solutionem impendere de iure in eo articulo possit, simplex
etiam Sacerdos. Ad cuius rei intelligentiam, vide notata in
in præcedenti lib. 1. nu. 9. & aliquot sequentibus; ad no-
strum institutum sufficientia.

8. **O**bserua sexto, quod etsi quilibet Sacerdos (prout in cit. §.
11. num. 9. sub finem Couar. ex Palud. notat) ideo possit in articulo
mortis absolueri ab omni excommunicatione, quod eo
tempore sacramentaliter à peccatis absolueri sit illi concessum:
nec sacramentalis absolutio aliter ministrari valeat,
quam præmissa absolutio: eo tamen non obstante fieri
posse, vt is qui inuenitur non dare signa contritionis suffi-
cientia ad obtinendam sacramentalem absolutionem, va-
leat ab excommunicatione absolui; prout traditum est à Na-
uar. in Enchir. cap. 26. num. 27. & cap. 27. num. 271. in regu-
la 6. Confessariorum. Et patet per illud, quod Concilium
Tridentin. loco citato habet omnem Sacerdotem, quoslibet
pœnitentes à quibuslibet non modo peccatis sed etiam cen-
suris absolueri posse constetque incapacem absolutionis
sacramentalis, posse valde à censuris absolui; iuxta cap. A
nobis 2. De senten. excommunicationis.

9. **O**bserua septimo, difficultatem esse inter authores (quos
in vtramque partem commemorat Georg. Sayrus lib. 2. The-
sauri casuum conscientia cap. 21. num. 3.) num in mortis articulo
censeatur laico concessa facultas, vt deficiente alio qui ab-
soluat ipse possit valide ab excommunicatione absolueri.
Partem autem negantem magis receptam esse (quod Hen-
riquez notat lib. 13. cap. 27. num. 4. Idque merito: quia talis ab-
solutio actus est iurisdictionis Ecclesiasticæ, quæ laico con-
uenire non potest nisi forte ex Papæ aut generalis Concilij
delegatione. Delegatum vero esse laico à Papa vel Genera-
li concilio iurisdictionem ad absoluedum ab excommuni-
catione in articulo mortis; nihil constat. Neque in re tanti
momenti sine certo fundamento agendum videretur. Nihil
constat, inquam, quia Concil. Trident. id ipsum tanti mo-
menti indicasset aliquo modo. Non omnes autem simpli-
citer sed specialiter omnes Sacerdotes ab excommunicatione
in articulo mortis absolueri posse idem Concilium
ait.

Accedit quod, vt iam ante attigimus, propterea censeatur
Ecclesia cuiuslibet Sacerdoti in articulo mortis committere
absolutionem à quavis excommunicatione, quod velit tali
tempore liberam esse à quibusvis peccatis absolutionem; ne
Sacramentum Pœnitentiæ, quod Christus in remedium
peccati instituit, cuiquam tunc desit, cum est maxime ne-
cessarium consequenterque voluerit, omnem eum cui pos-
set communicari potestas absoluedi à peccatis, partem
esse potestatis absoluedi ab excommunicatione propter
necessitatem præmittendi huius absolutionem absolutioni
à peccatis, iuxta communem omnium consensum notat
Couar. in eod. numero 9. Iam potestas absoluedi à pec-
catis cum sit Ordinis Sacerdotalis, nullo modo potest La-
ico communicari: ideoque non debet Ecclesia censeri, nisi id
aliunde constet, potestatem absoluedi ab excommunicatione
in articulo mortis committere laico. Adde cum Nauar.
in Enchir. cap. 26. nu. 26. nec alteri non Sacerdoti propter
eamdem rationem.

10. **O**bserua octauo; in hac re quid per articulum mortis in-

telligi debeat, non omnes eodem modo exponere: quid autem sentiendum sit expositum esse in lib. 1. num. 59. Cum qua expositione consentit quod Couar. in cit. §. 11. nu. 8. collegit ex communi doctrina Canonistarum: nimirum quoad rem de qua agimus, periculum verosimile mortis, & articulum mortis æquipollere ita ut ille qui exponitur verosimili mortis periculo, indicetur in articulo mortis constitutus, ad hoc sufficienter, ut à quacumque excommunicatione per quemcumque Sacerdotem absolui possit.

Intellige autem ex Nauarr. in eodem num. 26. si copia desit Superioris: si enim is adiri possit sine moræ periculo, alius non debet (vt ex Innocen. idem in sequent. num. 27. addit) absolueri ab excommunicatione reservata. Quod vero Couar. eam Canonistarum doctrinam monet esse tantum ad vitandam cum moderazione ea, vt tunc demum mortis periculum articulo mortis equipollere, cum eoque confundi censetur, cum prope fuerit ita scilicet: vt mors ipsa verosimili coniectura imminet. Id inquam bonam rationem habet: nempe quod in hac re adeo periculosa, priuilegium non sit remere ampliandum interpretatione: quando quidem sine iurisdictione, ac iurisdictionis vsu, absolutio siue à peccatis, siue à censuris nulla est. Adde quod iuxta communem vsum, non quodlibet mortis periculum, sed quale dictum est reputetur moraliter mortis articulus: iuxta quem vsus consentaneum est intelligi priuilegium de quo agimus: ideoque datum pro articulo mortis, sic accipi, vt non extendatur ad aliud periculum, quam ad illud in quo satis verosimili coniectura mors imminere censetur via prudentis iudicio, cui standum est in tali re.

II. Obserua postremo, ex cap. Eos, De senten. excommunicationis in 6. cum ob periculum mortis, aut aliud quodcumque legitimum impeditur eundem ad eundem Superiorem, cui reservata est absolutio ab excommunicatione, aliquis absolvendus est: debere ei iniungi, etiamsi valeat absolutio, vt cessante tali impedimento, vt v. g. si periculum mortis euaserit quam primum commode poterit se præsentare ei, qui de iure solum absolueri poterat: offerendo se parere ipsius mandatis: siue in suscipienda, quam imposuerit penitentia: siue in satisfaciendo iis, quibus damnatum intulerit. si que, prout ei iniungitur, se non præsentauerit, incursum denuo eandem excommunicationem: perinde ac eum qui absolutus à Sede Apostolica, vel ab ipsius legato, cum onere præsentandi se suo ordinatio ad suscipiendam penitentiam, aut ad satisfaciendum iis quos iniuriã affectis, si tale mandatum exequi contemnat iuxta idem cap. Eos.

Duo autem super hac re mouent Caiet. & Nauarr. ille in verbo Excommunic. cap. 69. & hic in Enchir. cap. 27. nu. 46. Prius est tempus quod significant ea verba (quam primum commode poterit) in foro quidem iudiciali decerni arbitrio Iudicis: in foro autem conscientie testimonio conscientie ipsius: met qui absolutus est, nempe si testetur conscientia sua, quod negligens fuerit, aut contemptor mandati accepti, eo testimonio conuictus, habendus est perinde ac prius, ligatus excommunicatione reservata. Posterius est non teneri præsentare se personaliter, sed sufficere vt ad id idoneos procuratores mittat: tum quia memoratus Canon, nec ad præsentationem personalem obligat, nec quidquam præcipit ad quod agendum, talis præsentatio necessario requiratur.

De eo qui potest absolueri ab excommunicatione non reservata à iure.

SECTIO. IV.

12. **A**b excommunicatione à iure non reservata, seu quam iuris conditor nec sibi, nec alteri reservauit, certum est quod absolueri possit: primum quidem Summus Pontifex, & generale concilium: eiusdem Pontificis legatus in prouincia in qua fungitur legatione. Item Episcopus quilibet in sua diocesi, etiamsi excommunicatio sit confirmata, imò & lata, non tamen reservata, à Summo Pontifice, vt passim tradunt Doctores quos magno numero refert Georgius Sayrus in Theatro casuum conscientie lib. 2. cap. 19. num. 2. Et patet ex cap. Nuper, De senten. excommunic. Vbi eius rei hæc ratio redditur, quod conditor Canonis, & priuatione illius confirmator, absoluteionem ab excommunicatione per ipsum decreta sibi

specialiter non retinens, eo ipso concessisse videatur alius, facultatem relaxandi illam.

Similiter potest Capitulum, seu ille ad quem, vt Vicarium ab eodem Capitulo electum, pertinet Episcopalis iurisdictione de vacante. Id enim perinde potest, ac Episcopus sedens poterat; iuxta cap. vnicum De maiorit. & obediens. in sexto: pro quo idem Sayrus in seq. num. 7. plures citat. Intelligendum est autem procedere, non modo cum Sedes vacat morte Episcopi, aut renuntiatione, aut translatione aut depositione: sed etiam cum eiusdem deentione à paganis aut schismaticis vel hæreticis: iuxta c. Si Episcopus De supplen. neglig. prælat. in 6.

Potest quoque proprius Sacerdos, prout expressum etiam est in citato cap. Nuper: vbi nomine proprii Sacerdotis ex Nauarr. in Enchir. cap. 27. num. 39. & alius quos Sayrus in memorato num. 2. refert, intelligitur quous Prælati Ecclesie regularis aut secularis: siue sit priuilegio Summi Pontificis à iurisdictione Ordinarij exemptus, siue non sit: dummodo habeat iurisdictionem in vtroque foro. Quod vero idem addit de Parocho, imò & de quous simplici Sacerdote, qui potest ex delegatione absolueri à peccatis mortalibus, magam habet difficultatem: de qua in vitramque partem plures ac varios authores in sequenti num. 12. idem Sayrus citat: & ante eum Couar. & Henric. ille ad cap. Alma mater par. 1. §. 12. num. 5. & Henric. in summa lib. 13. cap. 28. §. 5. in marg. lit. Q. & S.

Explicatio difficultatis, An Parochus aut simplex Sacerdos licentiam habens audiendi confessiones sufficientem, possit absolueri ab excommunicatione non reservata à iure.

SECTIO V.

Partis negantis Couarrutias loco memorato, fundamentum ponit in eo, quod excommunicare, & absolueri ab excommunicatione sint actus eiusdem iurisdictionis iuxta illud, quod ex D. Ambrosio relatum De penit. distinct. 1. cap. Verbum, Dominus parius & soluendi esse voluit & ligandi, qui vtrumque pari conditione permittit. Ergo qui soluendi ius non habet, nec ligandi habet. Item illud quod ibidem glossa vltima citat ex iure civili. De regulis iuris. Nemo qui condemnare non potest, absolueri potest. Ex quibus inferre licet, cum nec Parochus ratione sui officij, nec simplex Sacerdos ratione licentia audiendi confessiones excommunicare possit, neque etiam absolueri posse ab excommunicatione. Partem vero affirmantem sequi in praxi (nisi alicubi consuetudo recepta esset in contrarium) nihil prohibere videtur; cum eam Theologi communiter approbent, vt attingunt Couar. & Henric. ille in eodem nu. 5. & hic in cit. litera S, ac Summularij passim non modo recentiores sed etiam antiquiores quorum nonnullos refert Syluester in verbo Absolutio 1. num. 4. Propugnatur autem Suarez tomo 5. ad 3. partem D. Thomæ, disput. 7. sect. 3. à num. 23. & sect. quarta.

Fundamentum vero præcipuum, est sæpius memoratum cap. Nuper: in quo nomen proprii Sacerdotis cui conceditur absolutio ab excommunicatione non reservata, intelligendum esse etiam de parochiali Sacerdote, patet ex eo, quod secundum opinionem communiter receptam teste Couar. non aliunde habeatur quam ex eodem cap. Nuper, quod Parochus possit ab excommunicatione minori absolueri: Et ratio est, quia vt excommunicationem ferre est actus iurisdictionis fori exteriori, sic etiam est ab ead. absolueri: qualem iurisdictionem Parochus nullam habet aliunde annexam suo officio.

Illicite autem et committi tantum iurisdictionem quæ sufficiat ad absoluteionem à minore excommunicatione, ideo dici non potest, quod consequenter dicendum esset quod Episcopus per idem cap. Nuper non posset absolueri à Papali excommunicatione maiore non reservata. Nam licet is habeat iurisdictionem in foro externo, non habet tamen ad soluendum quod Papa ipse ligauerat ex cap. Verbum De penit. dist. 1. sicut nec ad mutandum ipsius præceptum ex cap. Inferior distinct. 21. Ideo ergo absolueri potest, quod id illi commissum sit iure. Iam verò talis commissio, in ipso cap. Nuper, perinde sit Parocho sub nomine proprii Sacerdotis, ac Episcopo: vt satis intelligitur tum ex illa forma

verborum: à suo Episcopo, vel à proprio Sacerdote poterit beneficium absolutionis obtinere. Item etiam ex ratione generali, quæ subiicitur; quadrante similiter in utrumque, sicut: & in utramque excommunicationem: ut maiorem quàm minorem: ea enim est. Quia conditor canonis, eius absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis, relaxandi.

16. Neque dici potest per illos, quibus sit talis commissio, intelligi solos habentes iurisdictionem in foro externo. Nam etiam Parochus non habeat talem ratione sui officij, habere tamen potest ex commissione; ita ut nihil ea ex parte impediatur, quin ad ipsam interpretationem extendatur commissio facta in proposito cap. Nuper: præsertim cum excommunicatio cuius relaxationem committitur, sit pœna quam ius Ecclesiasticum, sicut reatus æterni supplicij pœna est, quam ius diuinum imponit ob aliquod peccatum mortale: merito is qui potestatem habet illud (atque adeo reatum æterni supplicij) tollendi per absolutionem, censetur habere pariter (impositâ competenti pœnitentiâ) tollendi excommunicationem ex eo sequentem & quasi naturam, nisi Superior voluntatem suam aliam declaret, ut solet per reservationem. At verò Parochus in sua Parochia, sicut & quilibet Prælati Episcopo inferior, in suo collegio vel conuentu, iure diuino & ordinario, eo ipso quod habet iurisdictionem in foro pœnitentiâ, à quocumque peccato cuiuscumque generis, quia iure diuino nullum est reservatum, potest absolueret: nisi ab homine, hoc est, à Papa vel ab alio Superiore, ipsum referretur. Quare ubi non impedit peccati vel excommunicationis reservatio, idem Parochus suos subditos non minus quam alius Episcopo inferior, censendus est posse absolueret ab excommunicatione non reservata.

17. Quod procedit etiam si illam extra Parochiam incurrit iuxta sententiam receptam teste Nauarr. in Enchir. cap. 27. num. 39. sub finem. Procedit etiam siue excommunicatio sit à iure communi lata per summum Pontificem, aut Concilium generale: siue à iure particulari, lata per Episcopum, aut Episcopalem Synodum vel Concilium provinciale; ut Doctores communiter intelligere notat Suarez in cit. l. c. 3. num. 20. eo quod Papa in eod. cap. Nuper generaliter verbo canonis utatur dicens: Quia conditor canonis &c. ita ut quicumque canonem, à quocumque conditus, esset, comprehenderit: in quo non facit iniuriam Episcopis, si pro summa sua auctoritate præscribat modum seruandum in ferenda excommunicatione: cum per id non adimat illis potestatem referuandâ.

Procedit adhuc quantumcumque tale ius particulare sit à Papa confirmatum, nisi confirmando absolutionem referuaret: quia confirmari à Papa aliquid statutum non est maioris roboris & momenti, quam ab ipso conditum esse, ut bene Syluester argumentatur, Absolutio 2. num. 4.

18. Ad fundamentum autem sententiæ eorum qui in proposta difficultate partem negantem sequuntur, respondendum est: Parochum non absolueret propria auctoritate ab excommunicatione non reservata: sed ex commissione quæ iuxta propositum cap. Nuper, illi conditor canonis eam decernentis facta est eo ipso, quod eius absolutionem nec sibi nec alteri referuauit. Iaque licet concedamus excommunicare & ab excommunicatione absolueret ad eandem potestatem spectare: tamen quia Parochis ea committitur tantum ad absoluendum, non autem ad excommunicandum, negantes ipsum posse excommunicare, asserimus posse ab excommunicatione absolueret. Quod si aliquando inter casus Episcopo referuatos inueniatur numerata excommunicatio iuris: id accipi debet de reservatione quoad forum externum, prout notat Henriquez in cit. § 5. Pro quo foro, non esse factam commissionem in dicto cap. Nuper, sed tantum pro interno, declarauit consuetudo vtendi eadem.

19. Vnde est, prout loco cit. Nauarr. attingit: quod ea accipienda sit ut procedat tantum quoad forum conscientie: nempe ut possit quidem Parochus absolueret ab ea excommunicatione in foro Pœnitentiâ, non autem in foro contentioso: & absolutus ab ipso, restituitur quidem participationi Sacramentorum & communi præcui Ecclesie; manet tamen obnoxius pœnisi fori contentiosi: quales sunt repelli ab agē-

do: iudicari inhabilis ad beneficium obtinendum: & huiusmodi alia. Cæterum si Episcopus aliquas excommunicationes nulli à iuris conditor referuatas sibi referuaret, non posset Parochus ab his ne quidem in foro Pœnitentiâ suos subditos absolueret: ut expressit Angelus Absolutio 1. num. 2. Et ratio esse potest, quod tale privilegium sit favor factus ipsis quoque Episcopis qui proinde eis prædicare non debent.

20. Potro quod de Parochis dicimus similiter intelligendum est de simplici Sacerdote, qui licentiam audiendi confessiones habet, siue ab eodem Parochi siue à quouis alio Ordinario, qui potest iuxta cap. finale. De officio ordin. eam dare. Ita sentiunt es authores refert Henricus, loco citato in marg. l. Y, Probatur verò quia simplex Sacerdos per huiusmodi licentiam acquirit subditos, quos in foro pœnitentiâ non secus ac Parochus potest à mortalibus absolueret. Quæ igitur ratione Canonis conditor nulli referuando absolutionem ab excommunicatione, præsumitur illam Parochi committeret, præsumetur etiam committeret eiusmodi Sacerdoti. Confirmatur: quia appellatio proprii Sacerdotis extenditur ad omnem illum qui iurisdictionem habet absolueret à peccatis mortalibus: cum quatenus munus eiusmodi exerceat, Vicem subeat proprii Sacerdotis. Quo fit ut absolutio quæ ipso iure committitur proprio Sacerdoti, ei quoque competere intelligi possit: præsertim cum, ut nomen, sic munus habet cum Ordinario commune, absolueret à mortalibus: sicque rationes ante propositæ pro Parochi, pariter pro eo procedunt.

21. Nonnulla autem in contrarium obicit possunt, quæ Suarez in sequenti l. c. 4. num. 10. & aliquot sequentibus proponit, & bene soluit. Satis est notare ad occurrendum illis: quando simplici Sacerdoti licentia simpliciter datur audiendi confessiones, licentiam absolueret ab excommunicatione simul dari: non tamen ab eodem à quo illa datur sed à iure de quo agimus. Item simplicem Sacerdotem ex ipso quod absolueret potest à peccato veniali, habere à iure potestatem absolueret à minore excommunicatione, quæ est eiusdem absolutionis impedimentum, nec referuatur Superiori.

22. Aduerte obiter Religiosis sub excommunicatione referuata Papæ prohibitum esse in Clementina 1. De privilegiis, ne absoluant quemquam excommunicatum à canone; præterquam in casibus expressis à iure (nempe de sententiâ excommunic. cap. Monachi, & cap. Cum illorum) ut glossa ad eandem Clement. notat verbo Expressis: vel ad quos extendantur privilegia Sedis Apostolicæ, quæ fuerint ipsis concessa. Quo fit ut probe tenere debeant quæ & quanta sunt talia privilegia.

CAPVT II.

De eo qui absolueret potest ab excommunicatione lata ab homine.

SVM MARI VM.

23. Generale documentum dære proposita.
24. Ampliationes regulæ eum qui excommunicationem tulit posse ab ea absolueret.
25. Successor potest absolueret excommunicatum à suo prædecessore.
26. Potest & Superior, ab inferiore excommunicatum.
27. Quatenus non possit aut non debeat Episcopus absolueret ab excommunicatione lata per suum inferiorem.
28. Archiepiscopus non potest absolueret excommunicatum à suo Suffraganeo, nisi appellatum sit ad ipsum.
29. Qui excommunicationem tulit, potest per suam delegatum ab ea absolueret.
30. Ab excommunicatione generaliter lata ab homine, idem potest absolueret, qui à lata iure.
31. Casus in quibus is, qui tulit excommunicationem, non potest ab ea absolueret.
32. Is qui in aliquem nominatim tulit excommunicationem, non potest ab ea absolueret, si à Papa ex certa scientia confirmata sit eius sententia.
33. Ex mandato Pape excommunicans aliquem quando possit taliter excommunicatum absolueret.
34. De absolutione ab excommunicatione quam tulit sufficientem habens.

bens iurisdictionem: sed nondum Sacerdos.

- 35 Participans in crimine cum excommunicato ab homine, non potest ab alio absolui, quam ab eo qui excommunicauit, vel ab ipso Superiore.
23. Generaliter statuitur, Eum ab excommunicatione lata ab homine posse absolueri, qui illam tulit, aut qui ei succedit in iurisdictione, aut qui Superior est ipsius in iurisdictione, aut qui fuerit ad id delegatus legitime. Atque quin possit is qui tulit quamdiu retinet suam excommunicandi potestatem dubium non est, cum absolueri sit illius cuius est ligare, ex cap. Si Petrus 24. quæst. 1. Idque Vgolinus De censuris tabulari cap. 4. in initio, ait esse pro regula communiter receptam à doctoribus, quorum aliquot citat.
24. Et docet procedere non tantum in excommunicatione, sed etiam in suspensione & interdicto. Item procedere siue generaliter siue specialiter & nominatim lata fuerit excommunicatio. Item procedere quoad absolutionem, sic & quoad sententiæ propriæ reuocationem faciendam, quando ante eam impletam interuenierit aliquid propter quod debeat talis reuocatio fieri. Item procedere quantumuis per talem sententiam obligatus ab ordinario iudice, appellatur ad Superiores; etiam postquam idem Superior appellationem admiserit. Item procedere etiam si excommunicatus in aliam diocesim domicilium postea transferat. Item etiam si excommunicatus sit mortuus, cuius absolutionem hæres procurare debeat iuxta cap. A nobis 2. de sentent. excommunic. Item etiam si excommunicatus ingrediatur religionem. Nam si mors naturalis non impedit, quominus debeat is à suo excommunicatore absolui, multo minus impedit mors civilis. Item procedere siue Ordinarius sit vna singularis persona, siue aliquod Collegium, & Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, aut Concilium, siue generale siue particulare. Patitur autem eadem regula aliquot exceptiones, sed quæ factis ex post dicendis notæ esse poterunt.
25. Quod possit quoque absolueri successor, hoc est ille qui succedit in eadem iurisdictione, siue succedat in eadem dignitate vt Episcopo Episcopus; siue non: vt Episcopo Capitulum Sede vacante, vel administrator datus Ecclesiæ Cathedrali, deducitur ex cap. Si Episcopus 11. quæst. 3. Et confirmatur, quia talis cum eo cui succedit, sicut & ille quilibet Vicarius est in omnibus, reputatur eadem persona esse cum illo. De qua re videri potest Vgolinus in eodem cap. 4. §. 3.
26. Quod item possit Superior habens plenam in excommunicatum, æquè ac excommunicator iurisdictione, dubium esse non potest. Nam iurisdictione in aliqua diocesi competens Prælati inferiori, ita est accipienda, vt Superiorem ordinatiam iurisdictione, quam in eadem habet, minime priuet. Atque hinc est, quod Papa cum sit superior omni alio Iudice Ecclesiastico; & in quemlibet fidelium plenissimam habeat iurisdictionem, potest absolueri ab excommunicatione prolata à quocumque alio Prælato. Item quod Episcopus (quandoquidem sic est ordinarius in sua diocesi ex capite primo De offic. ordin. nisi exemptio impediat) potest non tantum à suo Vicario aut ab alio suo delegato, sed etiam ab Archidiacono & ceteris Prælati inferioribus excommunicatos absolueri in eadem diocesi, Hanc esse communem sententiam pluribus in eam citatis notat idem Vgolinus in precedentii §. 1. num. 1.
47. Sed aduerte ex Syluestro in verbo Absolutio 2. num. 1. intelligendam esse cum exceptione indicata in cap. Romana. De appellationibus in 6. §. ab Archidiacono: nisi Prælati inferior habeat ex consuetudine, vt excommunicatus à se non possit ab Episcopo absolui: vt censetur habere iuxta doctrinam Paludani in 4. distincti. 18. quæst. 3. art. 2. Archidiaconi, aut Decani siue rurales siue Ecclesiæ collegiæ: talem de consuetudine habentes iurisdictionem, vt non appelletur ab eis ad Episcopum ipsum, sed ad Archiepiscopum, aut ad Papam. Addit Syluester malè facere Episcopum absoluen- do excommunicatum à Prælato inferiori (etiam si potestatem ad id habeat valdeque absoluat) non requisito ipsius consensu: ex cap. Per tuas De sentent. excommunic. Et ratio est, quia non seruat subdito suum ius. Addit præterea id quod de Episcopo respectu inferiorum Prælatorum dictum est, esse pari ratione intelligendum de provinciali cō-

paratione Priorum conuentualium sibi subditorum: nempe ipsum posse absolueri ab excommunicatione per eos lata in aliquem.

De Archiepiscopo autem respectu subditorum sui suffraganei non esse similiter intelligendum (de qua re latè Vgolinus in sequenti §. 2.) nisi in casu appellationis ab eodem Suffraganeo ad ipsum, ratio docet; quia non habet in eodem subditos plenitudinem potestatis: cum ipse Suffraganeus non habeat ab illo suam auctoritatem, sed à Sede Apostolica.

Quod denique delegatus excommunicantis possit absolui excommunicatum absolueri, patet tum per cap. Sacro §. Cauat. De sentent. excomm. cum dicitur, Alioquin ipse per se vel per alium, &c. munus ei absolutionis impendat. Tum quia delegatus in re sibi delegata, vices habet delegantis. De his videri potest Vgolinus in eod. cap. 4. & Georgius Sayrus alios referens in Theatro casuum conscientia lib. 2. cap. 20. nam dicitur in his hæere non videtur necessarium ad nostrum institutum; si addiderimus casus in quibus initio posita generalis propositio patitur exceptionem.

Casus in quibus alius, quam qui tulit, absoluit ab excommunicatione lata ab homine.

SECTIO VNICA.

Primum igitur si excommunicatio lata sit ab homine generaliter: vt v. g. in omnes fures aut in omnes eos qui bona, lucra vel illi ablata retinet: non autem specialiter in aliquam determinatam personam: vt in Titium, vel Sempronium potest absolueri ab ea quicumque iuxta antedicta in precedent. cap. possit si à iure lata esset. Pro quo auctores referunt Nauarr. in Enchir. & Couarr. ad cap. Alma mater. De sentent. excommunic. in 6. ille cap. 27. n. 44. & bier. part. §. 11. num. 4. versu secundò, ubi in confirmationem adfert, quod in cap. Nuper De sentent. excommunic. facta sit generalis permissio, ambæque illæ excommunicationes multa habeant paria; imò non plus differant, quam quod vna sit statuta in perpetuum, non item altera. Quod cum ita sit, regula initio huius capituli tradita, erit tantum intelligenda de excommunicatione, qua specialiter seu nominatim quis excommunicatus est ab homine. Et si contrarium, (quod cum relatis à Sayro in cap. 20. numero secundo Vgolinus sequitur in memorato cap. 4. num. 3.) teneri posset quando præsumeretur probabilius non esse intentionem excommunicantis, vt ab alio, quam à se absolueretur, censurâ per ipsius sententiam irretitus, ne auctoritas sua veniat in contemptum, aut ipse sine sibi proposito frustreretur. Tunc enim permissio cap. Nuper, non præcederet, cessante ratione quæ in eo redditur.

Secundò, etsi delegatus Papæ possit excommunicare non obedientem suæ sententiæ: tamen post annum à lata sententiâ definitiua, cui ille inobediens fuit, numerandum (non à lata excommunicatione) non potest eum absolueri: vt notant tum Nauarr. in Enchir. cap. 27. num. 40. tum plures alij, quorum meminit Georg. Sayrus in eodem cap. 20. num. 9. Probaturque per cap. Quærenti, De offic. deleg. iuncta glossa. Vnde pro tali absolutione recurrendum est ad Papam delegantem.

Tertiò, incendiarius potest ab Ordinario excommunicari & denunciari, sed post denuntiationem non potest ab eo absolui: sed à solo Papa: pro quo plures auctores idem Sayrus citat consequenter nu. 10. deduciturque ex cap. Tua nos, De sentent. excommunic.

Quartò, si quis postquam excommunicationem tulit, perdat suam iurisdictionem; vt sit cum amouetur à dignitate vel ab officio, ratione cuius iurisdictione illi competit: vel certe priuatur vsu iurisdictionis, vt accedit cum nominatim denuntiat excommunicatus; vel est notorius percussor Clerici. Tunc enim ab excommunicatione absolueri non possit pater: per rationem quam persequitur Vgolinus in eod. num. 12. Nimirum quia vt excommunicatio, sic & absolutio ab excommunicatione actus est iurisdictionis, quam exercere non potest, qui vel eam non habet, vel habet impeditam. Vnde etiam patet quod idem præmittit in fine precedentis nu. 10. per cap. Graue De præbendis post Panormit. ibid. n. 7. non posse Inferiorem à sua excommunicatione absol-

ere, quando Superior omnino id ei prohibuerit: vt Episcopus suo Vicario, & Papa cuiusque, siue Ordinario siue delegato. Tali enim prohibitione suspenditur vsus iurisdictionis.

Quintò, si excommunicatio in aliquem lata ab inferiori Indice, per Papam confirmetur, is qui tulit non potest ab ea absolueri; sed solus Papa, aut is cui ipse id negotij commiserit, secundum glossam finalem ad cap. Ex frequentibus De institutionibus: vbi Panormit. id probat, quia omnia quibus auctoritatem impertitur, ea facimus nostra: iuxta cap. Si Apostolica De præbendis in 6. Quare per dictam Papæ confirmationem, excommunicatio fiet Papalis, id est, à qua nemo nisi Papa aut is cui commiserit absolueri possit: non secus ac si ipsemet Papa eam tulisset. Idem docentes auctores citat Sayrus. in memorato capite 20. num. duodecimo.

Cæterum intelligendum est de excommunicatione quæ per sententiam hominis fertur in aliquem nominatim, confirmataque est à Papa ex certa scientia. Nam cum lata est per statutum inferioris, confirmatio Papæ non impedit illius absolutionem, nisi confirmando referret sibi eam, prout in præcedent. num. 17. habitum est. Neque item cum lata est generaliter: quia vt ante habitum etiam est num. 31. illius eadem est ratio, quæ latæ per statutum. Nec denique cum est à Papa confirmata, non ex certa scientia sed per simplicem confirmationem sine causæ cognitione; tunc enim qui tulit potest ab ea absolueri, vt admonet D. Anton. 3. part. tit. 24. c. 77. non procul ab initio & aliquot alij quorum meminit Georgius Sayrus in fine cit. n. 12.

Aduerte autem quod idem notat & ante eum Syluester Absolutio. 2. num. 5. confirmationem censeri ex certa scientia esse, quando tota causa Superiori explicatur: seu quando in eâ inferitur totus tenor rei confirmatæ: vel quando Papa videtur his aut similibus verbis, *ex certa scientia*: vel quando confirmat aliquid quod ipsemet vidit. Cum verò confirmat simpliciter non instructus aliter de negotio, dicitur confirmare in forma communi. Quæ confirmatio (inquit idem Syluest.) parum aut nihil operatur, impetraturque tantum ad incutiendum timorem.

Sextò, ille qui est merus executor, vt is cui Papa commisit vt abque aliqua causæ cognitione quempiam excommunicaret; postquam ipsum excommunicauit non potest absolueri. Ita sentientes auctores referunt Vgolinus & Sayrus: ille tab. i. c. 4. in princip. num. 13 & hic in eod. c. 20. num. 13. Probatur verò quia cum tali, tantummodo commissum sit excommunicare: ille absolueno, præteribit fines sui mandati, nec valebit absolutio; iuxta cap. finale de restitut. spoliat. Quod si cui Papa daret mandatum excommunicandi aliquem, simul committendo cognitionem causæ, posset vt excommunicatio ferretur, sic & ab ea absolueri; vt post D. Antoninum ante memoratum, notant Angelus & Syluester: ille Absolutio 2. nu. 1. & hic Absolutio 1. numero 3. vers. 6.

Si verò simpliciter alicui mandet, vt ferat excommunicationem in aliquem; neque addat eum cognitione, aut sine cognitione causæ: vt intelligatur, an si excommunicarit, possit absolueri excommunicatum: recurrendum est ad mandantis intentionem, quæ vt post Panormit. ad cap. fin. de officio delegati tradit Angelus loco citato: per verba mandati sic deprehendi potest. Si quidem dicat: intelleximus quod talis, &c. Quare mandamus veritate cognita vt excommunices, &c. intendit committere causæ cognitionem: & ideo qui virtute talis mandati excommunicauerit, poterit ab eadem excommunicatione absolueri. Sin verò dicat: Quod certificati sumus, quia talis, &c. Ideo mandamus vt excommunices, &c. quia committit nudam executionem: si is cui committitur, excommunicauerit: nõ poterit eum quem excommunicauit absolueri.

Postremò, si is qui excommunicationem tulit non est Sacerdos, potest quidem absolueri absolutione iudiciali, seu fori contentiosi: non autem absolutione sacramentali seu fori penitentiali, quæ requirit potestatem ordinis Sacerdotalis. Quod tamen non est ita accipiendum, quin is qui sufficientem iurisdictionem habet quamuis Sacerdos non sit, si absolueri possit ab excommunicatione, vt absolutio proficit in foro conscientie; & excommunicatus sit coram

Deo absolutus, maneatque liber ab excommunicatione, Cui enim Christus potestatem dedit excommunicandi, dedit & absolueno ab excommunicatione vt manifestum est ex verbis ipsius Mat. 18. Quæcumque alligaueris super terram, &c. neque absolutio à vinculo excommunicationis est sacramentalis, vt in absolueno requirit potestatem Sacerdotalis ordinis: sicut absolutio sacramentalis requirit; prout intelligitur ex verbis quibus est à Christo instituta. Ioan. 20. Quorum remisistis peccata, &c. Cuius differentie ratio sumi potest ex eo, quod vinculum peccati contrahatur per offensam Dei: vinculum excommunicationis verò contrahatur tantum per sententiam Iudicis Ecclesiastici. Itaque Prælati nondum Sacerdos, dicitur absolueri ab excommunicatione in foro iudiciali non in foro penitentiali: quia non potest absolueri simul à peccato mortali, seu contumaciâ, propter quam est incurta excommunicatione: quoniam id pertinet ad potestatem ordinis, quæ solis Sacerdotibus tradita est; ex Conc. Trid. sess. 14. c. 6. & ex instituto docuimus in li. i. c. 1. Admonet autem alijs citatis Sayrus in l. 2. c. 21. n. 1. si absolutio hæc faciendâ sit cum solemnibus precibus, & ceremoniis, de quibus postea, debere fieri per Sacerdotem, quod est rationabile.

Superest addendum: illud quod dictum est numero 30. de absolutione ab excommunicatione lata in aliquem nominatim ab homine: nempe eam dari posse tantum ab excommunicatore vel ab ipsius successore aut Superiore, extendi ad excommunicationem quam ius imponit participanti in crimine criminoso (quo nomine significatur crimen propter, quod excommunicatio illa fuerit imposita) cum eo qui illa ratione excommunicatus est ab Episcopo, non possit absolui, nisi ab hoc vel à successore aut Superiore ipsius iuxta cap. Nuper, De sentent. excommunicat. §. In primo articulo.

CAPVT III.

De eo qui absoluitur ab excommunicatione.

S V M M A R I V M.

- 36 Potest quis ab excommunicatione absolui inuitus.
- 37 Quando liceat absolueri ab excommunicatione inuitum.
- 38 Valida esse potestatis absolutio, etiam illicitè data.
- 39 Potest quis absenti absolui ab excommunicatione.
- 40 Per procuratorem item aut per literas.
- 41 Ac etiam simpliciter sine illius, utamque ignorans potest.
- 42 Nulla est absolutio ab excommunicatione, absenti data à suo Superiore quando is est specialiter seu nominatim excommunicatus in diocesi in qua demorat.
- 43 Mortuus potest ab excommunicatione absolui, dummodo non dissecesserit contritiæ & sine signis contritionis: & per quem, ac quò modo ille absolui debeat.
- 44 Quæ ratione censetur mortuus absolui ab excommunicatione.
- 45 Non valet absolutio ab excommunicatione si obtenta sit ex falsa causa.
- 46 Nisi absolvens illam dare intendat, etiam si falsa sit causa, quæ ei proponitur.
- 47 Idem ac de causa falsa, dicendum est de veritate tacita, quando eâ declarata non daretur absolutio.
- 48 Per metum grauem extorta absolutio ab excommunicatione, nulla est.
- 49 Pluribus excommunicationibus ligatus, in interno quidem foro non potest: in externo autem, potest ab vna absolui sine alia.
- 50 Quomodo cognoscatur num pluribus excommunicationibus irretitus sit ab omnibus absolui an ab aliquibus tantum.
- 51 Qui plurium hominum excommunicationibus irretitus est, à quo absoluitur.
- 52 Et si illicita sit absolutio ab excommunicatione data sub conditione de futuro, potest tamen esse valida.
- 53 Quando excommunicatio lata in aliquem donec satisfecerit, cesset sine absolutione, vel hanc requirat.
- 54 Quid sit & quotuplex sit absolutio ab excommunicatione ad reuocandum.
- 55 Talis Absolutio propriè dari non potest ab eo qui potestatem habet absolueno sine potestate excommunicandi.

56 Probabile est in excommunicationem eum non recidere (qui impossibilitate ipsum excusante) ad recidendum, nisi satisfecerit absolutus, non satisfaciit absque ulla sua culpa.

Quæ pertinent ad eum qui ab excommunicatione absoluitur, exiis quæ dicta sunt de eo qui absolueri potest, intelligi possunt aliqua ex parte. Cætera quæ ad eorum intelligentiam faciunt, persequemur explicatione aliquot dubiorum.

Primum dubium. An aliquis possit inuitus ab excommunicatione absolui.

Premittendum est: quamuis non sit de substantia istiusmodi absolutionis, ut eam excommunicatus postulet: id tamen expedire ad debitum conuenientemque illius modum; iuxta cap. Per tuas §. finali. De sentent. excommuni. cum dicitur: Nisi gratiam absolutionis imploret non debet audiri, ne sententiam Ecclesiasticam contemnere videatur.] Atque in ordine quidem ad forum externum, plura scienda sunt in tali postulatione, quæ tractat Vgolinus tab. 1. cap. 19. §. 3. Sed in ordine ad forum internum sufficit, ut petens exhibeat sufficientia signa obedientiæ erga Ecclesiam, talemque absolutionem implicite petat: puta petendo absolutionem à peccatis: nisi absoluenti concessa esset potestas cum limitatione, ut non absoluat, nisi expresse petentem absolui ab excommunicatione.

36. Quæ cum ita habeant, mouetur propositum dubium, à multis tractatum, quos Georgius Saurus commemorat in suo thesauro casuum conscientie lib. 2. cap. 21. numero 5. Eorum autem communis responsio est, quod et excommunicatio potest in inuitum validè fieri; sic etiam inuito absolutionem ab excommunicatione posse validè conferre: quia excommunicatio pœna est Ecclesiastica: neque pœna censetur voluntaria ex voluntate puniti, sed ex voluntate punientis, qui eam pro arbitrio, tum infert, tum aufert. Itaque ut inuitum excommunicare, sic excommunicationem, siue per statutum, siue per simplicem hominis sententiam decretam, remittere inuito Ecclesia potest: perinde ac Rex penam extremi supplicij in homicidas decretam; potest inuito, ut inferre, sic & relaxare. Nec refert quod Ecclesia non possit inuito remittere culpam, ob quam tenetur quis excommunicatione irretitus. Nam neque Rex potest remittere eam propter quam homicida obnoxius est extremo supplicio. Ob quam nihilominus rationem fatendum est, nullum esse talis absolutionis usum in administratione Sacramenti penitentiae: cum in illa tantum conferatur gratia Sacramentalis absolutionis: quam quidem certum est inuito, non communicari tanquam malo ad eam affecto.

37. Adde nec extra eandem administrationem consentaneum esse ut ipsa potestate absoluenti inuitum, qui potius a licitarum penarum adiectione vrgendus est ad respiciendam: nisi in casu in quo constaret eam absolutionem, magis medicinalem esse animæ contumacis, quam excommunicationem ipsam: aut certe quando Superior videret excommunicationem non prodesse excommunicato & nocere communitati propter participationem cum ipso: aut quando ex absolutione vitilitas proueniret Ecclesiae. Si tamen de illius correctione nulla spes esset ex alio remedio, & ex ea absolutione alij reddendi essent proclives ad contemnendam excommunicationem, abstinentium esset ab illa, tanquam inuiti ex vna parte, & perniciofa ex altera. Hæc alius citatis annotans Saurus in seq. c. 21. n. 9. & 10.

38. Addit in sequent. 11. quod etsi peccet absolvens inuitum cum alterius iniuria; nihilominus absolutionem valere: quia sicut in ipsius potestate fuit illam ferre, sic & illam reuocare, argumento cap. Verbum, De penitent. distinct. prima.

Dubium secundum. An absens absolui possit ab excommunicatione.

39. Hoc quoque tractantes auctores refert Saurus in citat. cap. 21. num. 12. Responsio autem eorum communis est affirmatiua; nempe absentem posse ab excommunicatione absolui, perinde ac excommunicari: nulla enim datur ratio diuersitatis. Neque obstat, quod de contumacia deposita constare non possit Iudici nisi ipse præsentem habeat excommunicatum, qui emendationem promittat, & absolu-

tionem perat. Non obstat inquam, quia ut proxime dictum est inuitus absolui potest ab excommunicatione. Neque etiam obstat quod ceremonia uturpari solita, non nisi præsentia adhiberi possint. Nam eæ non sunt de substantia eiusmodi absolutionis, quæ potest simpliciter verbo validè dari.

Modus autem absoluenti absentem, vnus est, per Procuratorem, seu Procuratorem absolutionem loco ipsius excipiente: quod non debet quidem fieri sine causa iusta faciensque quod desit, cui facultas absoluenti delegatur; nec excommunicatus possit adire eum à quo absolui debet) faciensque peccet, ut Syluester notat Absolutio 3. numero 9. nihilominus sic impensa absolutio, valida est: ut expressit glossa ad cap. De manifesta, verbo Iudicauit 2. quæst. 1. De qua re plenius Vgolinus De censuris tab. 1. cap. 19. §. 1. num. 2. in qua ut spectante ad forum externum non immorabimur. Alter modus est, absoluenti per literas, quem Richard. in 4. distinct. 18. ar. 10. qu. 2. confirmat: quia omnis res, per quascumque causas nascitur, per eandem dissoluitur. Cap. 1. De reguli. iuris. At per literas superioris absentis, nasci potest excommunicatio, seu aliquis excommunicari: ut patet ex priori ad Corinth. c. 5. Ergo & absolutio ab excommunicatione. Quod etiam expressit glossa ad c. Quanto à nobis, verbo Epistolam, 2. quæst. 4. simul admonens quod tunc demum talis erit absolutus, cū literas acceperit, nisi aliunde constet de absoluentis mente, quod voluerit ipsum esse ante absolum. Vnde ut eadem glossa addit: si talis moriatur antequam literas absolutionis accipiat, non est censendus per eas absolutus, cum tenera eas non acceperit. Secus est verò, prout notatur à Richardo loco citato, si accipiat mortuo eo qui per illas absoluit. Nam id non obstat, quominus absolutus sit: cū reuera ita acceperit munitas intentione absoluenti non reuocata: quæ si accepisset inuito adhuc superstitite.

Cæterum quia in vsu Sacramenti Penitentiae talis absolutio dari non potest, sicut nec absolutio à peccatis, consuetudo obinuit (quod Sotus in 4. distinct. 22. quæst. 2. ar. 3. sub finem notat) ut cum aliquis absens, ab excommunicatione absoluentis est, id non fiat per literas; sed committatur absolutio Sacerdoti, qui à peccato simul & excommunicatione absoluat.

Porro quod non tantum per Procuratorem aut per literas possit absens ab excommunicatione absolui; sed etiam absolute sine his, ita ut valida sit absolutio: Syluester in eodem num. 9. probat: quia absolutio ab excommunicatione totaliter dependet à voluntate absoluentis: nec de necessitate requirit corporealem præsentiam eius qui absoluentis est: cum hæc non sit magis ad eam rem necessaria quam præsentia voluntatis: quam non esse necessariam ostensum est, probando posse inuitum absolui ab excommunicatione: sique, ut ille addit, potest inuitum generaliter facta, extenditur etiam ad absentes, si Prælati id intendat. Vnde si Summus Pontifex diceret, Ego absoluo omnes excommunicatos totius mundi, intendens id ipsum quod dicit, omnes essent reuera absoluti, fierentque participes omnium suffragiorum Ecclesie; licet ipsi quamdiu id ignorarent, tenerentur gerere se pro excommunicatis. Aduerte obiter, ut absentem, sic & ignorantem absolui posse ab excommunicatione: cum talis absolutio non magis dependeat à scientia, quam à voluntate eius cui impendenda est.

Aduerte etiam (quod inter alia habet Henriquez li. 13. c. 27. sub finem) non valere absolutionem, quam quis dederit subdito absenti de gentique in diocesi in qua est ab Episcopo loci nominatim excommunicatus. Id quod patet ex eo quod habitum est in præcedent. num. 30. generalem regulam de eo qui absolueri potest ab excommunicatione lata ab homine (quod nimirum sit ille qui excommunicauit) procedere cum excommunicatio fuerit specialiter seu nominatim lata. Quæ ratio ostendit etiam, ne quidem reuersum ad propriam diocesim, posse à tali excommunicatione validè absolui: quod Suarez etiam notat tom. 5. disputat. 7. sect. 2. num. 27. lam qui in suo territorio ligauit alienum propter crimen ibi perpetratum, potest ipsum cum recesserit in proprium territorium absolueri absentem, in alienaque diocesi existentem: quia & tunc potest sententiam suam tollere sine iudicij strepitu, vocatione ve ad iudicium: ac sine alterius Episcopi iniuria.

Tertium dubium est. An vita functus possit absolvi ab excommunicatione.

Affirmatiue respondendum esse ex Couar. ad cap. Alma mater 1. parte §. 11. numero octavo, & ex aliis quorum meminit Vgolinus De censuris tab. 1. cap. 19. in princip. num. 2. habetur per cap. Sacris, De sent. excomm. & expressius per cap. A nobis 2. eodem titulo: ubi quoque statuitur talem absolutionem dandam esse ab eo qui dare poterat, subintellige, extra mortis periculum: habendo sufficientem in ipsum iurisdictionem siue ordinariam siue delegatam. Nam facultas ad absolventem a quibuslibet censuris in articulo mortis cuiuslibet Sacerdoti concessa, non extenditur vltra eundem articulum, qui per mortem cessat. Interim autem dum talis absolutio non impenditur, si mortuus de numero eorum excommunicatorum sit, qui vitari debent: quantumcumque in eo signa poenitentiae praecesserint non est licitum pro illo, sicut fit pro aliis, publice orare: nec illum in loco sacro sepelire: quia vti in eod. cap. A nobis dicitur: ille in quo talia signa praecesserint, si morte praeventus, absolutionem non potuerit beneficium obtinere quamuis absolutus apud Deum fuisse credatur non tamen habendus est absolutus apud Ecclesiam, prohibentem eiusmodi excommunicatum ante absolutionem sepelire in loco sacro, vel participem facere communiu suffragiorum. Sine dictis vero signis decedens quis contumax, absoluti non debet: ne communicetur mortuo, cui non est communicatum vivo, contra id quod praescribitur 24. quazitione 2. cap. 1. & 3.

Atque satis esse, vnius testimonio eiusmodi signa probari, multi nobiles auctores tradiderunt, quos refert Vgolinus loco citato, numero quinto. Illud quoque in praeced. num. 4. admonens: quod cum memoratum cap. A nobis signa tantum contritionis ad absolutionem de qua agimus, requirant; eam dari posse, etiam si ille in cuius gratiam lata fuit excommunicatio id nollet; nisi ei prius satisfieret. Ratio est, quia habet defuncti haereditas sibi obligatum, contra quem potest ad satisfactionem agere ex eodem cap. A nobis §. final.

Porro ex glossa ad idem cap. verbo Non potuerit, communiter recepta teste Couar. loco citato: si quis in articulo mortis fuerit per quemcumque Sacerdotem absolutus ab excommunicatione, etiam Summo Pontifici reseruata non est de iure post mortem absolvens. Ratio est, quia talis absolutio vera fuit ex iurisdictione omnibus Sacerdotibus pro illo articulo delegata iure ipso, vt patet ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 7. In mortuo autem absolvens ab excommunicatione, eandem formam seruandam esse, quam in absolvens vivo, habetur ex eod. cap. A nobis §. penult. Vnde glossa in verbo, forma seruatur, colligit iuramentum quo dixit c. Cum desideres, De sententia excomm. exigitur ab excommunicato antequam absoluat, non esse de substantia seu forma absolutionis; cura ipsum possit exigi a mortuo: in quo nihilominus absolvens ab excommunicatione, forma absolutionis seruatur.

Aduertere autem, quia potestas absolvens ab excommunicatione, sicut & excommunicandi, data est Ecclesiae a Christo in eos tantum qui sunt super terram (vt enim Matt. 18. dixit, Quaecumque alligaueritis super terram erunt ligata, & in caelis: ita & subiunxit, Quaecumque solueritis super terram erunt soluta & in caelis) sicut non potest mortuus excommunicari proprie, sed tantum impropria quadam excommunicatione, qua per modum maledictionis declaretur decessisse excommunicatus prout Nauarr. ex communi sententia habet in Enchir. cap. 27. numero 271. Ita potest tantum denuntiari absolutus, seu quod e vita excesserit quoad Deum absolutus ab excommunicatione; prout addit idem Nauarr. aut certe absolvi ab excommunicatione, absolutione impropria.

Quam quidem Alphonsus à Castro in lib. 2. De iusta haeretic. punitione cap. 20. sub finem, hoc modo explicat: vt cum excommunicatio incommodet excommunicato, & quoad animam, quam priuat communibus Ecclesiae suffragiis: & quoad corpus, quod priuat Ecclesiastica sepultura: & quoad alios, à quibus non potest inuari publicis orationibus, aliisque pijs operibus: absolutio propria liberet illum

omnibus talibus incommodis; impropria non item. Quia ergo mortuus quoad animam separatus est omnino à iudicio Ecclesiae, haec non potest illi nec per excommunicationem incommodare, nec per absolutionem ab excommunicatione commodare quoad animam ipsam: sicque, vt absolutio ab excommunicatione quae illi impenditur, non nisi impropria censeri possit: vt pote quae non auferat de se omnia incommoda, quae infert excommunicatio; sed ea tantum quibus quoad corpus, aut quoad alios laeditur excommunicatus, hoc est, mortuus absoluitur tantum quoad hoc, vt corpus ipsius possit in loco sacro sepeliri, possint alij publice pro ipso orare, aliaque pia opera peragere. Quam doctrinam approbat Couar. & Suarez: ille in cit. num. 8. & hic to. 5. di. p. 7. lect. 1. nu. 4.

Subiungit Nauar. loco cit. quod etiam approbat Suarez in seq. num. 7. si censura sit occulta, eam dissimulandam esse potius quam cum aliqua infamia aut alio nocimento procurandam absolutionem defuncti: qui si discesserit in malo statu, ea nihil ipsi proderit, si in bono statu obierit, non est necessaria quoad Deum; nec etiam quoad Ecclesiam, quae non iudicat de occultis, & permittit communicationem, etiam in diuinis, cum excommunicatis non denunciatis nominatim: nisi sint Clerici percussores, ita notorij vt nulla tergiversatione excusari possint.

Quartum dubium est. An is valide absoluat ab excommunicatione, qui ex falsa causa absolutionem obtinet: vt v. g. mentiendo se satisfecisse.

AD huius explicationem tres propositiones statuuntur. Prima est, Si excommunicatus absolutionem, quam non obtinuerit si verum dixisset, obtinuit expressa falsitate, vt se satisfecisse parti laeae, aut se propositum habere parendi Ecclesiae, cum vtrumque falsum sit: tunc talem absolutionem inualem nullamque esse. De qua re neminem dubitare, aut dubitare posse habet Couar. ad cap. Alma mater 1. par. §. 11. num. 14. Aperiit autem confirmatur: tum ex cap. Officij, De sententia excomm. cuius verba sunt: Respondemus: quod suppressam veritatem, absolutio subrepta non prodest: tum etiam manifesta ratione: quia in tali absolutione deest intentio absolventis ei necessaria, cum sit actus humanus. Nam cum ipse veritatem intelligens non debeat illam exhibere, vt in eod. cap. Officij praescribitur, praesumendum sane est intentionem ipsius esse (quae in dubio consentaneè canonibus interpretanda est) vt non valeat sic obtenta absolutio. Ita docentes auctores commemorat Sayrus in lib. 2. thesauri casuum conscient. cap. 21. num. 27.

Secunda propositio: Si absolvens sufficienti praeditus potestate animum haberet absolvens, etiam causa existente falsa, peccaret quidem absolvens; sed absolutio valeret, etiam in foro conscientiae. Pro hac auctores quoque commemorat Georgius Sayrus in praecedent. numer. 26. Ea vero probatur, quia absolvens ab excommunicatione aliquid, nulla existente causa absolvens, non excedit (vt argumentatur Nauar. in Enchir. cap. 27. num. 38.) humanam potestatem Superioris ad valide absolvens: quae eadem est cum potestate excommunicandi ex cap. Verbum, De poenitentia dist. 1. à qua sententiam excommunicationis sine causa profectam non carere viribus, nisi contineat errorem intolerabilem, patet ex eo, quod sententia pastoris siue iusta siue iniusta timenda sit vt habetur in quaest. 3. cap. 1. & latius tractat Vgolinus De censuris tab. 1. cap. 13. §. 3.

Tertia propositio est: vt cum per expressam falsitatem, sic & cum per suppressam veritatem: siue, vt habet Couar. in eod. num. 14. versu, Igitur haec, cum tacita vera causa ob quam lata est excommunicatio, alia exprimitur: aut cum pluribus de causis lata est, vna tantum in petitione refertur: aliquis obtinet absolutionem ab excommunicatione, quam alioquin non obtineret, ea ipsa absolutio nulla est; iuxta cap. Ex parte, De officio Ordin. Vbi glossa id annotat, verbo Redire: & ad idem facit cap. Officij, cuius verba paulo superius retulimus.

Intelligenda est autem doctrina haec, cum moderatione quam habet Couar. in praeced. num. 13. conclus. prima: vt si pluribus de causis lata sit excommunicatio, & suppressatur aliqua non principalis, quae minime auertisset Praelatum ab

absolu-

absolute, si ei significata fuisset; non ideo reddatur inuálida absolute. Locum habet autem eadem doctrina in utroque foro. Ex qua colliges mentientem in confessione se non posse satisfacere parti lætæ; cum possit ei ab excommunicatione datam absoluteionem esse nullam: & sic de similibus.

Quintum dubium. An si quis per metum grauem absoluitur ab excommunicatione, valida sit absolute.

48. **R**esponso communis Doctorum quos Sayrus commemorat in eod. cap. 21. nu. 30. est affirmatiua: quæ expressa habetur in cap. Vnico. De iis quæ vi metu (ve causa) fiunt in 6. Aduerte autem tunc istiusmodi casum contingere, cum quis aut mortem ipsam aut corporis cruciatus graues, aut vniuersorum bonorum, aut magnæ partis eorum spoliatiōnem, aut carcerem vel exiliū interminatur recusanti absolute. Talia enim sunt ea quæ cum ab alio imminēt, metum illum constituunt ex quo prouenit inuoluntarium secundum quid: de quo in sequenti lib. 11. cap. vltimo. Aduerte etiam quod docet Vgolinus de censuris ab. 1. cap. 4. in princip. num. 14. & post eum Sayrus loco citato: propositam responsonem procedere, etiam si intentia excommunicationis fuerit iniusta, valida tamen: item etiam si lata sit sub conditione: itemque etiam si fuerit tantum minor excommunicatio: ac demum etiam si metus sit incussus à muliere. Quorum singula Vgolinus confirmat: sed nobis sufficit ea esse consentanea generalibus verbis memorati Capituli vnicī, pertinentis ad fauorem ac iustam Ecclesiasticæ potestatis defensionem. De quo Cap. monendum est, non loqui tantum de excommunicatione, sed etiam de aliis censuris: nec tantum de absoluteione; sed etiam de reuocatione censuræ: quæ fit quando fertur contrahenda intra certum temporis terminum, & antequam ipsam efflaxerit ea reuocatur. Præterea imponere nouam excommunicationem quidpiam tale agentibus.

Sextum dubium. An pluribus excommunicationibus irretitus, possit ab vna absolui, remanente alia.

Hoc tractantes auctores Sayrus adhuc commemorat in eodem cap. 21. num. 15. bene monens intelligi, seclusa Sacramentali absoluteione: in ordine ad quam non sufficere vnā excommunicationē tolli sine alia, certum est. Quare procedit tantum quoad absoluteionem quæ in foro exteriori concedi solet.

49. **R**esponso autem est: quod vt is iam est ligatus vna excommunicatione, potest denuo aliā ligari: sic posse ab vna absolui, manente alia. Ratio verò illius hæc redditur, quod excommunicationes non sint, quemadmodum peccata mortalia, connexæ quoad remissionem; quia ad hanc non est opus conuersione voluntatis ad Deum, & infusione gratiæ gratum facientis, sicut ad remissionem peccati mortalis, quod cum illa coherere non potest. Cæterum sic accipienda est hæc responso, quod bene monet Paludanus in 4. distinct. 18. quæst. 5. art. 3. concl. 2. vt nihilominus non ante is qui pluribus excommunicationibus ligatus est, restituatur communioni fidelium & participationi Sacramentorum, quam fuerit ab omnibus absolutus.

50. **Q**uando autem censendus sit ab omnibus absolui, & quādo ab aliquibus tantum: Couar. ad cap. Alma mater De sentent. excommunicat. in 6. prima part. §. 11. n. 13. tradit: Inquiens quod pluribus excommunicationibus ligatus petens absolui ab excommunicatione: citra controuersiam absolui ab omnibus, si absoluenti sufficiente potestatem habenti omnes exprimat. Si verò vnus tantum mentionem faciat, non censeri à reliquis non expressis liberari: etiam si fuerit in definite absoluitus, nempe dicēdo absoluitur, Absoluit te à vinculo excommunicationis: neque addendo aliquid, quo hæc vel illa particulariter indicetur. A cuius rei confirmationem auctoritatem D. Thomæ & aliorum nonnullorum, ille addit hanc rationem, quod absoluteio tunc data à Superiore, sit tantum ea quæ commemorata est in petitione, seu quæ expressè petita est. Quare si petens irretitus est aliis excommunicationibus, inde ab eis minime liberatur.

Verumtamen quia, vt idem auctor consequenter docet, is qui excommunicatus est pluribus excommunicationibus, potest ab omnibus absolui vnica absoluteione, Superior habens potestatem absoluendi ipsum ab omnibus, dum in definite eum absoluit, tollit omnes vnica absoluteione, si omnium earum notitiam habeat, etiam si in petitione absoluteionis, vnā tantum sit ei expressa. Ratio est, quia præsumitur talis fuisse mens absoluentis: quandoquidem de tota re instructus, vtur verbis ipsam sufficienter significantibus. Immo iuxta Palud. in seq. conclus. 4. nec est necesse absoluentem habere notitiam omnium, sed sufficit vt possit verosimili coniectura præsumi quod etiam à tacitis excommunicationibus absoluturus esset, si eorum notitiam habuisset. Id quod idem Couar. approbat. in eod. n. 13. concl. 6. Præmittens in conclus. 5. id quod dictum est de absoluteione quæ datur in definite, similiter intelligendum esse de ea quæ datur generaliter hoc modo, Absoluit te ab hac excommunicatione, & ab aliis omnibus, quibus ligatus es, quarum nec memineras nec memora habes. Et ratio est quia cum tali verborum forma absoluentis, manifestè aperit mentem suam esse, vt ad omnes alias excommunicationes absoluteio extendatur.

Porro cum quis est irretitus pluribus excommunicationibus plurium hominum, vnus absoluteio (vt monet Palud. in citato art. 3. concl. 3.) non sufficit, nisi alij consenserint, vices suas ei committendo; aut nisi is fuerit Superior qui suo iure possit ab excommunicationibus aliorum absoluteio, vt Papa; aut etiam nisi Iudex sit in solidum: quia quando vnus cause duo sunt Iudices quilibet in solidum, vt contingit duobus Officialibus eiusdem Sedis Episcopalis, vna eademque iurisdictione est in duobus: quorum proinde alter absoluteio potest à sententia alterius: nisi quando vno preoccupante, alter postea non habet, vt Palud. loquitur, se ita introumittere, seu ita immiscerere se cause, vt possit excommunicare: vnde nec tunc potest absoluteio: cum nemo qui ligare non potest, absoluteio possit; nisi ex delegatione iuxta antedicta initio secundi cap. De qua tota re pluribus agit Vgolinus De censuris ab. 1. cap. 19. §. 3. à numero 7. sed quia magis forum iudiciale quam pœnitentiale concernit, contenti esse possumus iam dictis.

Septimum dubium est. An possit quis ab excommunicatione absolui sub conditione.

Vt hoc explicetur obseruandum est, sermonem esse posse vel de absoluteione quæ fit sub conditione reſtitutionis, vt si excommunicatus satisfecerit; vel sub conditione rei presentis vel præteritæ: vt solita vsurpari quando dubitatur de eo qui absoluteionem petit, sine excommunicatione aliqua ligatus, diciturque absoluteio ad cautelam. Prioris igitur generis absoluteione, non debere quemquam absolui ab excommunicatione docet D. Anton. 3. part. tit. 24. c. 77. sub finem: quia taliter absoluteio non est simpliciter absoluteio: sicut nec in Episcopum electus, si hoc vel illud egerit, vel ad vnum mensem, aliudve certum tempus, est simpliciter electus; cum ex regula 50. iuris in 6. actus legitimi, non accipiunt conditionem neque diem. Syluester verò Absoluteio 3. in principio, ait neminem posse sub conditione absolui, quo indicat talem absoluteionem ab excommunicatione, esse inuálidam. Id quod aperit Angelus ait Absoluteio 3. in principio: Nauar. autem ad princip. 1. cap. De pœnitent. distinct. 6. propositam D. Anton. opinionem admittens num. 61. hoc quod à Sylu. significatum est, & ab Angelo expressè dictum, reuocat in seq. num. 64. Inquiens quod et si absoluteio ab excommunicatione, sub dicta conditione fieri non debeat, facta tamen valeat: quia nullum ius afferri potest, quo inuálida sit iudicanda potius, quam aliā quæuis iniusta, seu impenſa aliter quam debeat: cuiusmodi aliquam valere posse patet ex cap. Venerabilibus §. Vbi autem De sentent. excommunicat. in Sexto.

Neque huic opinioni (quam admittit Couar. ad supra memoratum cap. Alma mater & post eum Suárez ille 1. part. §. 11. num. 6. & hic tom. 5. disp. 7. sect. 8. num. 7. & seq.) aduertatur regula 50. iuris in 6. quia nomine actuum legitimum, de quibus expressè loquitur, non comprehendit excommunicationem & absoluteionem ab excommunicatione ex eo patet; quod excommunicatio sub conditione rei futuræ; non modo

modo valide, sed etiam debite ferri possit: iuxta cap. Præterea
 2. De appellacionibus. Cum ergo is qui ligat solvere possit
 ex generali regula ante tradita initio præcedent. cap. 2. va-
 lidè quoque impendi poterit sub eadem conditione ab-
 solutio ab excommunicatione, etsi non possit impendi de-
 bite: ut argumento est, quod nihil tale sit in Ecclesia usu re-
 ceptum. Et confirmatur, ex eo, quod conditio rei futura ita su-
 spendat effectum actus, ut non fortiat eum nisi illa imple-
 ta, atque adeo nec excommunicatio liget nec absolutio li-
 beret ligatum sub conditione, donec eadem adimpleatur.
 Cui verò excommunicatio sub eiusmodi conditione debi-
 tē feratur, non item absolutio ab ea debite detur: ratio est,
 quia excommunicatio est res odiosa, & absolutio ab ea,
 res favorabilis; quo fit ut non sit consentaneum in hac,
 perinde ac illa suspendi effectum: sed (prou Nauarr. i-
 pte expressit in Enchir. cap. 26. numero 12.) peccet is qui auct
 sub conditione ab excommunicatione absolueret. De qua
 re videri potest Suarez loco citat. num. 10. & 11. qui & pu-
 tar necessitatem à tali peccato excusare posse: quod non ne-
 gauerim.

Iam verò absolute posterioris generis, non modo pos-
 se, sed etiam debere absolui ab excommunicatione eum de
 quo dubitatur, an eà irretitus sit, patebit in sequen. c. 5. ubi ea
 de re ex instituto agendum est.

*Octauum dubium, An excommunicatus sub conditione donec
 satisfaciatur, exhibita satisfactione, opus habeat
 absolute.*

Reshæc in speculatione quidem habet difficultatem,
 quam persequitur Couarr. ad cap. Alma mater 1. part. S.
 11. num. 5. & 6. Sed nobis pro praxi sufficere potest, quod to-
 5. disputat. 7. Suarez habet sect. 1. num. 13. consideranda esse
 verba legis aut sententiæ, per quam fertur excommunica-
 tio: si enim indigent negationem absolutionis: vt illa in fine
 cap. Quamquam, De censibus in 6. Nec ab excommunica-
 tione eiusmodi absolutionem: vel in iudicij relaxationem
 obtineant, donec, &c. tunc præter satisfactionem absolutio
 est necessaria. Si verò indigent concessionem absolutionis;
 vt illa Ex quo satisfecerit absolutus sit; tunc satisfactio sufficit; ab-
 solutione eà concessâ, effectum suum consequente. Sicut
 cum aliquid sub excommunicatione faciendum præcipitur:
 hoc ipso quod non fit suo tempore incurritur excommuni-
 catio. Quod si verba neutrum indigent specialiter, quidquid
 sit in speculatione, sequenda videtur in praxi sententia iudicior
 quam Couarr. communem esse ait: nempe esse opus absolu-
 tione.

*Postremum dubium est, Num absolutio ab excommunic. possit
 alicui concedi ad reincidentiam.*

Huius sensus est, An absolutio ab excommunic. possit
 alicui concedi ad actum, quo deducto in effectum, vel
 ad tempus, quo finito, is iterum sit excommunicatus sub iis-
 dem monitionib. & solemnitatibus quibus prior excommuni-
 catio infligta fuit. Ad ipsum autem pluribus aliis citatis
 Couarr. in antecit. §. 1. num. 6. respondet posse absolui: eam-
 que esse communem sententiam, quam iamdiu praxis ad-
 miserit, consentaneam cap. Veniens 2. De testibus; & ca. A-
 postolica, De exceptionibus. Pro cuius pleniore intelligenti-
 a exitus quæ Suarez tractat in prius memorata sect. 8. à num
 16. ad finem vsque: notandum est absolutionem ad reinci-
 dendum, esse per quam censura tollitur, non in perpetuum
 sed ita vt reditura sit post certum tempus vel post certum
 effectum. Atque esse duplicem, vnam non proprie dictam:
 quæ ex intentione absoluentis non conceditur vt perpetua:
 sed vt limitata certo tempore, vel certo effectu: v. g. vt li-
 bere possit testimonium ferre vel vt collatio beneficij facta
 valeat: aliam vero proprie dictam, quæ ex intentione absol-
 uentis datur non solum ad definitum tempus vel effectum:
 sed etiam vt simpliciter valeat perpetuaque sit, sub conditio-
 ne tamen satisfaciendi vel aliquid faciendi intra certum tē-
 pus; quo transacto & non impleta conditione incidatur rur-
 sus in excommunicationem. Quarum absolutio prior
 dari potest, non modo ad cautelam seu cum de excommu-
 nicatione dubitatur: sed etiam ex certa scientia, seu cum de
 ea incurfa constat.

Posterior vero; quia incurfam excommunicationem ita
 simpliciter tollit, vt nouam imponat sub conditione, requi-
 rit cum potestate absoluenti coniunctam potestatem ex-
 communicandi, vt Nauarr. bene notat in Enchir. cap. 27.
 num. 272. Ideoque talis absolutio vsurpati nequit à Confes-
 sario qui virtute Iubilæi, aut aliarum bullarum Apostolica-
 rum absoluit: quoniam per illam absolueret purè & excom-
 municaret sub conditione: ad quod posterius faciendum, ne-
 que ad tempus, neque ad certum effectum habet vllam po-
 testatem.

Cæterum quod idem Suarez attingit in eadem scēt. sub
 finem: etiam si quis nullâ suâ culpâ non impleat conditio-
 nem, incurtere in censuram sub illa impostam, videtur du-
 rum, & potest improbari ex eo, quod ab excommunicatione
 per absolutionem simpliciter liberatus non ligetur eodem
 vinculo sine vlla noua contumaciæ culpa: à qua vt homines
 reuocentur instituta excommunicatio tanquam accom-
 modata medicinâ, iuxta cap. 1. De sentent. excommunicat.
 in 6.

CAPVT IV.

*De iis que obseruari debent ad ritè impendendam abso-
 lutionem ab excommunicatione, cum incur-
 sam esse constat.*

SVMMARIVM.

- 57 Iuramentum exigendum ab excommunicato antequam absolua-
 tur.
- 58 Que sint præcipienda eiusdem iuramenti virtute.
- 59 A quibus ipsum sit exigendum.
- 60 Et ob que crimina.
- 61 Casus in quibus, ne quidem in foro externo, exigitur.
- 62 Iuramentum non est de substantia absolutionis ab excommunica-
 tione, ita vt ea valere possit illo omisso.
- 63 Quomodo valeat aut non valeat absolutio ab excommunicatione
 per delegatum data, omisso iuramento.
- 64 Satisfactio faciendâ est re ipsa à Penitente, antequam absolua-
 tur excommunicatione imposta ob offensam manifestam.
- 65 Si re ipsa satisfacere non possit, debet quam potest cautionem da-
 re.
- 66 Quam non implens accepta absolutione, non recidit eo ipso in eam-
 dem excommunicationem.
- 67 Cum ob offensam dubiam fuerit quis excommunicatus, absolui
 potest data tantum cautione.
- 68 An talis offensâ sit certa vel dubia iudicatur in foro interno confes-
 sione Penitentis.
- 69 Ampliationes documenti, quod absolutio ab excommunicatione
 incurfa ob offensam manifestam dari non debeat ante factam satis-
 factionem.
- 70 Eiusdem restrictiones.
- 71 Dubium, an absolutio ab excommunicatione sit valida nō præmis-
 sa satisfactio, explicatur distinctione, quoad habentem potestatem
 ordinariam.
- 72 Quid de eo sentiendum sit, quoad habentem potestatem delega-
 tam.
- 73 Cereemonie absolutionis ab excommunicatione, ac i. P. saluus peni-
 tentialis.
- 74 Deinde verberatio, qua quomodo sit vsurpanda, & quando omittenda.
- 75 Orationes aliæ.
- 76 Tales cereemonie omitti non debent: ipsi tamen omittis valids esse
 potest absolutio.
- 77 Cause, aliquot ob quas licet omitti possunt.
- 78 Non sunt certæ determinatæque verba, forma absolutionis ab ex-
 communicatione.
- 79 Vstitata Ecclesiæ consuetudine datur per verbum Absolutio: & quo
 modo quoad forum penitentiale.
- 80 Seruandum in absolutione, cum quis irretitus est pluribus excom-
 municationibus.
- 81 Mandata danda excommunicato post ipsius absolutionem. Relaxa-
 tum casere, & penam aliquam subire.
- 82 Mandatum item de præsentando se Superiori.
- 83 Post absolutionem ab excommunicatione faciendâ est illius denun-
 tiatio.

Absoluendo ab excommunicatione, alia obseruari debent quando constat excommunicationem incursum esse: alia quando id versatur in dubio: de his in sequenti, de illis in presenti cap. dicemus; quorum alia antecedere debent absolutionem, vt iuramentum, & satisfactio: alia vero comitari, vt ceremonia & formula verborum quibus impeditur: alia demum subsequi, vt mandata danda absoluto, quae omnia sigillatim explicanda sunt.

De iuramento quod exigendum est ante absolutionem ab excommunicatione.

SECTIO I.

57. **P**rimum igitur ab excommunicato antequam ab excommunicatione absoluat, accipiendum esse iuramentum constat ex cap. Ex tenore & ex ca. De cetero. De sentent. excom. vbi Papa potestatem absoluendi ab excommunicatione quosdam percussores Clericorum concedit, conditione hac expressa, vt prius accipiantur ab illis iuramentum. Ex communi autem sententia Doctorum (vt habet Vgolinus, plures commemorans, De censuris tab. 1. cap. 19. §. 5. num. 1.) ipe iurare debet quod parebit mandato Ecclesiae, seu mandato illius a quo absoluentur, prout habent D. Anto. 3. par. tit. 24. ca. 77. §. 1. Syluester Absolutio. 3. num. 3. & Caiet. in verbo Absolutio ab excommunic.

58. Cuius iuramenti virtute post absolutionem vt bene declarat Vgolinus in sequen. num. 2. praecipitur potest & debet primo (iuxta cit. cap. ex tenore) ne delictum propter quod excommunicatus est, de cetero committat, nisi ipse talis esset qui facile in idem crimen prolaberetur, quia tunc oportet infirmitati ipsius consulere: ad alia vero crimina non est extendendum mandatum. Secundo praecipitur potest, vt penam aliquam subeat, v.g. reciter septem psalmos, leianet, elemosinam largiatur. Procedunt vero haec siue excommunicatione sit a iure: siue ab homine: & siue constet sententiam esse iustam, siue de ea dubitetur, vt docet idem Vgolinus in prius cit. num. 1.

59. Non modo autem a viris, sed etiam a foeminis antequam absoluantur ab excommunicatione exigendum esse, & praestandum tale iuramentum, dubitandum non esse habet loco cit. Syluester vbi post D. Anton. addit de pueris, an iurare similiter debeant, relinquit iudicio Episcopi: quod etiam notat Tabiena Absolutio 3. num. 1. Quanquam tamen ius in ea. Quamuis, De sentent. excom. videri potest illos penitus eximere a tali obligatione iurandi.

Notat quoque Couarr. ad cap. Alma mater 1. part. §. 11. num. 11. quod cum tale iuramentum exigatur ad cauendam futuram & praesumptam contumaciam; ipsum exigi debere ab eo etiam, qui iuste excommunicatus, tempore ipso absolutionis satis facit pro culpa commissa.

60. Admonent item D. Anton. Sylu. Tabiena & Caiet. locis citat. dictum iuramentum exigi, praestarique debere ab instantibus, qui ob magna crimina in decretis excommunicationibus incurrerunt, vt ab incendiariis, percussoribus Clericorum, haereticis & huiusmodi aliis. Quorum sententia laudabiliter quidem seruari potest cum absolutio ab excommunicatione datur in foro interiori: quia tunc maxime fides est Pœnitenti habenda: sed quia loquuntur absolute, nec distinctionem illam attingunt, merito cum in foro externo danda est talis absolutio: semper a Pœnitente (vt emendationem pollicenti tuto credatur) exigitur istiusmodi iuramentum, exceptis aliquot casibus, quos persequitur Vgolinus in memorato §. 5. num. 2.

61. Primus est cum manifeste constat sententiam fuisse nullam aut iniustam. Secundus cum sine admonitione & sine scripto, ea lata est, contra formam praescriptam in cap. Sacro. De sentent. excomm. & in cap. 7. eod. tit. in 6. atque is a quo petitur absolutio; est ille ipse qui sententiam tulit. Tertius quando consuetudo est in contrarium: nempe vt tale iuramentum non exigatur. Quartus, quando ipsa nequit absque scandalo exigi. Quintus, quando manifestissimè appareat eum a quo exigitur, pœnitenturum esse.

62. Porro Hostiensis in sua summa tit. de excommunic. §. Et qualiter haec absolutio, existimat id ipsum iuramentum esse de substantia absolutionis ab excommunicatione, & per consequens eandem esse inualem, si illud omittatur. Id

quod admittendum non est. Nam vt Panormit. & Couarr. expresserunt hic in cit. §. 11. num. 7. & ille ad cap. Cum desideres, de sentent. excomm. num. 8. consequens illud aduersatur communi sententiae, statuenti esse validam: pro rationes habet Vgolinus in citato, §. 5. sub finem. Haec autem vna potest nobis sufficere: quod nulla detur inualiditatis causa, quam quae ab Hostien. affertur: nempe quod iuramentum sit de substantia absolutionis ab excommunicatione. Aut non ita est, prout expressit idem Panormit. in praeced. num. 4. & glossa ad memoratum cap. Cum desideres, verbo ad cautelam 1. deducit ex eo, quod ibidem dicitur, excommunicatis cautionem iuratoriam potius ad cautelam ex consuetudine Ecclesiae, quam ex rigore canonum inducendam esse: & ad cap. A nobis 2. eod. tit. verbo, Forma seruetur, deducit etiam ex eo, quod ibidem praecipitur, vt cum mortuus ab excommunicatione absoluentur, forma seruetur: non enim potest a mortuo vel exigi vel praestari iuramentum. Vnde sequitur, quod si mortuus absoluitur ab excommunicatione forma seruata; iuramentum minimè pertinet ad formam siue substantiam absolutionis ab excommunicatione: ita vt possit valida esse illo omisso. Quamquam tamen omitti non debet nisi legitima de causa, iuxta definitionem cap. Super eo, De sententia excommunicationis ac talis omisso, tanquam generali ritui Ecclesiae repugnans, facta sine causa, sufficit ad peccandum; & quidem grauiter nisi excuset bona fides, qua credatur adesse legitimam causam omittendi.

Ceterum istud quod dicitur de validitate absolutionis ab excommunicatione, procedit siue ea danda sit ab illo qui iure ordinario potest, siue ab eo cui simpliciter & absque restrictione fuerit ab illo commissum eam dare; prout annotat Angelus Absolutio 3. nu. 2. Inano & ab eo cui determinatè commissum fuerit dare secundum formam iuris, vt docet Nauarr. in Enchir. cap. 27. num. 37. dummodo talis commissio non sit facta sub conditione ad hunc modum. Concedimus tibi facultatem absoluendi ab excommunicatione, dummodo absoluta in forma iuris: tunc enim absolutio per eum data non valeret, forma ipsa iuris non obseruata vt idem Angelus ibidem annotat: sicut nec valeret si commissio facta esset specialiter sub hac conditione: vt excommunicatus prius iuret de stando mandatis Ecclesiae. Ratio est quam idem attigit, quia tunc ex vi commissionis, iurisdictione ad absoluendum, non aliter comperit, quam seruat a forma, quae in eadem commissione praescribitur. Absolutio autem ab excommunicatione vt valida sit, iurisdictionem requirit.

De satisfactione qua debet absolutionem ab excommunicatione praecedere.

SECTIO II.

63. **S**ecundo, cum quis excommunicatus est pro offensa manifestata, seu de qua constat per ipsius confessionem, aut per probationem legitimam, vel rei euidentiam; is a quo absoluendum est dare debet operam, vt is satisfaciatur sufficienter, realive satisfactione, antequam ipsum absoluat. Pro quo canones & Canonistas commemorant, Vgolinus de Censuris tab. 1. cap. 19. §. 6. in initio & Gregorius Sayrum in thesauro casuum conscientiae lib. 2. cap. 18. num. sexto, Intelligendum est autem non solum cum quis est excommunicatus pro debito notorio; iuxta cap. ex parte 1. de verborum significatione sub finem (in quem locum videndus est Panormitanus); sed etiam cum pro damno dato notorie, iuxta cap. Parochianos, de sentent. excommunic. Cum vero est excommunicatus pro contumacia notoria, priusquam absoluat, debet soluere expensas (inquint Nauarr. & Couarr. ille in Enchir. cap. 26. num. 7. & hic ad cap. Alma mater 1. part. §. 11. num. 11. circa initium) Id quod habetur ex c. Venerabilibus §. Secus autem De sentent. excom. in 6. & vt notat Vgolinus in eodem §. 6. num. 7. id locum habet tam in impensis factis ob primam citationem, quam ob secundam & tertiam: itemque in impensis ob litem factis, quae sunt redditae inutiles, eo quod citans non comparuerit.

64. Quod si in aliquo ex antedictis casibus Pœnitens non possit realiter satisfacere, ille a quo absoluentur, antequam absoluat, faciet ipsum (iuxta c. Odoardus De absolutionibus,

versu Recepta prius: & cap. Ex parte ante memoratum, versu. Si prius, & cap. Qua fronte De appellationibus) cautionem idoneam dare: nimirum per pignora aut fideiussorem, aut si forte hanc non possit, saltem faciat dare iuratoriā, id est, faciet ipsum iurare, quod cum primum poterit satisfaciēt. Idem docent D. Anton. Sylu. & Caiet. anus locis cit. initio huius capituli.

66. Vbi adverte si huius generis præstita, aliquis simpliciter absolvatur, non relabi in priorem excommunicationem, etiam si non satisfaciāt secundum ipsam cautionem à se præstitam. Ita docet Couar. ad cap. Alma mater De sentent. excomm. in 6. 1. par. §. 11. num. 6. vsu Quod si quis, & alij quos commemorat docent; sequiturque Vgolinus in tab. 1. c. 19. §. 9. num. 2. per cap. Ad reprimendam in fine De officio Ordinarij, & cap. Quæstioni De appellationibus: vbi habetur in eadem esse reducendum auctoritate Superioris: unde sequitur non esse eo ipso reductum.

67. Porro si quis excommunicatus sit pro debito dubio vel pro illato damno dubio, aut contumacia dubia, non tenebitur ante absolutionem realiter satisfaciere, etiam si possit: sed ei sufficiet dare cautionem pignoratitiam, aut fideiussoriam si possit. Si vero non possit, iuratoriā, iuxta cap. Ex parte. De verborum signific. & cap. Cum contingat, de officio deleg. & cap. Solet, De sentent. excomm. in sexto, de qua re Vgolinus plenius in præcedenti §. 7. annotans inter cætera, eam locum habere in foro pœnitentiæ, qua potest conveniēter in eo servari.

68. Cæterum ut offensa vel contumacia manifesta, debitum vel damnum illatum manifestum esse censetur: quoad forum quidem externum requiritur vel confessio vel probatio facta Iudici, vel euidētia, prout antea dictum est: quoad forum tamen Pœnitentiæ sufficit secreta confessio Pœnitentis; in quo foro, id habendum est pro certo & manifesto, quod ille se scire; & pro dubio id, de quo se dubitare confitebitur cum in eodem foro cessent præsumptiones: & confessum à Pœnitente habetur pro notorio secundum omnes: vt Natur. habet in Enchir. cap. 26. num. 7. Quocirca cum Pœnitens non dubitat de offensa, etiam si hæc alias sit dubia & occulta, nec sufficienter in foro contentioso probati possit, non est ante absolvendus quam iuxta antedicta satisfecerit, prout ex eod. Natur. annotat Vgolinus in prius memorato §. 6. num. 2. in §. ampliacione: argumento cap. Venerabilibus §. Porro, versu Secus autem, De sentent. excommunic. in 6.

Ampliaciones & restrictiones communis documenti de satisfacione præmittenda absolutioni ab excommunicatione. §. 1.

Occurrit hic monendum illud quod ante habitum est, cum quis ob offensam manifestam excommunicatus est, debere satisfaciere antequam absolvatur, multis modis tum ampliari, tum etiam restringi quos idem Vgolinus in eod. num. 2. persequitur.

69. Ampliatur ergo ut procedat primò, si offensa manifesta sit, siue quia reus illam confitebitur, siue quia condemnatus est de ea per sententiam iudicis, siue quia per se de ea constat. Secundò, etiam si offensa non sit quidem notoria Iudici: tamen ob manifestam, quem excommunicatum esse, sufficienter probatur ab aduersario, iuxta cap. Solet De sentent. excommunic. in 6. Tertio siue excommunicatio sit à iure, siue ab homine. Quarto, siue ordinarius, siue delegatus ipsius absolvere debeat. Quintò, siue in foro iudiciali, siue in foro pœnitentiæ absolvatur petatur. Sextò, etiam si in mandato Papæ quod datur ad absolvendum, nulla fiat mentio satisfacionis. Septimò, etiam si absolvendus, constitutus sit in articulo mortis.

70. Restringitur verò, ut non procedat primò, cum mors ad eo vrget ut satisfaciendi tempus non detur. Secundò, cum eo facultatum tenuitate, absolvendus satisfaciere non potest. Tertio, cum ex aliqua circumstantia satisfaciere non potest nisi sit absolutus: vt cum ideo est quis excommunicatus, quod beneficium curatum habens noluerit suscipere sacros ordines. Nisi enim prius absolvatur, satisfaciere non potest sine peccato mortali, quod committitur suscipiendo ordines in excommunicatione. Quarto, nisi longiori tempore

opus sit ad talem satisfacionem faciendam: vt si reedificanda esset Ecclesia ab ipso destructa. Quintò nisi solum Deum læserit: vt potest contingere cum quis ob aliquam blasphemiam excommunicatus est: tunc enim sufficit pœnitentiā: nisi imposita esset eo nomine aliqua multa pecuniaria, quæ solui debeat ante absolutionem. Sextò, nisi res pro qua excommunicatur non recipiat satisfacionem: vt quod debeat accipere in vxorem illam cui fidem dederat, & iam est alteri coniunctus per verba de præfenti. Septimò, nisi absolutio detur solum ad ferendum testimonium, vel ad obtinendum beneficium: quia actu eo transacto, statim recurret excommunicatio; ideoque nullum inde damnū pars aduersa incurret. In quibus tamen casibus in defectum satisfacionis, exigenda est ab excommunicato cautio qualem dare potest antequam absolvatur. Quæ omnia plenius explicata apud ipsum Vgolinum videri possunt.

Explicatio dubij, De absolutione data non præmissa satisfacione an sit valida. §. 2.

Occurrit præterea explicandum dubium, an valida sit absolutio ab excommunicatione, si detur non præmissa satisfacione quando præmittenda est.

71. Quam explicacionem accommodatè ad vsum fori externi late persequitur Vgolinus in citato §. 6. nu. 5. Nobis pro interno sufficiet vti distinctione cum Caiet. in sua summula, verbo absolutio ab excommunicatione versu. De iudicialibus: nempe quod si excommunicatio sit talis cuius absolutionem sine præmissa satisfacione impensam, ius irritet expressè, vt dicenda aliterque impensa absolutio non valeat, tunc siue ab Ordinario, siue à delegato absolutio impendatur, inuvalida sit. Cuiusmodi expressæ irritationis exemplum habetur in Extrauag. communi Etsi Dominicis gregis 2. De pœnitent. & remiss. sub finem. Similiter inuvalida erit ex eod. Caiet. cum satisfactio ipsa præmittenda est, non solum ex iuris communis debito, quo excommunicatus debet illatam iniuriam resarcire: sed etiam ex debito speciali canonis, quo decreta est excommunicatio de cuius absolutione agitur: nempe cum ille satisfacionem absolutioni præmitti requirit per verba negatiua potentiæ actiue: vt quando dicitur in illo, quod non possit quisquam à tali excommunicatione absolvi ante satisfacionem: aut quod absolutio à tali excommunicatione non possit impendi ante satisfacionem. Cum enim talia verba in tali casu ligent potestatem absoluentis, neque potestas legitime ligata possit suum effectum fortiri: fit ut absolutio ab excommunicatione, ne quidem impensa ab eo, qui de iure ordinariam habet potestatem ad absolvendum, sit valida.

Quod si Canon prærequirit satisfacionem per verba talem modo negatiua potentiæ passiuæ (exemplum esse potest cap. pessimam 23. quaest. 8.) vt si dicatur, Qui tale quid fecerit sit excommunicatus, nec possit absolui, nisi satisfaciāt: aut nullatenus absolvatur ante satisfacionem: valida esse potest absolutio, impensa ab eo qui ordinariam habet potestatem, licet futura sit iniusta. Ratio est quia tunc constitutio iuris, non ad priuandum ordinarium plena sua potestate absoluenti, aut ad eandem potestatem limitandam, sed ad statuendum illi modum seu regulam secundum quam debet absolvi. Quare, inquit Caiet. relinquatur locus abusu potestatis, vt illicita quidem iniustaque detur absolutio, valida tamen: iuxta cap. Venerabilibus §. Sanè, versu Vbi autem. De sentent. excommunic. in 6. Quod idem, eadem de causa, vult etiam Caiet. sentiendum esse cum satisfactio præmittenda est solo debito iuris communis: hoc est datam absolutionem ab excommunicatione per Ordinarium non præmissa satisfacione, quæ de iure communi facienda est læso, valem esse; quoniam vt in eod. §. dicitur: licet talis absolutio sit iniusta, quia contra ius litigatoris sit; non est tamen contra ius constitutionis: ita nimirum, vt debeat ipso iure inuvalida censeri.

72. De absolutione verò impensa ab eo qui ex sola communi habet potestatem absoluenti, sic statuendum est iuxta eundem Caiet. vt si per priuilegium aut Iubilæum aliaue literas Apostolicas commissa sit absolutio, cum verbis significantibus aut importantibus conditionem de præmittenda satisfacione ante absolutionem; non valeat talis ab-

olutio ab excommunicatione, si detur non præmissa ipsa satisfactio: quod etiam expressè tenet Sylu. & Nauarr. *ille excommunicatio septimo num. 65. & hic in Enchir. cap. 27. n. 37.* per illud communi consensu receptum ex glossa ad Clement. 1. de iure patronatus verbo inhihentes: quod absolutio commissi alicui sub certa forma, non valeat, eadem formâ non seruat. Et ratio est, quia is absoluendo aliter, egreditur fines sue commissionis, quæ limitata fuit tali conditione: neque potestatem habet extra commissionem. Iam verò potestate deficiente, actus non valet.

Sin autem eidem commissi sit absolutio, nullâ præscripta speciali absoluendi formâ; sed simpliciter facta absoluendi potestate; aut ceterè cum generalitatem conditione absoluendi secundum formam iuris: etiam si idem similiter sentiendum esse Caiet. insinuat; dum in tali casu valide absoluere concedit tantum Ordinatio: nihilominus tamen contrarium, quod Nauarr. tenet consequenter in eod. num. 37. & post ipsum in citato num. 5. Vgolinus, videtur probabilius; quia nulla potest afferri causa validitatis. Nam si quæ alia, hæc maxime esse potest; quod Papa suis privilegiis & indulgentiis nolit quemquam lædere, ex cap. Quatinus De receptis in 6. Læderet autem eum cui debet fieri satisfactio, si hac non præmissa, valeret prædicta absolutio. Quam rationem non esse sufficientem constat ex eo, quod tantum offendant non esse Summi Pontificis intentionem, vt talis absolutio detur non præmissa satisfactio, cum proximi læsione; non autem quod idem Pontifex intendat, vt si quis iuste vtendo potestate sibi commissi absoluat cum alicuius præiudicio & damno, absolutio sit nulla: sicut nec eiusdem item Pontificis intentio est cum dignitatem conferat, habentem de iure annexam eiusmodi potestatem: vt talis ferat iniustam sententiam: attamen si talem ferat, ea potest esse valida, iuxta textum expressum in paulo superius memorato versu. Vbi autem.

De ceremonijs absolutionis ab excommunicatione.

SECTIO III.

73. **H**ic ceremoniarum nomine intelligimus Pœnitentialem, orationes cum quibus debet fieri absolutio ab excommunicatione iuxta cap. A nobis 2. De sentent. excommuni. vbi sub finem verba hæc habentur: Absolutionis autem forma seruetur, vt fiat cum pœnitentialem Pœnitentialem, & tam Oratione Dominica, quam alia consueta. Quæ pœnitentialem Pœnitentialem Pontificale Romanum in tertia parte, constituit Misereri mei Deus, integrum cum Gloria Patri, &c. Sed Nauarr. ad princip. cap. 1. De pœnitent. distinct. 6. & Caiet. Verbo Absolutio ab excommunicatione *ille num. 54. & in Enchir. cap. 26. num. 8. & hic versu Quoad secundum*, atque alij quorum meminit Georgius Saurus in citato capite 18. num. 17. admonent, illum esse debere, vel alium quemvis ex pœnitentialem.

74. Inter ipsum verò recitandum, iuxta præscriptum eiusdem Pontificis, ille qui est impertiturus absolutionem in quolibet versu debet virga leuiter inter scapulas (easque nudas iuxta D. Anton. 3. part. tit. 2. q. cap. 77. §. 1.) verberare absoluendum: vel certe, vt aliquot alij citati consequenter Saurus habet, leuiter vel acrius secundum quod causa contumaciæ maior vel minor requirit. Idemque addit eiusmodi ceremoniam non tam iure quam consuetudine receptam esse: minimè tamen sine iusta causa omittendam esse, præsertim cum vsus illius valeat ad terrendum & pudefaciendum excommunicatum, atque ad augendum meritum patientiæ ipsius.

75. Iuxta causam verò omittendi quoad nudationem scapularum, censetur adesse quando mulier absoluitur in externo etiam foro: cum non conueniat eam coram Ecclesiastico nudari. Censeri quoque potest adesse, ob iustum aliquem respectum, quando viri absoluitur ex Nauarr. in cit. num. 54. Certe in Pœnitentialem foro non modo mulieres, sed nec quoscumque alios secretò confitentis videntibus aliis verberare licet: tum quia id iniustum est, tum quia auerteret ab vsu Sacramenti tanquam infamatum. Hoc idem ex Caiet. annotans Vgolinus *De censuris tab. 2. cap. 31. in principio num. 2.* addit preces nihilominus semper adhiberi, quæ in publico possunt secretè fieri. Item quando mortuus in loco sacro sepultus, absoluendus est ab excommunicatione, ver-

berandum esse tantummodo sepulchrum ipsius: nec enim exhumandus est, vt glossa penult. ad cit. cap. A nobis habet.

Iam orationes illæ consuetæ, quæ ad Pœnitentialem ex definitione eiusdem cap. A nobis adijungi debent, hæc traduntur in memorato Pontificali: Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison, Pater noster, &c. Et ne nos inducas in tentationem. Respons. Sed libera nos à malo. Versu Salutem facerem tuum, vel ancillam tuam, Domine. Resp. Deus meus sperauit in te. Vers. Nihil proficiat inimicus in eo, vel in ea. Respons. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. Vers. Esto ei Domine turris fortitudinis. Respons. A facie inimici. Vers. Domine exaudi orationem meam. Respons. Et clamor meus ad te veniat. Vers. Dominus vobiscum Respons. Et cum spiritu tuo. Oremus. Deus cui proprium est misereri semper & parcere suscipe deprecationem nostram & hunc famulum tuum, vel famulam tuam: quem, vel quam, excommunicationis catena constringit, miseratioque pietatis absoluat. Per Christum Dominum nostrum Amen. Cui orationi, adhuc aliam ipsam Pontificale subiungit: sed Caiet. & Nauarr. alique solum meminerunt memoratarum: neque Pœnitentialem a iungant Pœnitentialem Deus miseretur nostris: sicut adiungitur in eodem Pontificali.

Cum autem eiusmodi orationes, iuxta sententiam receptam, vt habet Vgolinus, in eod. cap. 3. §. 2. num. 2. non sint de forma & substantia absolutionis ab excommunicatione: & grauius peccet absoluitur, qui sine rationabili causa scienter illas omittit, vt pote agendo contra directionem iuris eas exigentis: tamen absolutio valet, etiam data ab illo cui commissum est vt absoluat in forma Ecclesiæ. Quod Caiet. probat in verbo Absolutio ab excommunicatione versus Quoad tertium: quia ceremoniæ absolutionis, instituntur & committuntur tanquam ceremoniæ, hoc est, tanquam ea quæ seruari debeant in absoluendo; non tanquam ea quæ sint necessaria ad substantiam absolutionis.

Causa verò illa iusta, vt dicitur idem Vgolinus in præced. num. 1. contingit primò cum quis absoluatur ad tempus: vt cum absolutio ei datur, vt testimonium ferat. Secundò, cum is qui absoluit non est Sacerdos. Nam preces Deo esse pro peccatis, minus est proprium Sacerdotum. Cap. Quia Sacerdotes 10. quæst. 1. Tertio, cum premit temporis angustia, vt si excommunicatus iam exhalet animam. Quarto, cum quis iniuriâ excommunicatus est: qui sine difficultate mox absoluendus dicitur in cap. Venerabilibus. §. Sane versus Si verò, De sentent. excommunic. in 6. Quintò, cum excommunicatio lata est sine rationabili causa manifesta, aut non præmissa monitione. Nam & tunc absolutio debet sine difficultate dari iuxta cap. Sacro De sentent. excommunic. Sextò, cum petitur absolutio ad cautelam, hoc est, quæ tribuitur eò quod non habeatur pro certo, an illam petens, excommunicatus sit necne. Nam tunc ex Nauarr. in Enchir. cap. 26. num. 9. necesse non est ceremonias adhibere.

De forma absolutionis ab excommunicatione.

SECTIO IV

76. **R**ecitatis verò quæ traditæ sunt rationibus; subiungenda est forma absolutionis ab excommunicatione de qua D. Antonius & Richardus: ille in cit. §. 1. & hic in 4. dist. 18. art. 10. quæst. 5. & in verbo Absolutio, 3. num. 2. Angelus & Syluester: ac in verbo Absolutio ab excommunicato. Caiet. & tum loco citato, tum in seq. cap. 27. nu. 37. Nauarrus: ac etiam Sotus & Couarr. ille in 4. distinct. 22. quæst. 2. art. 3. sub finem & hic in sæpe citato §. 11. num. 7. versu Imò & aduersus: tradunt quod eiusmodi formæ non sint certa determinataque verba: ita vt absolutio valeat, non solum si dicatur Relaxo tibi excommunicationem vel Benedicto te; vel aliquid æquiuale: dummodo remotionem excommunicationis significet: vt ex communi Doctorum sententia post Nauarr. in comment. De lubilæo habet Vgolinus in præced. cap. 30. §. 1. num. 1. prolatumque sit cum intentione absoluendi. Quamquam vt Caiet. monet & attingit Syluester. Absolutio 6. num. 2. consueto Ecclesiæ obinuit vt talis absolutio per verbum Absolutio, impendatur; quod patet ex forma, quæ in Pontificali Romano proponitur memoratis omnibus subiungenda ad absolutionem excommunicato im-

pendendam: & ex ea quam in foro pœnitenti, recitatis iudicem orationibus vsurpandam ad absolvendum ab excommunicatione Pœnitentem, de quo constat aliquam incurrisse, Nauarrus in citato cap. 26. num. 8. tradit: quæ est, Autoritate qua fangor absoluo te à vinculo excommunicationis, quod incurristi ob hæc vel illam causam: vt v.g. ob violentiam manuum iniectionem in Sacerdotem: vel ob lectionem librorum hæreticorum: & restituo te Sacramentis Ecclesiæ, & communioni fidelium, In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Amen.

80. Addit verò idem Nauar. Primò, quod si Pœnitens ob multas causas excommunicatus sit, eas in absolute exprimentas esse; alioqui iuxta communem sententiam, esset tantummodo absolutus à vinculo illius excommunicationis, cuius expressa est causa, manente vinculo aliarum, quarum causæ non sunt expressæ.

Secundò, si Pœnitens ob vnam tantum causam sæpius excommunicationem incurrit, sufficere vt in absolute ad datur, toties quoties eam incurrit.

Tertiò, quamuis hæc ita sint, tamen si Confessarius habuerit intentionem absoluedi Pœnitentem ab omnibus excommunicationibus quibus ipsam irretitum esse nouit (eas omnes comprehendendo illis suis verbis, Absoluo te à vinculo excommunicationis) absoluit ab omnibus, etiam si in absolute non exprimat causas omnium; nec addat illa verba: Toties quoties eam incurristi. Ratio est, quia cum sola verba, Absoluo te à vinculo excommunicationis, sint forma sufficiens, cætera que addantur, non ad necessitatem, sed tantum ad maiorem declarationem eius quod agitur, ex Vgolinus in sequent. §. 2. per ea tolli possunt omnes excommunicationes, quibus aliquis irretitus est, si cum tali intentione ab habente sufficientem iurisdictionem profertur.

Quartò, quando Confessarius absoluit Pœnitentem ab aliqua certa excommunicatione, qua ipsum teneri videt, debere adhuc eundem generaliter ab omni excommunicatione absolueri sub conditione; si, vel, quantum possum, & indigens. Nam si hoc faciendum est cum non videt aliqua excommunicatione Pœnitentem teneri, vt quotidiana fert Ecclesiæ consuetudo: quidni etiam facere debeat, cum videt aliqua teneri.

De mandatis, que subsequi debent absoluteionem ab excommunicatione.

SECTIO V.

81. Post absoluteionem ab excommunicatione, absoluens debet absolue, vt iuramentum de quo dictum est sect. 1. facere iusta ac rationabilia mandata, prout prescribitur in Pontificali Romano: & tradunt communiter Doctores quorum meminit Georgius Saurus in thesauro casuum conscientie lib. 2. cap. 8. num. 22. Et ratio est quam tabula 1. cap. 19. §. 9. in principio, habet Vgolinus: quia ex quo se obtulerat promissit, iure merito si quid sibi legitime mandetur, debet illud facere. Dictum est autem iusta & rationabilia: quoniam, vt ostendit Nauar. ad princip. cap. 1. De pœnitenti. distinct. 6. num. 54. sub finem: alias is cui fiunt, possit appellare in foro externo, & illa non acceptare in foro pœnitenti. Mandata verò iusta, vt docet Vgolinus in præceden. §. 5. numero 2. erunt primò, si iuxta cap. Ex tenore De senten. excommunicat. iniungatur excommunicato à iure, ne contra eum Canonem cuius violatione in excommunicationem incurrit, vquam veniat: vt verbi gratia, ei qui sine facultate libros hæreticorum legit, vt numquam sine facultate legat: & qui iniuste percussit Clericum, vt numquam iniuste percutiat: & sic de alijs criminibus, ob quæ fuerit excommunicatus: non item de cæteris, hoc est, de iis propter quæ non est excommunicatus, prout addit idem Vgolinus. Cum quo etiam adde, ab eo genere mandati esse abstinendū, si probabiliter timeatur quod Pœnitens non sit illud seruaturus; & idcirco periculum incursum. Ita enim colligit ex eodem cap. Ex tenore sub finem: vbi dicitur: ab eo qui excommunicatus est propter Clerici percussorem, non esse exigendum iuramentum, quod nunquam percutiet, si sit eius quem percussit, socius: quia vt notat glossa, propter assiduam con-

uersationem præsumitur facile peruenturus a verbi ad verba.

Secundò, mandari poterit vt aliqua in pœnam subeat: nempe iuxta eundem Vgolinus, vt septem Psalmos Pœnitentiales sæpe recitet: aliquibus diebus ieiunet, pauperibus aliquid largiatur; quod mandatum sub iuramento præstito feruare tenebitur, nisi irrationabile esse inueniatur: nempe quia illud implere vel non potest, vel non debet. Additur in memorato Pontificali posse cum mandato exigi cautionem: pro quo facit. Cap. Grauem, De sent. excomm.

82. Monet item de casu in quo quis à Sacerdote ob mortis articulum, aliudve impedimentum legitimum (à quo alias non potuit) absolutus est ab excommunicatione, referuata Superiori, quem adire non potuit, Monet inquam pro mandato iusto ac rationabili, iniungendum esse tali, vt sublato impedimento se præsentet ipsi Superiori à quo erat absoluedus: mandata ipsius accepturus: de quo idem Vgolinus consequenter Seruandum autem est diligenter, & Pœnitenti ferid n. ulcandum cap. Eos, De sent. excommunic. quod non implentem idipsum mandatum, reuocat in eandem excommunicationem.

83. Superest monendum absoluteionem datam excommunicato, denunciandam esse, vt intelligatur quæ ei per excommunicationem erant prohibita, iam beneficio absoluteionis licere. Quæ denuntiatio seu publicatio sic fieri debet; vt de ipsa absoluteione perinde constet, ac de excommunicatione ante constituit. Vnde hæc publica vel occulta esse debet secundum quod illa publica vel occulta fuit. De qua re in particulari, plura Vgolinus tab. 1. cap. 24. in ordine ad forum externum. Pro foro interno illud tantum admonens, num. quarto: in ordine ad idem forum, fidem Confessario haberi, præter quem nullus in eo testis admittitur ex Concil. Tridentin. sess. 14. cap. 5. versu Cæterum quoad modum, &c.

CAPVT V.

De iis que obseruari debent cum non constat de excommunicatione.

S V M M A R I V M.

- 84. Absoluteio ad cautelam seu sub conditione, quando & quomodo danda.
- 85. Ea non requiritur ante tradita.
- 86. Solutio obiectionis, quod inde sequeretur meliorem esse conditionem obliuiofi, quam memoris.
- 87. Non nunquam consultum est, absoluteioni ad cautelam premittere exactionem iuramenti.
- 88. Quomodo per absoluteionem ad cautelam tollatur excommunicatio incursa ob offensam notoriam.
- 89. Excommunicatio per obliuionem tacita in confessione, tollitur per absoluteionem que communiter in foro pœnitenti datur, si Confessarius sufficientem habeat potestatem.
- 90. Cum nescitur an valida sit excommunicatio, absoluteio datur ad cautelam de iuris benignitate.
- 91. Opponitur aduersus eam in foro exteriori.
- 92. Non in foro interiori: in quo quatenus satisfactio ei absoluteioni premiti debeat.
- 93. Non sufficere cautionem aut promissionem fieri pro satisfactioe, cum quis absoluitur virtute potestatis ad absoluedum ab omnibus censuris, concessis in rubricis aut in alijs Bullis Pontificijs.
- 94. Dubitans de excommunicatione tenetur illius absoluteionem perire: siue dubitatio sit de iure, siue de facto: & quacumque de causa dubitetur.

84. Sicut cum excommunicatio scitur lata esse & valida, danda est excommunicato absoluteio simpliciter, nempe secundum formam superius expositam: ita cum dubitatur an sit lata, vel scitur quidem lata, sed dubitatur an valeat, danda est sub conditione; siue, vt communiter dicitur, ad cautelam istiusmodi verbis secundum Syluestrum; absoluteio sexto numero secundo & Nauar. in Enchir. cap. 26. num. 10. Si teneris aliquo vinculo excommunicationis, à quo possum te absolueri, ego absoluo te, & restituo te Sacramentis Ecclesiæ & communioni fidelium: In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Nisi quod ex communi sententia, vt Nauar. ibidem addit, necesse non est adiungere Restituo te Sacramentis Ec-

clesia, & communioni fidelium; quia eo ipso quod excommunicatus absoluitur, illis restituitur. Vnde intelligimus per ea verba quae Polancus habet in suo direct. Absoluo te à vinculo excommunicationis, in quantum possum & indiges; sufficienter hanc de qua agimus absolutionem ad cautelam impendi.

De obseruandis cum dubitatur an excommunicatio incurfa sit.

SECTIO PRIOR.

35. **C**eterum cum dubitatur an incurfa sit excommunicatio, vt cum Pœnitens conscientia prout potuit sufficienter examinata, nescit se aliqua ligari; nihil eorum quae ante posita sunt de iuramento, satis factione, precibus & mandatis necesse est seruari: vt Nauarr. ad princip. primi cap. De pœnitent. distin. 6. num. 66. confirmat ex consuetudine iam diu in Ecclesia usitata, quae illis non seruatis, Confessarij antequam à peccatis Pœnitentem absoluant, etiam nescientem se excommunicatum, ad cautelam à censuris absolunt quantum indiget & ipsi possunt. Quamquam negandum, non est quin, vt idem Nauarr. addit, Pœnitens ipse debeat saltem esse eo animo, vt si se excommunicatum sciret, satisfaceret: & cum primum tale quid forte rescierit, satisfactorius sit. Debeat, inquam, propter obligationem quam haberet refarciendi iniuriam alteri à se illatam: cui quantum potest, satisfieri pœnitentiale forum exigit, iuxta cap. 1. 14. quæst. 6. Pœnitens vero, qui ignorat iniuriam à se illatam, non potest eidem satisfacere aliter, quam præbendo se paratum ad satisfaciendum vbi res innotuerit.

86. Sed opponi potest sequi ex dictis, obliuiosum ac minus diligentem, melioris conditionis esse, quam memorem ac diligentem in cognoscenda excommunicatione à se incurfa: quando quidem cognoscenti, non autem ignoranti, antedicta iniunguntur ad consequendum absolutionis beneficium. Ad quod idem author consequenter respondet, meliorem esse melioris & diligentioris conditionem, quoad animæ commodum, quod solum in foro pœnitentia spectatur. Ceterum enim est, maius esse animæ meritum confitentis peccatum & pro eo satisfaciens, quam non confitentis: quantumuis contingat, quia obliuio est excusabilis, tam id ipsum peccatum quam censuram ei annexam, tolli cum aliis peccatis & censuris de quibus specialis in confessione facta est mentio: interueniente absolutione accepta à Sacerdote prædico potestate ad id sufficienter.

87. Admonet præterea videri consultum, vt ab illis qui raro confitentur, & quos alicunde censuras incurrisse probabiliter dubitatur, iuramentum ante absolutionem exigatur de faciendo, quam poterunt commodissime, & citissime quidquid debent, si de aliqua censura qua irretiantur, noticiam in posterum habeant. Ab alijs autem neque præstari debere, neque peti consilium esse: imò neque ab illis prioribus id exigendum esse contra consuetudinem iam pridem receptam si nolent libenter præstare.

88. Ad demum congruenter à se antedictis, idem Nauarrus consequenter num. 68. 69. & 70. statuit: primo si quis adhibita iustà cura reuocandi in memoriam peccata sua, ad cautelam absolutus sit ab excommunicatione, eo modo quo proposuimus; ipsum liberum reddi etiam ab excommunicatione in quam incurrit ob notoriam offensam pro qua satisfactio faciendâ erat antequam absolueretur: dummodo ipse esset ea mente, vt si illius meminisset, statim ante absolutionem si potuisset, satisfactorius esset ac præstiturus quod pro tali offensa deberet.

Statuit secundo iuramentum, satisfactionem, preces, & mandata, de quibus in præced. cap. non esse de substantia absolutionis: cum hæc sine illis valere possit.

89. Statuit tertio illum qui confessus est alicui qui potuit ipsum absolueri ab omnibus peccatis & censuris, posse à reseruatis, quae confiteri oblitus fuerit, absolui postea à quouis Sacerdote inferiori: quod ipse alijs citatis habet etiam ad cap. Consideret, De pœnitent. distin. 5. §. Cautus sub finem. Vbi vult id intelligi dummodo Confessarius absolutionem à peccatis præmiserit absolutionem à censuris, quatenus opus esset, & ipse posset: sicut communiter fit per vsu receptam formulam, Absoluo te imprimis à vinculo

excommunicationis, suspensionis & interdicti in quantum possum & indiges, deinde, Absoluo te à peccatis tuis. Intellege autem iuxta eundem, siue expresse præmiserit, siue tacite propter dictum illud Gersonis; Quod Confessarius qui recta intentione super Pœnitentem dixit Absoluo te à peccatis, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti: non solum à peccatis, sed etiam à censuris absoluisse iudicandus sit.

De obseruandis cum dubitatur an excommunicatio sit valida.

SECTIO POSTERIOR.

Cum autem scitur quidem, laram esse excommunicationem, id est, commissum esse à Pœnitente factum, propter quod excommunicatio decreta est; sed nescitur an sit valida, id est, propterea ipse ligetur, eo quod opponat sententiam continere errorem intolerabilem; aut fuisse laram post legitimam appellationem; aut ab eo à cuius iurisdictione exemptus esset, aut aliquid aliud eiusmodi: eidem Pœnitenti perenti absolui, absolutio ad cautelam tantum (vt Couarr. notat. ad cap. Alma mater 1. par. §. 12. num. 7. ex quadam iuris benignitate & gratia impenditur: quia non peti simplicem absolutionem humiliter confitens se excommunicatum: sed potius negat excommunicationem, quideo de rigore non foret absoluendus, sed solum admittendus ad probationem eius, quod allegauerit ad ostendendam inualiditatem excommunicationis.

De cuiusmodi gratia iuris, aperte constat ex cap. Solet, De senten. excomm. in 6. vbi definitur dictam absolutionem perenti, non esse negandam, quamuis in contrarium se excommunicator, vel pars aduersa opponat: nisi forte illam asserant pro manifesta offensa excommunicatum esse: in quo casu indulgendum est asserenti terminis octo dierum, vt si probauerit quod opponit, non relaxetur sententia, nisi prius sufficiens præstetur emenda, vel si offensa dubia proponatur, competens cautio de parendo iuri.

Ex qua definitione quamuis sequatur, quod ante examinationem inualiditatis possit Pœnitens ad cautelam absolui ab excommunicatione, quam dicit inualidam: nihilominus (vt loco cit. Couarr. post Innocent. & alios nonnullos docet) quando inualiditatis causa adfertur defectus iurisdictionis in excommunicatore; semiplena saltem probatio eiusdem defectus requiritur, antequam debeat absolutio impendi: ne iudici ordinario passim fiat illusio. Quod item faciendum addit, quando causa inualiditatis adfertur, quod appellatio præcesserit latam sententiam excommunicationis.

Sed hæc intelligenda sunt tantum quoad forum contentiosum. Nam in foro pœnitentia statim confessioni Pœnitentis: neque auditur contra eum aduersarius, ne quidem opponens quodis pro manifesta offensa excommunicatus sit, iuxta Nauarr. in Enchir. cap. 27. num. 272. *sen in regulis Confessariorum circa finem vers. 6.* Quæ tamen differentia non est extendenda ad satisfactionem, vt idem admonet. Quod enim per cit. cap. Solet, satisfactio præmittenda est absolutioni ad cautelam, quando offensa est manifesta: & competens cautio quando est dubia: non tantum in foro exteriori locum habet, sed etiam in interiori. Non enim vt citato, vel oppositio facta ab aduersario aliena est à foro interiori, sic & satisfactio vel cautio competens; sed tam hæc quam illa ei quoque congruit. Itaque excommunicato agnoscente offensam propter quam excommunicatus est veram esse, is prius cogendus est, satisfacere quam ei perenti impendatur absolutio: Sin dubitet an offensa sit vera, dare cautionem. Quamquam in casu talis dubitationis potest quoad internum forum, sufficere firmiter propositum satisfaciendi debito vel offensa, si eam veram esse apparuerit prout in præceden. versu 4. Nauarr. ipse addit.

Simul admonens id locum non habere quando Confessarius absoluit tanquam delegatus, cui non est specialiter commissa absolutio ad cautelam, sed (prout fieri solet in lulis & alijs Bullis Papæ) absolutio simpliciter ab omnibus peccatis & censuris. Nam talis, non solum cum Pœnitens de offensa certus est: sed etiam cum dubitat, nequit ad cautelam sine præula satisfactioe absolueri cū sola cautione: & mul-

to minus cum solo firmo proposito satisfaciendi cum primū confiteri de veritate.

Ad quod facit quod Couar. tradit in citato num. 7. versu *Index* verò: absolutionem ad cautelam esse extraordinariam & inducendam Apostolicæ Sedis quadam gratiâ: ideoque non esse cuius Iudici permittendam, vbi non fuerit specialiter à iure permilla.

Si quæras an taliter dubitans teneatur petere absolutionem. Respondetur cum Syluest. Absolutio 3. num. 14. teneri: quia in dubiis tutior pars est eligenda cap. Iuuenis: De sponsal. cap. Ad audientiam. cap. Significasti De homicid. & ad rem præsentem magis accommodatè. Cap. Illud De Clerico excommunicat. ministr. An autem in foro exteriori eo ipso quod quis perit simpliciter se absolui ab excommunicatione habendus sit excommunicatus sua confessione (quod pluribus disputat. Couar. in preced. num. 1. (quia nihil refert ad nostrum institutum, in eo non immorabimur.

Illud ad extremum occurrit monendum quod Vgolinus De censuris tab. 1. capite 22 § 1. num. 9. plenius explicat: dicta in priore huius Capituli sectione procedere sine dubitatione si facti, siue iuris: hoc est, siue dubitetur an Pœnitens commiserit factum propter quod imposta est excommunicatio: siue an à iure, vel ab homine laici sit excommunicatio in tale quid facientem. Item dicta in sectione posteriore procedere: ex quacumque causa censetur excommunicatio inualida.

Explicatio spectantium tum ad validitatem excommunicationis: tum ad causas ab excommunicatione excusantes, quorum notitia requiritur ad usum legitimū absolutionis ab excommunicatione.

Confessarius in usu absoluedi ab excommunicatione debet instructus esse non tantum de anteceditis: sed etiam de ratione iudicandi, an excommunicatio qua Pœnitens apparet irretitus, valida sit nec ne, sique esse videatur: analiqua deur causa ipsum ab illa excusans: atque si non detur, an excommunicatio sit reservata. De quo quidem tertio vniuersè possunt sufficere dicta in preced. lib. 8. à cap. 4. & in lib. 1. cap. 11. In particulari verò de lata in percussorem Clerici vel Monachi, iam dictum est in appendice ad memoratum librum. De latis in Bulla Cœnæ Domini, refertendo peculiariter earum absolutioni, dicemus in præsentiarum. De cæteris verò quoad earum reservationem nihil occurrit dicendum: nisi id ipsum quod in memorata appendice dictum est, quoad reservationem latæ in percussorem Clerici: accomodandum esse ob paritatem rationis ad reservationem vniuersi cuiusque illarum ac particulares materias commodius expendendas propriis locis in sequenti parte. tomo secundo maximè. Jam verò de duobus prioribus pro eorum explicatione, dicendum est quid, & quotuplex sit excommunicatio: à quo, in quem, qua de causa, & quo modo ferri debeat vt valida sit. Item qua ratione cognoscatur eam incurfam esse: & quæ ab ea incurrenda excusent. Quapropter sextum huius libri caput erit de definitione & diuisione excommunicationis, septimum de eo à quo debet excommunicatio ferri, vt valida sit. Octauum, de eo in quem ferri debeat. Nonum, de causa ob quam ferri debet. Decimum, de modo quo ferri debet. Vndecimum, de iis quæ ab ea incurrenda excusant, quantum quis aliàs sit valida. Duodecimum, De ratione qua cognoscendum est an ea sit incurfa. Reliqua verò ponentur in explicatione Bullæ Cœnæ Domini.

CAPVT VI.

De definitione & varia diuisione excommunicationis.

SVMMARIVM.

- 95 Definitio excommunicationis: ad cuius declarationem proponitur varietas honorum, in quibus Christi fideles communicant.
96 Diuiso excommunicationis in generalem & specialem.
97 Diuiso eiusdem in eam que est à iure, & in eam que est ab homine.
98 In quo maximè differant duæ illæ excommunicationis species.

- 99 An ex consuetudine sit aliqua excommunicatio.
100 Diuiso excommunicationis in comminatoriam, & lata sententia.
101 Diuiso in Papalem, Episcopalem, & communem.
102 Diuiso in iustam & iniustam.
103 Tres casus in quibus excommunicatio censetur iniusta.
104 Subdiuiso iniusta in validam & inuaidam.
105 Quando ex parte excommunicantis excommunicatio sit nulla.
106 Quando ex parte cause, propter quam fertur.
107 Quando ex parte modi quo fertur.
108 Diuiso in absolutam & conditionalem.
109 Quid sit tenendum de excommunicatione lata in aliquem, nisi intra certum tempus soluat creditor; & hic illi prorogat terminum præscriptum.
110 Diuiso excommunicationis in maiorem & minorem.
111 Sententia eorum qui peccatum mortale faciunt speciem excommunicationis; cum illius resutatione.
112 Ratio discernendi inter excommunicationem maiorem & minorem.

Definitio excommunicationis.

SECTIO I.

Quid in genere sit excommunicatio, illa definitio explicat; qua dicitur censura Ecclesiastica, à Canone vel à Iudice Ecclesiastico prolata, priuans communionem fidelium. In cuius declarationem aduertit, censuram esse correctionem culpæ: & communionem fidelium posse esse, vel ipsorum prout homines sunt, vel prout fideles sunt: prioreque modo vel esse interiorem, nempe in natura humana, in qua omnes communicamus; vel exteriorem, nimirum in cōuersatione ciuili, quâ homines inter se communicant colloquiis, salutationibus, conuiujs, & negotiorum tractatione. Posteriore autem modo posse esse, vel in donis interioribus siue fidei, ob quam in fidelium nomine ipsi communicant: siue charitatis ob quam ipsi constituunt Sanctorum communionem: cuius est mentio in Symbolo: in quo sicut præcedens articulus Credo Sanctam Ecclesiam, pertinet ad fidem: ita subsequens Sanctorum communionem, pertinet ad charitatem quâ viuæ Christi membra conglutinantur (quod habet Sotus in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 1. col. 6.) vel esse posse in Ecclesiæ intentione, secundum quam fideles communicant in precibus communibus, iis que Clerici quatenus Ecclesiæ ministri faciunt vel in rebus exterioribus, qualia sunt templa & cœmeteria: vel demum in rebus partim interioribus partim exterioribus, qualia sunt sacramenta: hocque modo accipi debet distinctio communionis fidelium in interiorem exteriorem & mediam, vsurpata ab authoribus quorum plerisque commemorat Couar. ad cap. Alma mater De sentent. excommunicat. in 6. in initio nu. 2.

Cum autem hæc ita sint, non solet quidem Ecclesia per excommunicationem priuare fideles bonis naturalibus; solet tamen conuersatione ciuili: quod facit congruenter sacræ scripturæ. Nam D. Paulus in priori ad Corinth. cap. 5. prohibet conuersari cum fornicarijs: & in posteriori ad Thess. cap. 3. cum iis qui non obediunt verbo ipsius, & D. Ioannes in Epist. 2. cum qui non adfert doctrinam veram, non esse recipiendam in domum, nec auri dicendum. Quod si quis opponat ciuilem conuersationem cōuenire homini ex quadam naturæ lege; homo enim ex natura sua est animal ciuile: ideoque non videri consentaneum vt Ecclesia hominibus illâ interdicit. Respondetur, Ecclesiam interdiceret alicui conuersatione ciuili, quia licet sit naturæ hominis consentanea: ipsa tamen per quorundam vel infirmitatem, vel malitiam perniciosam esse potest disciplinæ Ecclesiasticæ: cui vt consulatur potest aliquis à ipsa priuari, Nam alioqui nec consentaneum esset quemquam à Magistratu ciuili conici in carcerem.

Quod attinet ad bona fidelium vt fideles sunt: internis quidem donis fidei & charitatis, Ecclesia non solet per excommunicationem priuare. Neque enim ob hæresim; aut aliud peccatum mortale aliquem excommunicans, eum priuat fide aut charitate: sed supponit his esse priuatum sua voluntate: si se quidem per hæresim aut aliam infidelitatem: charitate verò per quodcumque peccatum mortale, De qua re plenius Vgolinus in tab. 2. de censuris cap. 9. §. 7. Com-

munibus verò precibus, & Sacramentorum, aliarumque rerum Ecclesiasticarum usu, privare solet: quod alibi tractandum est, nimirum 3. parte tomo tertio libro vltimo. Quotuplex verò in genere sit excommunicatio, variis diuisionibus tradi solet: quarum vna tantum est generis in suas species, nempe in maiorem & minorem. Cæteræ enim sunt subiecti in sua accidentia: de quibus sigillatim est deinceps dicendum.

Diuisiones excommunicationis in generalem, & specialem: à iure, & ab homine.

SECTIO II.

96. **P**rima igitur diuisio est in generalem & specialem: illa est, quæ generaliter fertur in eum qui hoc vel illud fecerit: hæc verò, quæ aliquis excommunicatur nominatim, id est, expresso nomine proprio ipsius: aut saltem (quod habent Sotus in sequent. art. 4. col. 2. & Couarr. ad memorat. cap. p. 1. §. 2. n. 8.) appositis aliquot signis, quæ certò & indubitanter ipsum demonstrent, designentve tam speciatim, quam si proprio nomine exprimeretur. Vnde pro nominatim excommunicato habendus non est is, qui egerit contra canonem quo excommunicatio imponitur facienti certum quid, vt clericum vel monachum percutenti; quantumcumque apertè confiterit, factum ipsum, pro quo imposta est excommunicatio, perpetratum esse ab eoid quod Couarr. adhuc habet loco citato.

97. **S**ecunda, diuisio excommunicationis, est in eam quæ à iure & in eam quæ ab homine imponitur. Illa autem dicitur esse à iure imposta, quæ ab habente auctoritatem statuendi ius Ecclesiasticum (vt ordinariam habent, Episcopi, & Episcopo superiores atque Concilia tum generalia, tum provincialia: atque extraordinariam inferiores Episcopo habere possunt ex commissione aut priuilegio, aut ex consuetudine aliqua legitime præscripta) perpetuo statuto lata est: quod post Anton. D. 3. part. tit. 2. cap. 7. 4. annotat Caiet. verbo *absolutio sub finem*, Syluester verbo *Excommunicatio* 1. §. 3. Qui addit eam duplicem vnam à iure communi, id est à iure quod vel in Concilio generali, vel à Summo Pontifice statutum, ligat fideles per totam Ecclesiam: alteram à iure seu constitutione particulari sancitam in Concilio provinciali, vel in synodo alicuius diocesis, vel à Sedis Apostolicæ Legato alicuius provincie, vel ab Episcopo. Quæ perpetua quidem est, sicut præcedens: sed non extenditur ad loca quæ sunt extra eam diocesim vel provinciam: vt nec iurisdictio eius à quo est lata.

Ab homine verò esse excommunicatio illa dicitur, quæ ab habente auctoritatem (de quo in seq. cap. 7.) lata est absque intentione faciendi constitutionem aliquam perpetuam; sed tantum ad tempus, siue definitum siue indefinitum: nempe, ex Sylu. *ibid.* vt ad tempus prouideatur alicui vel aliquibus personis: vt si à Summo Pontifice excommunicentur omnes, qui in colloquio cum monialibus turpia verba vsurpauerint, vel qui se immiscuerint alicui certo negotio: vt v. g. qui ad aliquod bellum in Ecclesiæ perniciem exortum, profecti fuerint de nouo.

98. **C**æterum à D. Anton. loco cit. post Palud. in 4. *distinct.* 1. 8. *quest.* 5. art. 2. & post vtramque à Nauar. in *Enchir.* cap. 27. num. 2. immo & ab aliis communiter, discrimen inter hæc duas species constituitur præcipue; quod excommunicatio ab homine, cesset mortuo, aut ablato ab officio illo, à quo lata est, nisi confirmetur à successore, argumento capitali Ex scripto de locato & conducto: ex quo habetur vnum legatum, posse alterius, cui succedit, statutum confirmare. Cessat, inquam, comparatione eorum qui illam non incurrunr, eo à quo lata est fungente adhuc officio suo; prout notant Palud. loco cit. & Panorm. ad cap. *A nobis* 1. De *sentent. excommunicat.* num. 12. Itaque si Episcopus aleatores excommunicauerit: ipso mortuo, aut ab Episcopatu deposito, cessat illa excommunicatio, excepto quod illi, qui ipso adhuc tenente Episcopatum eam incurrerunt, permaneant irretiti, debeantque petere absoluteionem ab eo qui succedit in eadem iurisdictione, aut à Superiore iuxta cap. Si Episcopus 11. *quest.* 3. Excommunicatio verò à iure nisi à successore aut à Superiore abrogetur, permaneat defuncto eo qui tale ius condidit iuxta cap. finale De officio Legati: in quo

decernitur statuta Legati durare etiam finita legatione.

Porro quamuis, vt notat Panorm. ad rubricam, De *sentent. excommunicat.* & post eum Sylu. loco cit. excommunicatio minor ab homine, non sit in usu: negandum tamen non est quin omnis ille qui maiorem ferre potest, minorem quoque ferre possit, prout offendit Couarr. ad cap. *Alma mater* 1. parte §. 8. numero 5.

99. **Q**uærit autem Syluester *ibidem*, Num præter excommunicationem à iure & ab homine aliqua sit consuetudine: respondetque nullam esse: quod etiam docent D. Anton. in memorato cap. 7. 4. & cum Hostiensis Angelus excommunicatio 1. num. 6. ac cum Rosella Nauar. in *Enchir.* cap. 27. num. 7. vbi moderationem hanc adhibet (vt & Angelus) nisi consuetudo approbata sit à Summo Pontifice, aut ab alio Prælato quoad suos subditos: quia tunc ea vim habet statuti. Adde etiam ex Sylu. *ibid.* nisi habeat (vt ille loquitur) obseruationem & opinionem hominum, quod sic faciens excommunicatur: quia & tunc aut verè aut præsumptiue cæsetur constitutio edita.

Excommunicationis diuisiones in comminatoriam & lata sententia: in Papalem, Episcopalem, & communem.

SECTIO III.

100. **T**ertia diuisio excommunicationis est in comminatoriam, & lata sententia. Comminatoria est, quam Superior ferre, cognita causâ, Iudici imperat: neque incurritur antequam is illam tulerit. Lata sententia verò est, quæ ipso facto, propter quod lata est, incurritur. Istiusque generis esse ex D. Anton. 3. part. tit. 2. cap. 7. 4. censenda est, cum fertur his verbis: Præcipimus vobis sub pœna excommunicationis quam ex nunc, prout ex tunc: & ex tunc prout ex nunc in vos ferimus; aut cum quidpiam mandatur aut prohibetur expressè sub pœna excommunicationis lata sententia: aut cum ex forma verborum patet Prælati voluntatem esse sententiam ferre: vt cum dicit, Propter hanc vel illam causam excommunicamus te, vel vos, aut eum vel omnes qui hoc crimen admerint; aut cum vsurpatur verbum præteriti temporis, sit excommunicatus; sit innodatus sententia excommunicationis; aut aliud æquiualens.

101. **C**omminatoria verò esse censetur, cum absolute & sine additione quidpiam prohibetur sub pœna vel interminatione excommunicationis, aut anathematis; vel is qui fert excommunicationem vtitur verbo futuri temporis, hoc modo. Qui hoc vel illud fecerit excommunicetur: nisi addat ipso facto; vel ipso iure, vel eo ipso, vel aliud simile ex quo lata sententiam esse appareat. Quibuscumque enim verbis Superior subditum excommunicet, modò ei voluntatem suam de ferenda tunc excommunicationis sententia exprimat, censenda est excommunicatio lata sententia: ita vt nihil referat ex D. Anton. loco cit. vtrum Index dicat; excommunico te; aut scias te excommunicatum: aut te excommunicatum agnosce; aut te habeas pro excommunicato; aut te excommunicatum repures: dummodo huiusmodi verba voluntatem, intentionemve ipsius de præteriti exprimat: quoniam verba ferunt intentioni, non contra ex cap. *Humanæ* aures 22. q. 5. Cum autem dubitatur de intentione, eligenda est (inquit D. Anton. congruenter doctrinæ tradendæ in seq. li. 13. n. 98.) tutior via: vt scilicet is qui in talem sententiam incurrit se reputer excommunicatum: ob periculum irreuerenter in diuinis communicandi cum aliis, aut scandalo eorumdem. De ratione cognoscendi num lex pœnalis ferendam an verò latam sententiam contineat, dicemus plenius in seq. lib. 11. n. 258. & nonnullis seq.

102. **Q**uarta diuisio excommunicationis est in Papalem, Episcopalem, & communem. Dicitur autem Papalis cuius absoluteio sanctæ Sedi Apostolicæ reseruata est; à quocumque auctoritatem habente imposta sit: etiam inferiore Pape: vt post Caietan. in verbo *excommunicatio* cap. 22. annotat Sotus in 4. *distinct.* 22. *quest.* 2. art. 3. *conclus.* 2. Adferens in exemplum excommunicationem in incendiarios ex cap. *Tua nos* De *sentent. excommunicat.* quæ non est lata à Papa, & nihilominus ei reseruata est. Episcopalis verò dicitur, cuius absoluteio à iuris conditore reseruata est Episcopo. Communis denique dicitur, cuius absoluteio nec Summo Pontifici, nec

Episcopo referuata est: siue à Summo ipso Pontifice, aut ab ipsius delegato; siue à Concilio generali aut provinciali; siue ab Episcopo per suum aut per Synodale statutum la a sit: sed ab ea quilibet absolue & potest, qui alias possit à peccato, propter quod ea est lata.

Diuisio excommunicationis in iustam & iniustam.

SECTIO IV.

Quinta diuisio excommunicationis est in iustam & iniustam. Illa est quam is fert qui debet, & propter quod, ac quo modo debet; hæc vero, quam contra fert, is qui non debet, aut ob aliud, aut aliter quam debet. Cui definitioni congruenter glossa ad cap. Sed ponatur in quæst. 3. distinguit tres casus iniustas in cap. Episcopus Presbyter, eadem quæst. in quibus excommunicatio iniuste fertur.

Primus est ex parte ferentis, cum is ad ferendum non adducitur zelo iustitie, sed ira, vel odio: id quod esse contra ius patet ex ead. quæst. cap. Illa. Secundus est ex parte cause: nempe quando ea est nulla aut falsa, per falsos testes probata; aut non est sufficiens ad excommunicationem (hoc quando contingit exponitur in sequ. cap. 9.) quod item esse contra ius certum est ex cap. Sacro. De sentent. excommunic. & ex cap. Cum medicinalis, eod. tit. in 6. Tertius est ex parte modi: nempe cum non præmittitur competens admonitio (de qua in sequ. cap. 10.) nec fertur excommunicatio præsentibus personis idoneis, per quas admonitio probari possit: quod est contra ius in cit. cap. Sacro. Vbi tamen aduerte admonitionem non requirit, nisi sententia excommunicationis feratur ob culpas præteritas. Nam cum ob futuras fertur, sufficit ipsa prohibitio, quæ rationem habet admonitionis. vnde cum excommunicatio à iure ad futura tantum peccata puniendâ instituitur, ex cap. Cognoscetes De constitut. non requirit admonitionem antegressam.

Subiudi quoque solet excommunicatio iniusta in validam, & inualem seu nullam. Valida est quæ sortitur effectum suum ligandi (quod contingit, quando iniustitia non tollit ea quæ ad excommunicationem sunt necessaria simpliciter) proindeque timenda est perinde ac iusta, iuxta illud D. Gregorij relatum in quæst. 3. cap. 1. Sententia pastoris siue iusta siue iniusta timenda est. Et ratio est: quia ligat tam in foro interno quam in externo, prout notat Nauarr. in Enchir. cap. 27. num. 3. & latius tractat Vgolinus De censuris tab. 1. cap. 13. §. 3. Inualida vero est, quæ effectum non sortitur, nec quoad externum, nec quoad internum forum; nisi quod pro vitando scandalo obliget ad obediendum, donec vulgus (inquit Nauarr. sub finem citati num. 3.) causas nullitatis, etiam si non notas sapientibus, sibi persuaideat, aut certe persuadere debeat: prout tunc debet cum quis, sicut excommunicatus est publicè aut pro tali denunciatus; ita etiam promulgatur postea de ipso publicè, quod sententia in eum lata fuerit inanis nullamque virium. Istud significatur in cap. Qui iustus eadem quæst. 3. cum dicitur, Iustum cum iniuste nã leditur, etiam si non teneatur apud Deum, sententiæ tamen parere debere: ne ex superbia ligeretur, qui prius ex puritate conscientie absolutus tenebatur. Casus in quibus excommunicatio inualida, nulla est, glossa ad cap. Præsent De sentent. excomm. in 6. ponit 12. quos & alios eiusdem generis ita possumus distinguere; vt quosdam dicamus esse ex parte ferentis excommunicationem, quosdam ex parte cause propter quam ea fertur, & quosdam ex parte modi quo ea fertur.

Ex parte igitur illius qui sententiam fert, in his casibus excommunicatio est nulla. Primò, cum non intendit ligare: quia excommunicatio vires suas habet ex intentione excommunicantis: perinde scilicet ac lex ex intentione legislatoris. Id quod Panormit. notat ad cap. Ex parte De officio Iudicis Ordin. num. 6. deinde cum non est Iudex illius in quem fert sententiam: necius habet in ipsum. Pro quo facit illud quod ex cap. Ad audientiam De consuetud. habetur: sententiã à non suo Iudice latã, nullam obtinere firmitatem. Tertio, cum Iudex, quamuis proprius est tamen excommunicatus; ex cap. Miramur. 24. qu. 1. aut suspensus à iurisdictione; ex cap. Quia De concess. præbendæ. Denique si ferat sententiã in casu sibi non permissio; ex cap. Cum appellat De priuileg. & excessib. vbi Pontifex statuit canonicos

facili Ducis Burgundiæ non esse excommunicatos ab Episcopo Lingonensi, ea ex parte qua exempti sunt ab ipsius iurisdictione.

Ex parte verò cause propter quam fertur, excommunicatio nulla est, quando illa continet errorem intolerabilem; ex cap. Per tuas De sentent. excommunic. sicut ea censetur continere (ex glossa ibid. ad verbum intolerabilem errorem) quæ datur aduersus aliquem, vt impediatur facere quod est licitum, & ex virtute: vt v. g. dare elemosinam pauperi; aut repetere legitime pecuniam sibi iuste debitam. Vel ex aduerso compellatur facere aliquid illicitum; vt de bitum reddere vxori putatiua; aut quodcumque aliud peccatum committere, etiam veniale tantum: prout notat. Sylu. excommunicatio vltimo num. 1. Adde, aut eo quod non fecerit aliquid impossibile: siquidem impossibile non est obligatio. ff. De re iuris, lege Impossibilem. Quocirca sententia excommunicationis lata contra non facientes aliquid, aut non soluentes, non incurritur ab eis, in quorum potestate non est præstare id quod præcipitur.

Aduerte autem ex Cordub. in lib. 1. Quæstionarij quæst. 3. circa princip. ad hunc errorem intolerabilem constituendum, requiri a peccato notitiam, hoc est, quod excommunicatio lata sit ex causa manifeste falsa vel omnino iniusta, vel illicita, siue ex suo genere, siue ex circumstantiis, vel naturaliter impossibile, id est, quam manifestè constet vel nullo modo, vel nõ nisi cum vitæ periculo in actum deduci posse: Secus enim est, si aliquid solum sit etiam licet impossibile, vel non manifestè iniustum aut malum: quia excommunicatio dicitur quidem iniusta ex parte cause non tamen nulla (de quo plenius Vgolinus in cit. §. 3. sub finem) & ideo timenda: quia ligat quo ad Ecclesiam, ita vt peccatum sit mortale, saltem ratione scandalali, non seruare eam, si auctoritas Ecclesiæ inde condemnari videatur. Quod si scandalum absit, vt in secreto, potest non seruari ab eo cui constat se innocentem esse, atque adeo excommunicationem in se latam esse nullam: Quamuis enim suam innocentiam probare nequeat: Ecce tamen potest vitato interum scandalo, etiam dicendo missam, non seruare illam: quod post glossam ad cap. Licet De sentent. excomm. in 6. docent Caiet. 2. 2. quæst. 70 art. 4. Sotus in 4. distinct. 22. quæst. 1. art. 3. sub finem, Couar. ad memorat. cap. Alma mater part. 1. §. 7. verfu Illud tamen.

Inualida est præterea excommunicatio ex parte cause (iuxta cap. Quia plerique De sentent. excommunic. in 6.) quam Prælati fert in suos subditos qui Superioribus, aut sedis Apostolicæ Legatis, aut inquisitoribus insinuant, vel exponunt Ecclesiarum, seu locorum suorum, personarum, ac rerum statum.

Ratione verò modi quo fertur, inualida est excommunicatio; cum quis post legitimam appellationem excommunicatur; ex cap. Per tuas De sentent. excommunic. Vbi aduerte obiter quando lata est excommunicatio cum conditione: si appelletur pendente adhuc conditione, appellationem tenere & impedire sententiã ex cap. Præterea 2. De appellationibus. Si verò simpliciter feratur excommunicatio; hanc non tolli quidem per appellationem: cognitionem cause tamen transferri ad Superiorem, ex cit. cap. Per tuas. Inualida etiam est quando participantes cum excommunicatis eã participatione, quæ minorem solum excommunicationem inducit (qualis censetur ea, quæ non est in crimine pro quo lata est excommunicatio ipsa) excommunicantur maiore excommunicatione, non nominando eos expressè, neque præmissa admonitione canonica, de qua postea. Istud, notatum à Nauarr. in Enchir. cap. 27. num. 4. & à Couar. ad cap. Alma mater part. 1. §. 3. num. 6. habetur ex cap. Statuimus, & ex cap. Constitutionem De sentent. excommunic. in 6.

Diuisio excommunicationis in absolutam & conditionalem.

SECTIO V.

Absoluta excommunicatio dicitur cum absolute & absolute conditione fertur. Conditionalis vero, cum fertur sub aliqua conditione. De priorè illud obseruandum est: ipsam in conscientia statim ligare delinquentem, etiam latam à iure. Nam etiam si poena ipso iure imposita non liget cõmuniter in conscientia ante sententiã Iudicis, vt patet ex cap. Cum secundum De hereticis in Sexto: ex quo habetur, in poenis ipso

iare incurfus, requirit declarationem Iudicis, ut earum executio iuste fieri possit. Nihilominus tamen id non habet locum in excommunicatione, & in aliis censuris Ecclesiasticis, ut notant Caietan. 2. 2. questione 62. artic. 3. & in summula verbo Pœna, ac Sotus in 1. de iust. & iure que quæst. 6. art. 6. conclus. 2. Quibus fauet quod in cap. Pastoralis §. Verum De appellationibus habetur; quod excommunicatio secum trahat executionem: & excommunicatus per denuntiationem non amplius ligetur.

De posteriore verò obseruandum est cum D. Anton. 3. part. tit. 24. cap. 74. in fine, Nauarr. in Enchir. cap. 27. num. 11. & Couar. in cit. 1. par. §. 10. num. 6. eam non ligare antequam conditio sub qua fertur impleatur. Ratio est, quia ut Panormit. notat ad cap. ex parte de offic. Iudicis ordin. num. 6. excommunicatio vim habet ex intentione Iudicis à quo fertur. Quia autem sub conditione excommunicatur, non intendit ligare nisi ad impleta conditione: immo nec potest, nisi iniuste, id intendere: cum iniquum sit excommunicare illum qui nullam adhuc commissit contumaciam. Ad impleta conditione verò, omnem vim ligandi statim sortitur, non secus ac si prolata esset sine conditione. Ex quibus consequens est illud quod loco cit. tradit Couar. ab eo tempore quo aduenit conditio, censendum est: in reitum excommunicatione, illum in quem lata est conditionalis excommunicatio: non autem à tempore pronuntiationis sententiæ: per eam quam Iurisperiti vocant retrotractionem: ne quidem, iuxta Panormit. ad cap. Præerea 2. De appellat. num. 11. Iudex sic protulerit sententiam: Nisi intra 20 dies solueris, ex nunc te excommunico.

109. Aduerte autem eum cui est impositum sub pœna excommunicationis lata sententiæ, ut intra 20. dies creditori satisfaceret; si creditor ipse illi terminum proroget v. g. vsque ad quadraginta dies, non incurrere in excommunicationem intra primum terminum viginti dierum, ut notatum est ab eod. Panorm. ad ca. Ex rescripto De locato & conducto num. 7. Et ratio est, quia cum Iudex tunc decernat excommunicationem in fauorem creditoris, voluntas illius conformatur voluntati huius. Quare cum creditor debitori proroget terminum, id censendum est fieri de mente Iudicis qui excommunicationem decreuit. Deinde sicut creditor debitori remittendo debitum ad omne tempus, illum ab excommunicationis pœna penitus liberaret: sic censendus est remittendo ad certum tempus, liberare à certi temporis pœna excommunicationis. Quam tamen prorogationem aduerte fieri debere antequam primus terminus elapsus sit, debitorque in excommunicationem incurrit: nam consensus post incursum superueniens, eam non tollit: ut merito alunt Angelus excommunicatio 1. num. 20. Sylu. excom. 2. num. 1. vers. 13. & Nauarr. in Enchir. cap. 27. nu. 15. quia excommunicatio est vinculum absolutione tollendum.

Dubitatio autem est, An si debitor non soluat intra terminum à creditore prærogatum, incidat statim in excommunicationem. De qua re iidem authores asserunt, quod si prorogatio facta sit de consensu Iudicis qui excommunicationem tulit, debitorem tunc incidere in excommunicationem: quia in tali casu, res perinde se habet ac si in principio Iudex ipse totum illum terminum excommunicationis incurrendæ præscripsisset. Sin autem prorogatio à creditore sit facta inconsulto Iudice, Angelus & Sylu. locis cit. putant non incurri tunc excommunicationem: quia licet creditor possit effectum excommunicationis auferre prorogando terminum vel remittendo debitum ut dictum est (quoniam id non requirit iurisdictionem) non potest tamen excommunicationem prorogare: cum id sit opus iurisdictionis, quam ille non habet. Atque istud, ipsorum sententiâ, verum est, etiam si constitutum sit inter partes, ut si intra terminum prorogatum solutio non fiat, excommunicatio incurratur.

Post Felinum verò, ad 1. De iureiur. num. 5. & ad cap. 2. De spons. nu. 3. 4. atque alios; Couar. ad ca. Quamuis pactum initio 1. partis §. 1. nu. 6. existimat in hoc quoque posteriore casu excommunicationem incurri. Quod probatur: quia prorogatio facta à Iudice, aut ab alio de autoritate ipsius excommunicatio incurritur, ut illi concedunt in priore casu Ergo incurretur quoque facta prorogatione illo inconsulto:

Nam & hac ratione facta, censenda est fieri de voluntate eiusdem: cum Iudicis cuius intentio in istiusmodi excommunicatione decernenda, conformetur intentioni eius in cuius fauorem decernitur. Vnde credendum est mentem eiusdem Iudicis esse quando fert excommunicationem: ut si creditor velit solutioni terminum præscribere longiorem, quam in sententia ipse definiuit; id ita possit, ut nisi in termino quem præscripsit fiat solutio, tunc excommunicatio lata effectum suum sortitur. Quamquam tamen si certo constet Iudicem non habuisse dictam mentem, fatendum est excommunicationem non incurri in termino prorogationis, si solutio non fiat: quia ut iam diximus, excommunicatio vim suam habet ex intentione Iudicis. Ad argumentum vero in contrarium, facile est ex his occurrere: nemo enim creditor est, qui debitorem ligat, non facta solutione in termino prorogationis: sed Iudicis in ferenda sententia, intentio conformandi se eiusdem creditoris voluntati.

Diuisio excommunicationis in maiorem & minorem.

SECTIO. VLTIMA.

110. **V**T ratio huius diuisionis intelligatur notandum est ex D. Thom. in 4. distinct. 18. quæst. 2. art. 1. quod ut ille qui per baptismum adscribitur Ecclesie ad duo aliquid: nempe ad cœtum fidelium, & ad participationem Sacramentorum: ita etiam illum qui per excommunicationem ab Ecclesia separatur; priuari cœtu fidelium, & participatione Sacramentorum. Item sicut potest quis particeps esse cœtus fidelium, qui non sit Sacramentorum: ita etiam posse quem priuari participatione Sacramentorum; qui non priuetur cœtu fidelium. Atque hinc iuxta cap. A nobis, De exceptionibus. & cap. Si quem de senten. excommunic. distinguitur duplex excommunicatio: vna maior priuans tam cœtu fidelium quam participatione Sacramentorum: altera minor, quæ priuat tantum participatione Sacramentorum: ita ut illa, iuxta cap. Cum medicinalis De senten. excomm. in 6. (quod Couar. explicat ad cap. Alma mater in initio num. nono) merito comparatur corporali pœnæ medicinali, qua membrum putridum, aut vlcus vel apostema inciditur: hæc verò præseruatiua, qualis est abstinentia à cibis per dietam.

111. His D. Anto. 3. par. tit. 24. in proœmio addit tertiam, quæ per peccatum mortale charitate spoliati, segregatur à communionem Dei: De qua i. Ioan. 4. Deus charitas est & qui manet in charitate in Deo manet & Deus in eo.]

Sed opinio Panor. ad Rubric. De sent. excomm. tenenda est; Canonistarum; teste Nauarr. in Enchir. cap. 27. num. 2. communis, traditam bimembrem diuisionem sufficientem esse quia cum excommunicatio non sit culpa, sed censura, seu pœna Ecclesiastica; non incurritur nisi per sententiam latam à Iure, vel ab homine Ecclesiastico. Deinde quamuis ille qui peccato mortali contaminatur, destitutus sit charitate: non tamen censetur esse extra communionem Ecclesie; sed esse tanquam membrum aridum quidem, & mortuum, iuxta illud 1. Ioan. 3. Qui non diligit manet in morte: non tamen seiunctum à communionem reliquorum membrorum corporis. De qua comparatione videri potest Couar. in præced. num. 5. Et quamuis à Christo capite non recipiat perinde specialem influxum, ac reliqua Ecclesie membra viuunt charitate; magnam tamen utilitatem ex eo accipit, quod non sit à communionem Ecclesie præcisus. Namque Ecclesia pro illius ad Deum conuersionem orat; ipsiusque curam pastoralis gerit: atque sicut cum Princeps tota ciuitati aliquod beneficium impertitur, malis propter societatem bonorum beneficiis: sic Deus peccatoribus interdum beneficia tribuit propter societatem Sanctorum cum quibus communicant.

Cæterum quamuis excommunicatio minor ponatur species excommunicationis: non habet tamen huius perfectam rationem, ut notat D. Thomas loco cit. sed tantum aliquid de ea participat; nimirum esse priuationem vsus Sacramentorum: cum adhuc, maximeque pertineat ad perfectam rationem excommunicationis, ut priuet cœtu fidelium. Itaque soli maiori conuenit plena perfecta que ratio excommunicationis, prout notat Sotus in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 1.

Ad vnam vero ab altera discernendam, regula hæc tenenda est: vt si in sententia qua fertur excommunicatio non indicetur hæc esse minor: nempe vel eam ita nominando, vel ei tantummodo tribuendo effectum minoris excommunicationis proprium (qui est priuare Sacramentorum receptione) censenda sit maior. Vnde cum sententia fertur absoluit, vt cum Iudex dicit Excommunico illum, aut aliquid aliud æquiualens, nulla facta mentione maioris vel minoris excommunicationis, est maior excommunicatio iuxta expressum textum in cap. Si quem, De senten. excommu-
nic.

Sed obicitur aliquis in pœnis benigniorem interpretationem esse assumendam ex lege, si præses, & ex lege Interpretatione ff. De pœnis. Cum igitur id quod à indice dictum est absolute, excommunicamus, interpretari possumus, & de maiore & de minore excommunicatione, interpretatio de hac vt pote benignior, assumenda est, cui obiectioni duobus modis Couar. ad cap. Almamater 1. par. §. 8. num. 5. respondet. Primo ita vsum sermonis obtinuisse; vt cum absolute excommunicatio dicitur, significetur maior: communem vsum vero maximum obtinere locum in cuiuslibet sermonis interpretatione; ex lege Laboe. ff. De suppellectile legata. Secundo excommunicationem esse pœnam spiritualem: ad hoc institutam vt contumaces animos à peccatis auertat; & ad veram obedientiam adducat: quem effectum ea rarissime haberet, si esset interpretanda de minori, cum hæc parum oportet ultra peccatum mortale, hoc est, non inducat ad modum grandem læsionem, præter eam, quam contumax ex peccato mortali accipit.

C A P V T VII.

De eo à quo excommunicatio ferri debet vt sit valida.

S V M M A R I V M.

- 113. Que iurisdictio requiritur ad valide excommunicandum.
- 114. Illius capax est tantum homo Christianus, viuens, & ratione vtens.
- 115. Eam non habet laicus.
- 116. Nec item mulier etiamsi Abbatisa sit.
- 117. Cui etiamsi Ecclesiastica iurisdictio incapax sit, eiusdem tamen vsu aliquis committi potest.
- 118. Ab Episcopo & Prelatis eo superioribus, potest ex officio valide ferri excommunicatio.
- 119. Potest etiam à nonnullis inferioribus Prelatis.
- 120. Qui ex ordine secularium censendi sunt excommunicare posse ex officio.
- 121. Parochos non esse de eodem numero.
- 122. Solutio obiectionum contrariarum.
- 123. Qui Regulares excommunicare possunt.
- 124. De iis qui ex delegatione possunt excommunicare.
- 125. Quædam aduertenda circa eamdem delegationem.
- 126. Prelatus inmodatus maiore excommunicatione, quamdiu ab Ecclesia toleratur, potest valide excommunicare.
- 127. Quod procedit etiam in eo qui est propter heresim inmodatus.
- 128. Irregularitas non est impedimentum vsus potestatis excommunicandi.
- 129. Que sint eiusdem impedimenta.
- 130. Peccat mortaliter qui sciens se non posse excommunicare, nihilominus excommunicat.
- 131. Ecclesiastici in vsu excommunicandi, non pendunt à potestate laicali.
- 132. De eo quod laici impediuntur se submittere Curia Ecclesiastica, relicta laicali.

Cum excommunicatio alia sit à iure, alia ab homine: illam is solus valide ferre potest, qui ius statutumve Ecclesiasticum perpetuum potest condere: de quo in præcedenti numero 97. iam est habita mentio. Atque conditio- nes in iure excommunicationem imponente requisitas, vt ea valida esse ac ligare censeatur, persequi illius loci est in quo tractandum est de iis quæ sunt necessaria vt lex humana obliget. Qui locus pertinet ad sequentem lib. 13. in cuius cap. 16. ea tractatio instituetur. Tantum igitur est hic dis- ferendum de eo qui excommunicationem secundæ generis,

ab homine scilicet, valide ferre potest. Atque sic procedemus, vt in priorè parte Capituli doceamus quis sit qui excommunicare potest: vnde sufficienter intelligetur quis possit excommunicationem eiusdem generis ferre. In posteriorè parte verò satisfaciamus quibusdam dubiis, eodem spectantibus.

Prior pars capituli, in qua docetur quis sit qui excommunicare potest.

Hoc quasi fundamentum constituendum est: excommunicationem esse actum iurisdictio- nis Ecclesiasticæ in foro exteriori, vbi causa inter homines contendendo agitur, vt facile est deducere ex verbis Domini nostri Matth. 18. Si frater tuus habet aliquid aduersum te, &c. latiusque tractat Vgolinus De censuris tabula 1. cap. 2. §. 18. & 19. Vnde consequens est, eum omnem qui iurisdictio- nem habet in foro exteriori, posse excommunicare: quod vnanimi consensu admittit Theologos in quartum distin. 18. & Summularios in verbo Excommunicatio testatur Couar. ad cap. Almamater; De senten. excommunic. in 6. 1. par. §. 11. num. 1. in eadem sententiam citans Panormit. Hostiensem, & Felinum: admonensque iuxta cap. Transmissam & cap. Suffraganeis, De electione, intelligendum esse de eo etiam qui potestatem ordinis nondum habet; & iurisdictio- nis particeps est, per commissionem qua populus ei subiicitur regendus, etiam in foro exteriori.

Patet autem primo ex fundamento posito: non nisi hominem Christianum, viuentem, ac ratione vtentem, excommunicare posse. Nam nec Angelus siue bonus siue malus, nec Iudæus, aut Paganus, nec mortuus nec furiosus aut aliter rationis vsu priuatus, capax est prædictæ iurisdictio- nis, vt de se patet: & in particulari Vgolinus loco cit. docet. De Angelo quidem §. 1. in fine. De homine vero vita functo, in §. 2. inde infert non valere excommunicationem quam iudex tulit, sub conditione si ipse moritur antequam conditio impleatur. De priuato autem ratio- nis vsu in §. 6. & demum de non Christiano in §. 9. In quibus hæerere non est necessarium ad nostrum institutum.

Laicum non posse excommunicare valide.

S E C T I O. I.

Patet secundo, laicum excommunicare non posse: quæ est communis Doctorum sententia, vt aliquot in eam referens Vgolinus habet in eod. cap. 2. §. 10. Pro qua Couar. in cit. §. 11. num. 3. adfert tum alia tum cap. 2. de iudiciis & cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, De constitutionib. Qui & insinuat in præced. num. 1. bonam eius rei rationem: nempe quod potestas excommunicandi, cum respectum habeat ad aditum regni cœlestis (excludit enim à Sacramentorum vsu quo regnum cœlorum aperitur) est Ecclesiastica: quando quidem laici per se respicit tantum reip. pacem. Indeque est quod eadem iurisdictio, in subiecto in quo inest, requirat aliquem sacrum ordinem, vt idem author annotat: aut saltem primam consensum vt placet Paludano & aliis quos refert & sequitur Vgolinus in cit. §. 10. sub finem. In laico igitur nequit esse potestas excommunicandi, ne quidem delegata, nisi Papa sit qui eam deleget. Quod communi Doctorum consensu tenent aliquot eorum citatis, Vgolinus meminit, benecque declarat eius rei fundamentum in eod. §. 10. nu. 4. post Couar. sub finem cit. nu. 3. Nempe quod prohibitio ne iurisdictio Ecclesiastica per laicos exerceretur, sit de iure Pontificio cui ceteri quidem omnes subsunt, non autem Papa. Addit ille, quod est notatum dignum, requiri Sacerdotalem ordinem ad ferendam excommunicationem cum solemnitate ceremoniarum, & precum, quas in anathematizatione seruandas esse habetur in 3. parte Pontificalis Romani.

Nec mulierem posse valide excommunicare.

S E C T I O. II.

Tertio, patet feminam non posse excommunicare, etiam si Abbatisa sit; ex cap. Dilecta De maiorit. & obedi- ent. consentiuntque Summularios in verbo Abbatisa & alij quorum meminit Vgolinus De censuris tab. 1. cap. 2. §. 7. num. 3. Ratio potissima est, quod ex communi Theologorum &

113.

114.

115.

116.

Canc.

Canonitarum sententia, vt idem Vgolinus habet aliquos eorum citans in preced. num. 1. mulier non sit capax tonsuræ Clericalis, nec ordinum, & per consequens, clausi regni cælorum non habeat in ealocum. Id quod manifestum est ex cap. Noua. De penitent. & remiss. vbi ratio hæc redditur: quia licet Beatissima Virgo Maria dignior & excellentior fuerit Apostolis vniuersis, non tamen illi sed istis Dominus clausi regni cælorum commisit.

17. Quamquam vt D. Thomas monet in 4. distinct. 19. questio. 1. art. 1. in fine, propter imminens periculum, si viri mulieribus cohabitent, aliquis clauium vsus committitur Prælatæ: puta correctio suarum subditarum & gubernatio, iuxta idem c. Dilecta: quo decernitur Abbatissæ subditos, debere ei obedire, siue sint moniales, siue alij, etiam Sacerdotes: atque esse alioqui excommunicandos. Non concedi autem vsum excommunicandi patet: quia non conceditur vsus absoluedi ab excommunicatione ex cap. De monialibus. De sentent. excommunic. parque ius est ligandi & soluendi ex cap. Verbum De penitent. dist. 1. vide Glossam l. ad cap. Inferior. distinct. 21. Neque refert quod Abbatissa aliquando iura Episcopalia exerceat, ponendo officiales, qui excommunicet: quia talis officialis non excommunicat auctoritate illius, sed Papæ: vt latè tractat Suarez ad tertiam partem D. Thomæ to. 5. disp. 2.

De eo verò quod queri potest, An femina, si non ordinariam, saltem delegatam excommunicandi potestatem habere possit: quamuis fatendum sit, nec talem inueniri commissam esse feminae, nec decere vt committatur; tamen cum mulieris sicut viri laici incapacitas illam habeat, sit tantum de iure Pontificio vt notat Palud. in 4. distinct. 18. quest. 1. art. 3. concl. 5. negandum non est, quin ex Papæ commissione possit femina excommunicare: prout asserunt idem Palud. ibid. D. Anto. 3. par. tit. 27. c. 4. versus Vltimo nota, Sylu. in verbo Suspendio qu. 2. & alij quibus assentitur Vgolinus in cit. §. 7. num. 5.

Episcopum ipsaque Superiores, itemque aliquos Inferiores, posse valde excommunicare.

SECTIO III.

118. Quartò patet Episcopum, ac Synodale Concilium posse excommunicare: multoque magis alios Prælatos ipso Episcopo Superiores, puta Summum Pontificem, Concilium Generale, Patriarchas, Primate, Metropolitanos & Concilia Prouincialia. Quibus omnibus dubium non est accommodari ac conuenire illud, per quod in Ecclesia potestas excommunicandi instituta est à Christo, cum dixit Matth. 18. Si Ecclesiam non audierit sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus. Quæcumque alligaueritis super terram erunt ligata in cælis. Illis Vgolinus addit in sequent. §. 20. Papæ Legatum à latere, respecta eorum qui sunt in prouincia ad quam delegatur: actum eiusdem Papæ, tum aliorum Prælatorum memoratorum Vicarios. Sed Sotus in distinct. 22. quest. 2. art. 2. concl. 1. ponendos censet potius in delegatorum quam in Ordinatorum numero: eo quod non ex officio, sed ex commissione possint excommunicare. Sicut hoc autem sine illud dicatur parum refert ad nostrum institutum.

119. Quod verò sint aliqui inferiores Episcopo, qui ex suo etiam officio excommunicare possint, habetur ex cap. Cum ab Ecclesiarum De offic. Ordin. Neque Sotus, qui videtur contrarium docere in lib. 10. de iustitia & iure questione prima, artic. tertio (inquiens excommunicare propria auctoritate, solius Episcopalis muneris esse) audiendus est: nisi velit tantum excommunicationem ferre, ad officium Episcopi propriè pertinere: sicut gestare gladium materiale, ad officium Principis pertinere dicitur hoc nomine, quod cæteri, licet portent ex officio, id tamè faciant, vt Principis coadiutores. Isque est sensus cap. Corripiantur 24. quest. 3. à Soto ipso citati: in quo sensu accipitur à Syluest. excommunicatio 1. num. 5. Et si alter quoque esse potest: nempe quod inferior excommunicare nequeat cum solemnitate: quia id Episcopi proprium est, prout patet ex cap. Debent 11. questio. 3. vbi ea solemnitas describitur his verbis. Debent duodecim Sacerdotes Episcopum circumferre, & lucernas ardentis in manibus tenere, quas in conclusione anathematis, vel excommu-

nicationis prolicere debent in terram, & conculcare pedibus.

Sit igitur constitutum, posse sine tali solemnitate, maiorem excommunicationem ferri ab inferioribus Episcopo, qui in foro externo iurisdictionem habent ordinariam: vt censetur habere illi quibus per legem Ecclesiasticam ea conuenit, tanquam propria dignitate ipsorum annexa, congruenter necessitati muneris quod iisdem incumbit.

Interdum etiam consuetudine rationabili præscripta (de qua ex instituto dicitur in lib. 13. tract. 4. titulo quarto) eandem potestatem obtineri ab iis qui inferiores sunt Episcopo, constat ex cap. Dudum 2. §. Sed cum in iure De elect. vnde habetur etiam talem consuetudinem requirere, vt actus ex quibus ea constat, ab habente curam animarum exerceantur in propriis subditos: vt à Parocho in suos Parochianos, à Præposito Canonicorum aut aliorum Clericorum in eosdem. Illic enim Pontifex ex eo, quod quidam Archidiaconus consuetudinem habebat ferendi censuras, infert eundem habuisse etiam curam animarum. De istiusmodi plenius Vgolinus in cit. cap. 2. §. 21. Suarez tomo 5. disputat. 2. sect. 2. & Georgius Sayrus lib. 1. Theauri casuum conscientie capit. 6. numero 30. & Pro praxi sufficit sequentia ad didicisse.

Qui ex secularibus Episcopo inferioribus possint valde excommunicare.

SECTIO IV.

120. Iam quinquam ex secularibus Episcopo inferioribus talem potestatem habeant, cognosci potest hac regulà, quam dat Palud. in 4. distinct. 18. quest. 2. art. 1. Eum Prælatum Episcopo inferiorem posse excommunicare, qui de iure aut consuetudine legitime præscripta, aut speciali privilegio, potestatem habet citandi subditos suos, & in Ecclesiastico foro contentioso, ius illis reddendi: non item alium. Cuius regulæ ratio est, quod excommunicatio (vt Panorm. ad cap. Si Sacerdos De offic. Ordin. num. 10. ostendit) non fertur sine iudiciali causa cognitione; ex cap. Nemo, 2. questio. 1. & ex cap. Sacro. de sentent. excomm. & ex cap. 1. eod. tit. in 6. & est meri imperij: ferturque in inuitum argumento cap. Sententia 11. quest. 3. Vbi igitur de aliquo constituerit talem potestatem Ecclesiasticum ipsum habere, statuemus excommunicare posse: sicut Palud. statuit de Cardinali non Episcopo in Ecclesia tituli: quod communiter receptum esse ex Panorm. & Felino habet Vgolinus in prin. cit. §. 20. num. 10. Item de Archidiacono habente curiam, de Decano rurali, si & ipse curiam habeat: de Decano etiam urbano, qui non tantum curam animarum sed etiam in foro contentioso Ecclesiastico ius reddere potest: & demum de Suceptore, aut alio quouis ad quem per modum iudicij vel fori contentiosi pertinet iurisdictione in Clericos Chori.

In qua sententia fundatur, quod Nauar. in Enchir. cap. 27. nu. 5. ait Præpositus Ecclesiarum collegatarum de iure communi excommunicare posse suos subditos. Ex ea que sequitur illud quod ex Panorm. Vgolinus habet in fine eiusdem §. 20. vt non tantum Collegium Cathedralis Ecclesie Episcopo mortuo: sed etiam collegium inferiorum Ecclesiarum, quæ capitulum habent, mortuo suo antistite, adipsam potestatem excommunicandi. Monet autem consequenter Nauar. se dicere (Ecclesiarum Collegatarum) propter Rectores Ecclesiarum habentium multos beneficiarios non viuentes collegialiter: quoniam tales nullam iurisdictionem habent in foro exteriori, iuxta glossam ad cap. Statutum, verbo Collegiata. De electione in 6. & Panorm. ad cap. Nobis De iure patronatus num. 8. Vbi an aliqua Ecclesia sit Collegiata cognosci ait primò, ex illius institutione: nempe si institutum sit, vt in ea plures essent Collegæ, non autem si tantum esset vnus cum aliquo Clerico. Secundò, si aliquo privilegio habeat ius Collegiatae. Tertio, si illi qui sunt de ea Ecclesia sint in possessione collegij, id est, si exerceant iura pertinentia solum ad collegium: nempe si soleant creare Syndicum, eligere Prælatum & infra modum illa facere. Quod si hæc desint non sufficit in Ecclesia esse plures Clericos beneficiarios, vt dicatur Collegiata.

Porro ex propofita regulà, pariter de eo quem constitue-

est non habere potestatem reddendi ius in foro contentioso, statuendum est non posse excommunicare.

Quid sit de Parochistenendum.

SECTIO V.

111. **Q**uapropter quidquid aliqui contraxerint (de quibus Vgolinus tab. 1. cap. 2. §. 19. num. 3.) non modo simplices Sacerdotes qui non habent subditos; sed nec Parochi iure communi excommunicare possunt. Hoc expresse docent tum Panormit. ad cap. Cum contingat De foro compet. nu. 30. & ad cap. Si Sacerdos De offic. Ordin. num. 10. alique ab Vgolino ibidem citati: tum etiam Palud. & Nauar. locis ante citatis, & D. Anton. 3. par. tit. 24. cap. 7. ac Sotus lib. 10. de iust. & iure, quest. 1. art. 3. Vbi admonetiam non esse in usu; quod D. Thomas dixit Parochis concessum esse à iure communi, ut propter furtum & rapinam excommunicare possint. Immo iam prohibitum esse intelligitur ex Concil. Trident. sess. 25. cap. 3. De reform.

Dixi de iure communi, quia negandum non est, quin vt D. Anton. notat, ex speciali iure & privilegio, aut consuetudine præscripta (quod etiam Nauar. monet in cit. num. 5. possint excommunicare tanquam Vicarij Episcopi, qui ubique esse non potest. Quod verò ipsi Parochi excommunicare non valeant ex officio, hinc patet: quia etsi iurisdictionem in suos subditos habeant quoad forum conscientie: non habent tamen quoad forum iudiciale: cum iidem subditi nequeat coram illis conveniri in causis contentiosis, hoc est, licet Parochi in foro exteriori, possint inter aliquos iudicare tanquam arbitri ab ipsis electi: non tamen tanquam Iudices Ecclesiastici; qui non solum habeant curam animarum; sed etiã causarum cognitionem, & decisionem per quam actori reddant ius, de reo coram fe canonice conuento. Accedit quod ex iure communi (vt Vgolinus in cit. §. 19. num. 5. bene docet) munera Parochi sunt. Primò Sacramenta suis Parochianis administrare. Secundò, iidem Missæ sacramentis saltem festis facere, & ad illud eos de more vocare. Tertio, festis præsertim diebus, illos ad Christianas virtutes amplectendas incitare, & à vitis deterrere. Quarto, festis item diebus, Christianæ fidei rudimenta pueris tradere, Christianisque moribus imbueri. Quintò, decimas aliasque oblationes percipere. Sextò, sepulturæ, vt onera ferre; sic emolumenta acius consequi. Ad quæ officia exequenda, non est necessaria iurisdictionis alia, quam fori interioris.

112. **Q**uod si obiciat aliquis ex cap. Si Sacerdos, De offic. Ordin. quod Sacerdos auctorem damni, etiam si illi confessus sit, excommunicare possit (ita tamen vt non violetur Sacramentale sigillum de quo dictum est in præced. lib. 3.) si ille cui damnum illatum est petierit iustitiam. Respondendum, illic interpretari Panormit. ano, nomine Sacerdotis significari habentem ordinariam iurisdictionem. Quo item modo respondendum est ad illud, quod in cap. Cum ab Ecclesiis eod. tit. potestas excommunicandi tribuitur Plebano: ne in *cap. glossa interpretari*, illic esse sermonem de eo plebano, qui habet iurisdictionem in foro contentioso. Atque hæc de secularibus.

Qui ex regularibus valide excommunicare possint.

SECTIO VI.

113. **Q**uod attinet ad regulares, Palud. in 4. dist. m. 18. quest. 2. art. 1. statuit Abbatem, quia per electionem institutus est iudex suorum monachorum, habere potestatem hos excommunicandi, etiam ante ipsius benedictionem, dum modo confirmatus sit. Assentiuntur ei D. Anton. 3. par. tit. 24. cap. 7. Syluester excommunicatio. num. 5. & Nauar. cap. 27. nu. 5. Vgolinus tab. 1. cap. 2. §. 20. num. 11. atque à recentioribus communiter notatur, per cap. Transmissam De elect. vbi definitur electum confirmatum exercere posse ea quæ sūt iurisdictionis. Idemque vult Palud. sentiendum esse de Priore conuentali instituto per electionem, ex cap. Cum in Ecclesiis, De maiorit. & obed. Immo & de eo, qui cum per electionem constituitur soleat, institutus est tamen per provisionem Superioris: non item de Priore claustrali, qui sine electione constituitur ab Abbate. Is enim habet tantum auctoritatem quam illi vt delegato suo, Abbas committit: Mortuo tamen Abbate (inquit Palud.) Idem Prior vicem illius

Valerij Tom. 1. Pars II.

gerit: similiterque mortuo Priore instituto per electionem: Superior qui tunc præest conuentui vicem gerit ipse. Qui vterque proinde potest iure suo excommunicare; sicut Canonico- rum capitulum potest Sede vacante vicem Episcopi mortui gerere in spiritualibus iuxta cap. Cum olim De maiorit. & Obed. Atque istud quod de Abbatibus & Prioribus dicitur, est pari ratione accommodandum ad Superiores quarumvis Religiosarum familiarum; nisi institutio ipsarum aliud ferat. Sic enim vt pluribus in margine citatis habet Henriquez. in sua summa, lib. 13. cap. 24. §. 3. in illis quæ exemptæ sunt à iurisdictione Episcopi, non modo Generalis & Provincialis sed etiam Prior, aut Guardianus, vel Receptor habet ex officio potestatem excommunicandi. Et ratio esse potest, quod tam horum quam illorum externa gubernatio vt efficax sit, requirat tale adiumentum, tanquam neruum Ecclesiasticæ disciplinae: & ad continendos in officio subditos valde salutare; ex Concil. Trident. sess. 25. cap. 3. De reformat.

De iis qui excommunicare possunt valide tanquam delegati.

SECTIO VII.

124. **P**raeter ordinarios Iudices Ecclesiasticos, de quibus hæc tenus; ipsorum delegati excommunicare possunt ex cap. Præerea De offic. delegati. Id quod pro communiter recepta sententia proponit Couar. ad cap. Alma mater 1. par. §. 11. num. 1. in fine, & post ipsum Vgolinus de censuris tab. 1. cap. 7. in principio, citans adhuc pro eo alios canones. Intellegendum est autem cum restrictione ad ea quæ commissa sunt ipsis: & non extra illa, iuxta Palud. in cit. art. 1. cond. 11. Item dummodo is qui illos delegauit adhuc sit in viuis, nec ab officio amotus sit; aut alia ratione iurisdictionem amiserit; ex cap. Gratium, De offic. delegati. Nam alias non potest iure procedere, nisi in negotio cæpto per citationem, per quam iurisdictione continuatur, prout communem sententiam esse habet ex Iafone Vgolinus tab. 1. cap. 7. §. 1. num. 5: Adde ex Felino communem quoque sententiam esse, quod talis citatio, non proferat, nec confirmet iurisdictionem in aliis causis, non connexis cum ea quæ per citationem cæpta fuit.

125. **A**duerte autem primò, ex Sylu. in verbo Delegatus num. 1. Delegatum hic intelligi tantum eum, cui ab Ordinario causa cognoscenda & decidenda committitur. Neque enim ille cui nondum ministerium delegatur; potest excommunicationem ferre, nisi forte id speciatim sit ei commissum (quo casu posse valide excommunicare Vgolinus in sequen. nu. 7. ait communem consensum esse) quia puniunt per excommunicationem requirit causæ cognitionem quæ non est ei commissa: demanda enim executione nuda non censetur commissa causæ cognitio; iuxta legem Executorem Cod. De executione rei iudicata.

Aduerte secundò, ex eodem Sylu. ibidem num. 2. quem libet Ordinarium qui excommunicare potest, posse habere delegatum: quia illud quod est iurisdictionis, potest alteri committi, nisi quis habeat, eo modo quo postea dubio 2. exponetur, impeditum iurisdictionis suæ usum: de qua re Vgolinus tab. 1. cap. 4. §. quarto num. quinto. Adde in seq. num. 7. delegante post delegationem incidente in excommunicationem, aut officij suspensionem, ac denuntiato: delegatum amittere iurisdictionis usum: excepto quod prius cæptam causæ cognitionem sibi commissam prosequi possit, prout iam ante insinuauimus.

Aduerte tertio ex Palud. in seq. art. 2. solum delegatum Papæ posse subdelegatum, id est, à se rursus delegatum habere. De quo id ipsum, quod proximè dictum est de amissione iurisdictionis in aliis delegatis, esse dicendum patet ex cap. finali. De officio Legati.

Aduerte quarto, quod Palud. consequenter addit, visitatorem missum non solum ad simplicem enquestam (vt ipse loquitur) faciendam, & referendam: sed etiam ad corrigendum & puniendum: posse excommunicare. Nec refert, inquit ille, quod Prior claustralis punire & corrigere possit, non autem excommunicare; quia præsentem habet Abbatem qui id potest.

Aduerte quintò Officiales Episcopi magis iure ipsius,

Et quam

quam suo proprio, excommunicare posse: ut deduci potest ex cap. Romana De appellationibus in 6. ubi habetur Episcoporum & suorum Officialium vnum & idem consistorium esse censendum.

Part altera capituli in qua tractantur dubia quedam de eo qui excommunicare potest.

116. **P**rimum dubium est, An sufficientem iurisdictionem alias habens, si irretiat maior excommunicatione, possit valide excommunicare. Cui occurrendum est distinctione: vel enim est de numero eorum excommunicatorum qui vitandi sunt; & tunc certum est ex cap. Audiuimus 24. quæst. 1. excommunicationis sententiam ab ipso latam, nullius momenti esse, E ratio est, quia priuatur vsu potestatis iudicandi; per cap. Exceptionem De executionibus: ubi sub finem dicitur, excommunicatum publicè, ab officio iudicis repellendum esse: & per cap. Ad probandum, de sentent. & re iudicata: ubi dicitur, sententiam latam per publicè innotatum vinculo excommunicationis infirmam, id est, interpretate glossa, nullam esse. Vel est de numero eorum excommunicatorum quos non tenemur vitare, quia Ecclesia illos adhuc tolerat: si que dubitatur, an ab ipso lata excommunicationis sententia sit valida. De qua re in vtramque partem auctores proponit Couarr. ad ca. Alma mater 1. part. § 11. num. 4. post Felinum ad cit. cap. Ad probandum nu. 7. Vbi fundamentum eorum quod inualidam esse dixerunt, refert istud: quod publice excommunicatus, cum sit extra Ecclesiam, non possit ab ea alium elicere. Aliorum verò fundamentum esse: quod excommunicatus toleratus ab Ecclesia non priuatur vsu publici officij (quod nec contrarie sententia propugnatores negant: nisi quod in excommunicatione peculiarem rationem esse velint) ita ut teneant illa, quæ ab ipso geruntur, quatenus publicam habent auctoritatem. Quare tenebit etiam validaque erit excommunicatio ab ipso lata: præsertim cum sententia excommunicationis, inquit Felinus, facilius penetrat, id est, facilius robur suum obtineat, effectumque sortiat, quam alia pœna: siquidem ex cap. Pastoralis De appellat. sub finem, excommunicatio secum trahit suam executionem: adeo ut, ex glossa ibidem, vel statim liget vel statim nulla sit. Neque refert, quod excommunicatus, etiam occultus, Extra Ecclesiam sit: nam ut rectè ait idem Felinus, quod quis valdè excommunicet, dignitas facit non persona. Excommunicatus autem occultus in officij dignitate & vsu toleratur.

127. Hanc sententiam memorati auctores sequuntur, & recentiores communiter. Quam quoad hæreticum, restringendam esse significat Alfonso à Castro libro 2. de iusta hæreticorum punit. in cap. 23. & 24. contendens Papam & cæteros Episcopos per hæresim amittere iurisdictionem: vnde consequens est latam ab ipsis excommunicationem; esse nullam. Sed probabilior est sententia Caiet. tract. 1. De auctoritate Papæ cap. 19. & Soti in 4. dist. 22. quæst. 2. art. 2. existimantiū Papam, si fieret hæreticus similiterque cæteros Episcopos eadem labe infectos, quandiu ab Ecclesia tolerantur, retinere suam iurisdictionem: ideoque debitè latam ab ipsis excommunicationem esse validam. Id quod deducitur ex cap. Ad probandum §. Præsentis De hæreticis. Cuius verba sunt, Præsentis nihilominus ordinatione sancimus, ut quicumque manifestè fuerit in hæresi deprehensus; si Clericus sit, vel cuiuslibet religionis obumbratione fucatus, totius Ecclesiastici ordinis prærogatiua nudetur, & sic omni officio spoliatus Ecclesiastico, secularis relinquatur potestatis animaduersione debita puniendus. Hæc enim exprimit tantum ferendam, non autem latam sententiam, ut constat ex eo, quod verbum, nudetur, sit futuri temporis; cui nec additur ipso facto, vel ipso iure, nec aliud quo lata sententia significetur. Priuationem ergo officij non incurrit hæreticus ipso facto: sed postquam ad illam fuerit per Iudicem condemnatus. Accedit quod ratio ob quam valida censetur gesta per excommunicatum toleratum: (nempe quod magna oriretur in Ecclesia perturbatio, si in dubium esset reuocandum ius eorum, quibus à tali excommunicato, officium aut beneficium Ecclesiasticum est datum) perinde locum habeat in hæretico tolerato, ac in cæteris excommunicatis toleratis.

128. Secundum dubium est, An vtrab excommunicato, sic ab irregulari lata excommunicatio sit inualida. Ad quod respondet Richard. in 4. dist. 18. art. 4. quæst. 4. habentem alias sufficientem iurisdictionem si fiat irregularis, ferre validam excommunicationem. Ratio est, quia irregularitas ex se non adimit iurisdictionis vsum, sed tantummodo vsum Ordinum aut habilitatem ad eodem suscipiendos ut suo loco exponetur lib. 30. tract. 2. Ad ferendam autem validè excommunicationem, nihil amplius requiritur ex parte ferentis quam iurisdictione sufficiens, & illius vsus non impeditus.

129. Quod impedimentum, cum Vgolino (De censuris ab. 1. c. 2. §. 24.) nota nasci posse ex his. Primò, ex eo quod Prælati sit excommunicatus, nominatim denuntiatus: tunc enim nec ipse, iuxta antedicta, nec Vicarius ipsius, ex ca. 1. De officio Vicarij in 6. excommunicare potest. Quod idem de eodem Vicario dicendum est, si Prælati cuius vices gerit captus sit à paganis vel schismaticis; tunc enim iurisdictione deuoluitur ad Capitulum, perinde ac ipso mortuo: ex cap. De supplenda Prælatorum negligentia in 6. Idem autem quod de excommunicato nominatim denuntiato, esse dicendum de suspensio ab officio, communiter receptum esse addit ex Panormit. Vgolinus ibidem num. 8. Præterea nasci posse ex eo, quod Superior, prohibendi potestatem habens, ipse omnino prohibuit nec iurisdictionem exerceat, aut nec excommunicet; si que contra faciat, id pro infecto haberi vellet. Ad quod facit cap. Quia plerique De officio. Ordin. in 6. iur. & glossa, verbo Sententis. Nasci tertio posse ex eo, quod à Iudice antequam excommunicationis sententiam proferret, appellatum sit ad Superiorem. Tali enim appellatione, vsus iurisdictionis ita suspenditur in Iudice, ut si contra conetur nulla sit sententia. Id quod Vgolinus in seq. num. 9. canonum & Canonistarum auctoritate confirmat: sed in eo tanquam spectante ad forum externum, nihil opus est nos immorari. Denique iuxta communiter receptam, ut idem num. 10. addit, sententiam nasci posse ex eo, quod in quem Iudex vult ferre sententiam, ipsum recusauerit. Id quod, sicut præcedens, ad forum externum pertinet.

130. Tertium dubium est, quale peccatum committat is qui sciens aut scire debens se non posse excommunicare, nihilominus excommunicat. Ad quod Nauarr. in Enchir. cap. 27. nu. 8. respondet peccare mortaliter: quia vsurpat alienam iurisdictionem aut eius vsum; quod peccatum est mortale iuxta D. Tho. 2. 2. quæst. 60. art. 6. Ita ut sibi cauere debeant nonnulli Parochi, qui absque iurisdictione ferunt in suos subditos sententiam excommunicationis. Neque enim eos excusat quod obtundunt se comminatoriam tantum ferre ad ipsos terrendos absque intentione excommunicandi: nam plerique id ignorant, & conscientia erroneè laborantes, eam quam putant veram excommunicationem parui pendentes peccant: in quod discrimen coniecit ipsos, peccatum est graue, ut rectè monet Sotus in 4. distinct. 22. quæst. 1. art. 2. col. 7.

131. Quartum dubium, quod olim proponebatur An Ecclesiastici Iudices in vsu potestatis excommunicandi pendant à potestate laica: nunc temporis nullum habet locum: quia omnem de eare dubitandi occasionem Concil. Trident. sustulit sess. 25. cap. 3. De reform. cum præcipit, ne Episcopus ad excommunicationis concedendas cuiusvis secularis, etiam magistratus, auctoritate adducatur: sed totum in eius arbitrio & conscientia, sit positum, quando ipse pro re, loco, persona, aut tempore decernendas esse iudicauerit. Item postea verus finem capitis habetur, nefas esse seculari cuiilibet magistratu prohibere Ecclesiastico Iudici ne quem excommunicet: aut mandare ut latam excommunicationem reuocet: sub prætextu quod obserua non sint contenta in eo decreto Concilij: pura quod pro re leui, nec sufficiente monitione præmissa lata sit Non enim ad laicos, sed ad Ecclesiasticos talis cognitio pertinet.

132. Quà tamen Consilij definitione non obstante Nauarr. in lib. 5. Consiliorum iur. De excomm. consil. 1. à peccato excusat quod pluribus in locis à seculari magistratu non permittuntur laici seculares suo seculari foro renuntiare, & se Ecclesiastico submittere: confitendo debitum, seque obligando ad soluendum illud in certum diem: suscepto sponte Iudicis præcepto, ut promissionem impleant sub pœna excommuni-

nicationis latae sententiae. Nam licet per hoc, impedimentum aliquid usui excommunicationis ponatur: non ideo tamen ipsum esse censendum illicitum: inde probat idem Nauarrus, quod ex permissione talis renunciationis & submissionis, fraus fieret iurisdictioni laicorum: siquidem omnes ferè contractuum ciuilium causae referrentur ad curiam Ecclesiasticam, curiam illorum desertat: quod alienum est à ratione, ut patet: quia Ecclesia quae cultrix est iustitiae non debet cum aliena iactura locupletari. Adde nec eam uelle ut iurisdictione laica fraude in partatur, neque intendere iurisdictioni Regum praedudicare ex c. Nouit De iudiciis. Hæc Nauar. quæ saluo semper Superiorum saniori iudicio accipienda esse uult, & nos cum eo uelle debemus.

CAPVT VIII.

De eo in quem excommunicatio ualide ferri potest.

SVM MARIVM.

- 133 Angeli excommunicari non possunt, non modo boni, sed nec mali.
- 134 Nec item possunt bestia.
- 135 Nec homines non baptizati, etiamsi catechumeni sint, seu ad fidem conuersi.
- 136 Nec homines uita sancti.
- 137 Obiectio de hereticis post mortem anathematizatis, cum solutione.
- 138 Vniuersitatem excommunicari non posse.
- 139 Possunt tamen qui sunt de vniuersitate, & quaratione.
- 140 Non modo iniusta sed etiam inualida est excommunicatio lata in vniuersitatem. Et quod nemo à seipso, aut à pari aut ab inferiori possit excommunicari.
- 141 Papa excommunicari non potest, nec Archiepiscopus à suo Suffraganeo.
- 142 Episcopus non ligatur excommunicatione à se lata: illius tamen occasione incurrit potest in latam aduersus eos qui cum excommunicatis communicant in crimine criminioso.
- 143 Episcopus excommunicari potest à suo Metropolitanano non item subditi ipsius, exceptis Officialibus, cum peccant in executione officij, quod gerunt vice eiusdem Episcopi.
- 144 Quis possit excommunicari, & quibus modis contingere possit, & aliquem esse excommunicatum subditum.
- 145 Idem subditus potest à suo Superiore pluribus excommunicationibus ligari, etiam ob idem peccatum.
- 146 Excommunicatio lata per statutum Episcopi, non incurritur ab ipsis subditis delinquentibus extra territorium.
- 147 Limitatio cum qua id accipiendum est.
- 148 Quomodo possit, aut non possit Episcopus ligare subditum suum existentem extra territorium ipsius.
- 149 Excommunicari potest absens.
- 150 Committens delictum in alieno territorio in quo propter illud imposita est excommunicatio, in eam incurrit.
- 151 Huius extensio & limitatio.
- 152 Quando excommunicationem latam per modum sententiae hominibus, incurrit non subditi committentes delictum propter quod lata est.
- 153 Committens delictum in loco exempto à iurisdictione Episcopi, non incurrit in excommunicationem ab hoc propter illud latam.
- 154 Quomodo possit aut non possit quis excommunicari ab Episcopo proprio existente extra suam diocesim.

Hoc caput sicut præcedens bipartitum erit, in priorè parte tradetur explicatio rei propositæ, & in posteriorè tractabuntur aliquot dubia ad eam spectantia.

PRIOR PARS CAPITIS.

In qua traditur explicatio rei propositæ.

Ad rei propositæ explanationem supponenda sunt duo. Alterum, quod is solus excommunicari possit, qui est capax bonorum quibus excommunicatio priuat; nam excommunicatio est quædam priuatio, & omnis priuatio est negatio formæ in subiecto illius capaci. Alterum, excommunicationem cum sit actus iurisdictionis, non nisi in subditum posse ferri: ita ut nequeat non subditus excommunicari, pro-

ut recepram sententiam esse aliquot in eam citatis testatur Vgolinus De censuris ab. i. cap. 2. §. 1. num. 1. & 2. Vbi ad confirmationem inducit capitulum Conquerente & cap. Dilectus iuncta glossa De officio Ordinarij, & cap. A nobis 1. & cap. Sacro De sententia excommunic. & cap. 1. & cap. Romana §. Porro, eodem tit. in 6. & cap. finale De Constitut. eod. lib.

Nec Angelum, nec bestiam, nec hominem non baptizatum excommunicari posse.

SECTIO I.

EX quibus fundamentis inferitur primò, Angelum bonum excommunicari non posse: quia nec est capax Sacramentorum, aliorumque bonorum quibus excommunicatio priuat, nec ulli homini subditur: ut patet ex verbis Domini Matth. 11. Amen dico uobis, non surrexit maior inter natos mulierum Ioanne Baptista. Qui autem minor est in regno caelorum, maior est illo. Item ex Psal. 8. & ex cap. 2. epistol. ad Hebr. ubi Deus dicitur hominem minoralle paulo minus ab Angelis.

Inferitur secundò, neque diabolum excommunicari posse, quod Nauar. expressit in Enchir. cap. 27. num. 13. Nam & scripte est Angelus licet malus, bonorum quibus excommunicatio priuat minimè capax. Neque est quod quis obicit anathematizationes, quibus exorcismorum libelli sunt pleni. Nam ea sunt imprecationes & detestationes, quibus id nomen accommodatur, sicut Marci 14. cum de Petro dicitur Cæpit anathematizare. &c. quem constant tunc vsurpassè, non quidem excommunicationes de quibus agimus, sed imprecationes & detestationes. Eas autem diuersas esse ab excommunicatione, inde constat aperte, quod illas exercere possit exorcista, qui ex tali officio non habet iurisdictionem necessariam ad ferendam excommunicationem. Adde quod excommunicatio feratur ad deducendum contumacem à sua contumacia. Dæmon autem sit obstinatus in sua.

Inferitur tertio, neque bestias (quod etiam loco cit. expressit Nauar.) excommunicari posse. Nam constat prædictorum bonorum eas minimè capaces esse. Quanquam ut idem ait, aduersus locustas brachos & alia eiusmodi vermium genera, religiosè ut possumus aquà benedictâ, precibus, & adiuuationibus sanctis, fundatis in diuina bonitate, & misericordia, ac sanctissimis uerbis ipsius, Institutioneque Ecclesiæ Catholicæ. In quibus precibus & adiuuationibus uerba non sunt reserenda ad bestias ipsas, sed uel ad Deum, ut dignetur misericorditer tale incommodum auertere: uel tanquam exorcismi, ad dæmones, ut Dei uirtute cessent nobis esse infesti. De qua re Vgolinus tab. 1. c. 17. in principio, n. 2.

Inferitur quarto, nullum Paganum, Turcam, aut Iudæum excommunicari posse: quod expressè tradunt D. Anton. 3. parte tit. 24. cap. 75. §. 1. & Syluest. excommunicatio 1. num. 7. multique alij quos commemorat Vgolinus in eodem ca. 17. §. 5. num. 2. Et patet ex cap. Multi 2. quaest. 1. unde habetur correctio Ecclesiasticam quæ per excommunicationem, fit, esse eorum qui ad Ecclesiam pertinent, non autem eorum qui foris sunt: iuxta illud prioris ad Corinth. cap. 5. Nunc autem scripsi uobis, non commiseri, si is qui frater nominatur est fornicator aut auarus &c. Quidem mihi de iis, qui foris sunt iudicare, Et ratio in promptu est: quia nequeunt priuari participatione Sacramentorum ad quam nullam fuerunt admissi, nec ut tales admitti possunt iuxta c. Veniens De presbytero non baptizato. Quæ ratio sufficit ad demonstrandum ne catechumenos quidem seu conuersos ad fidem (etiam si aliqua ratione subiiciantur ditioni Ecclesiæ) excommunicari posse: quod in cit. n. 13. expressit Nauar. Unde licet inferre, quod etiam si detur, quod contemdit Alphonsus à Castro in l. 1. De heret. p. mitione c. 8. Catechumenum fide imbutum, si antequam baptizetur in aliquam hæresim incidat, censendum esse hæreticum: non debere tamen ceteri incurrisse excommunicationem bullæ Cænz Domini, latam in hæreticos. Cæterum hoc quod dicitur non posse Paganos, Turcas, Iudæos, & Catechumenos excommunicari, non est, prout D. Anton. & Sylu. locis cit. alij; ab Vgolino in seq. n. 4. relati admovent, extendendum ad priuationem externæ communicationis fidelium. Nam Ecclesia potest illos indirectè eâ priuare: nimirum prohibendo fidelibus, ne cum illis conuersentur.

136. Infertur quintò, hominem mortuum excommunicari non posse: quod non modo Theologos omnes sed etiam iuris canonici peritos te aere admonent Covarr. ad cap. Alma mareti. part. §. 11. num. 8. & Alphonsus à Castro in lib. 2. de iusta heretic. punitione cap. 19. Qui bonam rationem addit: quia potestas iuris iudiciorum ad excommunicandum, Prælati Ecclesiæ concessa est tantum in eos qui sunt super terram, hoc est, qui adhuc vitam in hoc mundo agunt: non autem in eos qui vita functi, supra aut infra terram sunt. Namque concessa est à Christo illis verbis Matt. 18. Quæcumque alligaueritis super terram erunt ligata & in celo. Atque concessa; in eum qui semel & iterum à fratre, & tertio à Prelato correptus, emendari recusat, tanquam contumax & rebellis: prout patet ex eod. cap. 18. in illis verbis Si te non audierit, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit sit tibi tanquam ethnicus, & publicanus. At vero mortuus, cum non possit à fratre, aut ab Ecclesia moneri, non potest censeri contumax & rebellis Ecclesiæ. Quate nec potest excommunicari congruenter Christi institutioni: adeo utis, qui dedit alicui mandatum de Clerico occidendo, si è vita decedat antequam facinus, à se mandatum committatur, non sit censendus excommunicatus: etiam si contingat illud committi; ipso vita iam functo. Ita notat glossa ad cap. Mulieres, De sentent. excommunic. §. Illi verò, verbo Authoritate.

137. Sed contra obiici potest, à sanctis Patribus, non modo viuentes: sed etiam mortuos hæreticos fuisse anathematizatos: ut in sexta synodo actione vltima, Theodorum, Sergium, Pyrrhum & quosdam alios quierant mortui: & in Concil. Constantiensi sess. 8. Ioannem Wiclefiam defunctum. Adde in cap. Si quis De hæreticis præcipi ut anathema dicatur Episcopo mortuo, qui hæreticum aut paganum hæredem instituerit. Cui obiectioni responderi Alphonsus in postrema parte citati cap. 19. per sententiam qua post mortem damnatur hæretici, hos non excommunicari tunc primò, quia per mortem extra iudicium hominum constituuntur: sed declarari hæc vel illam hæresim pertinaci animo fuisse amplectatos, & per consequens fuisse excommunicatos. Episcopum autem, eo quod hæredem instituit hæreticum aut paganum, præsumi hæreticum: ut ad cit. cap. Si quis notat Panormit. Ideoque declarari esse pro excommunicato habendum. Quæ tamen sententia ex eo; quod solum sit declaratoria non est putanda parui momenti esse, aut frustra ferri. Næ est in nullo liget defunctorum animas, effectum tamen habet quoad multa quæ in hac vita illos attingunt. Etenim per huiusmodi declarationem bona ipsorum confiscantur; iuxta cap. Accusatus §. In eo, De hæret. in 6. Deinde filij ipsorum contrahunt infamiam iuris (de quare plura idem Alphonsus in præced. cap. 9.) neque admittuntur ad beneficium Ecclesiasticum aut publicum officium vsque ad 2. generationem: quodque secus actum fuerit, irritum inaneque est; iuxta cap. Statutum 2. De hæret. in 6. Præterea corpora ipsorum cognoscuntur indigna esse Ecclesiasticâ sepultura: ita ut sepulta in loco sacro inde proiicienda sint, si ab aliis corporibus internosci possint: iuxta cap. Sacris. De sepult. ut corpus Ioannis Wiclef proiciendum præcepit Concil. Constantiense in cit. sess. 8. Quocirca licet ea, quæ propriè est excommunicatio, ferri non possit in mortuū: potest tamen in propria quædam in eum decerni; etsi enim quoad animam separatus est omnino à iudicio Ecclesiæ: tamen quoad corpus & ea quæ ad illud attingere possunt, adhuc Ecclesiæ subicitur. Quæ de re videri potest Vgolinus in memorato cap. 17. §. 2.

Nec vniuersitatem, nec quemquam à se aut ab æquali, aut ab inferiori, excommunicari posse.

SECTIO II.

138. Infertur sextò, vniuersitatem seu communitatem excommunicari non posse: quod per cap. Si habes 24. quæst. 3. cum D. Thoma in 4. distin. 8. quæst. 2. art. 3. quæstion. 2. tenent Doctores quorū meminit Vgolinus in tab. 2. de censuris cap. 26. in principio num. 4. Et ratione confirmatur; quia si vniuersitas sumatur ut abstractum quoddam, in quo multi communicant, non est subiectum capax communicationis; à qua excommunicatio excludit. Nam talis communi-

catio est in actibus, qui tantum sunt singularium; non autem vniuersorum, & abstractorum. Sumpta autem vniuersitas collectivè pro omnibus iis personis ex quibus ipsa constituitur, excommunicari prohibetur in ca. Romana §. In vniuersitate De sentent. excommunicationis in 6. vbi prohibitionis ratio redditur, quod non nunquam contingeret innocios tali sententiâ irretiri. Nam demus aliquid mandatum esse alicui Capitulo sub pœna excommunicationis late sententiæ; id est, quod si non fiat, omnes & singuli qui de illo sunt, in excommunicationem incurrant. Maiorem verò illius partem nolle obedire, reliquis maximè volentibus; oportet hos qui innocentes essent, pœnæ excommunicationis subiecti: quod absurdum est.

Aliud esse autem, si aliquid ita præciperetur vniuersitati, ut quicumque de ea non obtemperaret tali præcepto, excommunicationem incurreret; nam habetur ex cit. §. In vniuersitate: in eos de collegio vel vniuersitate quos culpabiles esse constitit promulgandam esse excommunicationem, non autem in ipsam vniuersitatem. Eamque communem sententiam esse Vgolinus notat in cit. cap. 26. §. 4. Adde ad eam promulgationem non esse opus noua singulorum præmonitione in particulari, cum præfatum ius requirat tantum ut confiterit culpabiles esse. Proccedere autem propositionem illam, etiam si omnes de vniuersitate fuerint contumaces, probatur ex eo, quod in dicto §. In vniuersitate, Papa prohibeat penitus, ne excommunicatio feratur in vniuersitatem. Nam penitus, idem est ac omnino, & in nullo casu. Itaque licet omnes de collegio sint contumaces non debent tamen excommunicari tanquam omnes, v.g. dicendo Excommunico omnes de tali collegio; sed tanquam singuli v.g. dicendo Vnumquemque de tali collegio qui mihi non vult obedire excommunico.

Sed quæret aliquis, An si feratur sententia excommunicationis in vniuersitatem, valida sit etiam si iniusta. Cui respondendum est ex Palud. & Richardo in 4. distin. 18. ex illo quidem quæ. 2. art. penult. & ex hoc art. 5. quæst. 3. esse inuallidam: tum quia continet intolerabilem errorem, ut pote quæ ad aliquos culpa carentes extendi potest, tum quia prohibetur à iure ad vitandum animarum periculum, quod inde sequi potest, prout in eod. §. exprimitur. Cui periculo non esset factis profuturum, nisi ius ipsum illam redderet irritam: sicut reddere, particula penitus prohibemus in eodem §. posita, non obscure indicat.

Infertur septimò, neminem à seipso vel ab æquali vel ab inferiori posse excommunicari. Quam esse communem sententiam auctoribus in eam citatis notat Vgolinus De censuris tab. 1. cap. 2. §. 6. num. 2. Intelligenda est autem siue sermo sit de excommunicatione ab homine, siue de excommunicatione à iure, quia vtriusque par est ratio. Iam quod ex ante positis fundamentis eadem sententia inferatur, patet: quia nemo est sibi subditus cum non possit sibi iubere, aut prohibere aliquid: ex leg. Si de re sua. Cod. De receptis arbitris, & multo minus seipsum inuitum cogere, ut fit per excommunicationem, quæ actus est iurisdictionis tanquam potestatis coactiue.

Deinde cum par in parem non habeat imperium ex ca. Innotuit de elec. nec par parem potest excommunicare: cum excommunicatio sit actus non modo imperantis, sed etiam inuitum cogentis. Ad hæc solum subditum sententia excommunicationis ligat ex cap. A nobis primo de sententia excommunic. & ideo nemo ab inferiori nec à pari, sed tantum à superiori, potest quis excommunicari.

Sequitur autem ex propositione doctrina Papam non posse excommunicari. Nam cum in Ecclesia non habeat superiorem, ut nec in corpore humano, caput habet membrum superius, non nisi vel à se vel à pari vel ab inferiori possit excommunicari. Vnde fit ut quantumcumque is committat peccatum, cui à iure annexa est excommunicatio, in illam tamen non incurrat: quia tale ius non fertur nisi ab ipso meto Papa aut ab aliquo suo prædecessore, cui par est in auctoritate & dignitate, aut ab inferiore.

Sequitur secundò, quod Episcopus, ut ipse inferior, non possit excommunicare Metropolitanum suum: ideo si hic in illius territorio committat peccatum; pro quo ibi ab Episcopo ipso lata est excommunicatio, eam non incurret. Ne-

que enim inferior potest iudicio potiorē ligare ex c. Inferior dist. 21. Id quod Syluester expressit in verbo Excommunicatio primo num. 8. aliquot alios citans in eadem sententiam. Et si nō defuerint qui aliter sentirent, quorum idem meminit. Sed aperte refelluntur ex eo, quod per iurisdictionem, sit quis superior eo, in quem illam habet tanquam Index eius.

143. Sequitur tertio, si Episcopus aut alius habens auctoritatem, excommunicet omnes illos qui furtum aut aliquid aliud fecerint, ipsum non ligari quantumvis tale quid commiserit: id quod habet Nauar. in *Enchir. cap. 27. num. 6.* citatis aliis in eadem sententiam. Procedit autem in eo etiam, qui potestatem excommunicandi habet tantum delegatam: prout alius citatis notat Vgolinus *De censuris tab. 2. cap. 17. §. 6. num. 3.* Sed aduerte illud non obstat quominus ligetur Episcopus, qui excommunicationem decernit in omnes eos qui aleis inserunt, si ludat cum eo, qui iam in illam incurrit: quia non ligatur quidem per sententiam à se latam, ligatur tamen per latam in cap. Nuper & in cap. Si concubina De sentent. excommunicat. per quam excommunicantur communicantes cum excommunicatis in crimine criminoso, id est, pro quo excommunicati sunt. Dixi, qui illam iam ante incurrit: quoniam si talis Episcopus luderet cum eo qui nondū lussisset non ligaretur; non quidem per sententiam à se latam, cui non subiicitur: nec per aliam ante memoratam, quæ tantum fertur in eos qui in crimine criminoso communicant cum iis qui iam in excommunicationem incurserunt, ut bene monet Caiet. in verbo Excommunicatio c. 57. ideoque non ligatam incurram excommunicationem, nec quo tempore primum incurritur, ut notat Nauar. in *seq. num. 33.* Aduerte præterea cum eodem Nauar. in prius cit. num. 6. si Episcopus tantum sit denunciator excommunicationis lætæ à Summo Pontifice, aut ab alio Superiore, id non impedire quominus in eam incurrat, si fecerit aut omiserit, id quod per illam prohibetur aut præcipitur.

144. Sequitur quarto, posse Episcopum excommunicari à suo Metropolitano tanquam ipsius subditum: quod est expressum à Palud. in 4. *dist. 18. quest. 2. in 2. parte art. 1. conclus. 2.* Pro quo facit cap. Pastoralis, De offic. Ordin. vbi Episcopus dicitur esse subiectus suo Metropolitano, etiamsi hic in illius subditos nullam habeat potestatem: exceptis quibusdam articulis seu casibus: iis scilicet quos commemorat Syl. in verbo Archiepiscopus num. 2. Admonet autem idem Paludan. Metropolitanum non debere excommunicationis sententiam ferre in Episcopum suffraganeum suum, nisi prius impensum & interdictum: quod deducit ex c. Sane 2. De offic. deleg. Admonet etiam, ut Episcopum sic etiam Episcopi Officiales possent à Metropolitano excommunicari: & probat ex c. Romana, De offic. Vicarij in 6. Quod intellige cum glossa ibidem, verbo Rationabil: quādo illi peccant in iis quæ sunt sui officij, & iurisdictionis, quam vice Episcopi exercent. Nā in aliis non magis possunt ab Archiepiscopo puniri, quam reliqui de subditis sui Suffraganei, ut ead. glossa annotat: & facile potest deduci ex cap. Romana, De foro competentis in Sexto. Quod verò nequeat Metropolitanus excommunicare subditos Suffraganei sui patet: quia excommunicatio actus est cuiusdam potestatis cogendi subditum: & ex citato ca. Pastoralis Metropolitanus nequit Suffraganei sui subditum cogere inuitum: cum in eum, exceptis quibusdam casibus, nullam habeat potestatem.

Qui tandem sint qui excommunicari possunt.

SECTIO III.

144. Relinquitur ex hæcenus habitis, illum qui excommunicari potest, esse hominem Baptificali caractere insignitum, nondum vita functum, determinatum, nec in aliquo consulo sumptum (ut cum sub nomine communitatis sumitur) & excommunicanti subditum. Quod vltimum aduerte contingere posse primo, ratione domicilij, siue ex eo quod habeat quis domicilium, habiterque in territorio excommunicantis: nisi sit ab illius iurisdictione exemptus: vel privilegium habeat ut excommunicari nequeat. Id quod declaratum plenius videri potest apud Vgolinum *De censuris tab. 1. cap. 2. §. 12.* Vbi numero 11. aliis cit. bene notat, non posse valere privilegium ut quis nequeat, ne quidem à Romano Pon-

tifice excommunicari. Nam non modo alius, sed nec Papa potest tale privilegium dare: quia ut is neminem à Dei potestate eximere potest: ita nec à sua: cum in terris gerat Dei vires: ut habetur in c. 2. de translat. Episcopi.

Contingere potest secundo, ratione originis, prout declarat Vgolinus in sequent. §. 13. Inquies communem sententiam esse, quod existens in loco suæ originis possit ibi excommunicari quantumcumque domicilium alibi habeat.

Contingere potest tertio, ratione contractus ut idem quoque §. 14. consequenter declarat, docens eum qui in aliquo loco contractum, aut quasi contractum inire, posse dum ibi est, quantumvis domicilium alibi habeat, excommunicari ab Episcopo eiusdem loci. Itemque dum ab illo abest, si cum adesset præmonitus sufficienter, inde discessit contumax.

Quarto, contingere potest ratione delicti, de qua re postea dicemus.

Quinto, contingere potest ratione rei quæ in territorio excommunicantis sita est, ut idem author §. 16. declarat: docens eum qui conuenitur actione in rem, quæ sita est in aliquo territorio: si is ibi inueniatur, & antequam illine discesserit, saltem citetur: resque illa sit immobilis, vel ibi perpetuo mansura: Eum, inquam, etiamsi domicilium alibi habeat, posse ab Episcopo loci excommunicari.

Postremo, potest contingere ratione voluntatis se subiiciendi alterius iurisdictioni: quod etiam Vgolinus declarat §. 17. docens parem à pari immo superiorem ab inferiori (excepto Papa) posse excommunicari, si iurisdictioni ipsius se subiiciat. Quod Clericus facere non potest sine licentia Episcopi sui: nec Episcopus sine licentia Archiepiscopi sui: neque exemptus sine licentia eius cui manet exemptus. De his tanquam spectantibus potissimum ad forum externum, nihil est necesse quod agamus pluribus.

Porro non modo vnâ, sed & pluribus excommunicationibus potest subditus ligari: ita ut iam excommunicatus possit iterum excommunicari: ut patet ex cap. Engeltrudam 3. quest. 4. vbi Engeltruda dicitur sæpius anathemate perculsa: & ex cap. Ira quorundam De iudicis, vbi præcipitur ut in claustribus maritimis crebra & solemnibus excommunicatio feratur in eos qui arma, ferrum, & galearum lignamina deferunt ad Saracenos: & ex cap. Vnico De iis quæ vi, & c. in Sexto: vbi absolutio ab excommunicatione per vim extorta declaratur nulla: & noua excommunicatione irretitur is qui illam extorsit Ratio etiam confirmat. Nam ut ille qui per peccatum separatus est à Deo, potest adhuc per alia subsequentia peccata magis separari: ita & qui semel per excommunicationem ab Ecclesiæ communione semotus est, potest per subsequentem longius semoueri: seu magis extra Ecclesiam detineri: ex glossa finali ad citat. cap. Ira quorundam.

Ex qua adde: sublatâ primâ excommunicatione, per secundam manere excommunicatum perinde obnoxium priuationi communionis fidelium ac prius: ita ut eidem communioni restitutus minimè censetur, donec sit absolutus ab omnibus. Adde etiam ex Soto in 4. *dist. 2. quest. 2. art. 2. conclus. tertia*, non solum propter nouum crimen, sed etiam propter vnum & idem (ad maiorem terrorem scilicet & confusionem) posse excommunicationem iterato in aliquem contumacem ferri: quia quamuis non sit aliud crimē, ipsa tamen obstinatione per quam indurefcit quis, recrudescitque in eodem crimine, fit dignus acriori animaduersione.

Aduerte tamen ex Palud. in 4. *dist. 18. quest. 2. sub finem*: quādo plura iura decernunt excommunicationem pro eadem causa: ut v. g. pro violenta iniectione manuum in Clericum, sententiam videri vnâ esse, quia ius posterius, declaratiuum est prioris. Vnde ob eiusmodi duplex ius, non incurritur duplex excommunicatio à iure.

POSTERIOR PARS CAPITIS.

In qua tractantur dubia quadam de re proposita.

Superfunt aliquot dubia, quorum explicatio requiritur ad plenam rei propositæ cognitionem.

146. Primum est, An aliquis extra territorium ligetur excommunicatione generaliter lata per statutum sui Episcopi. Cui respondendum est negativè, cum auctoribus quos refert & sequitur Covarr. ad cap. Alma mater 1. par. §. 10. num. Non enim ligari manifestum est ex cap. Vt animarum, De constitut. in 6. ubi habetur per Episcopum statutum, quo excommunicantur omnes qui furtum fecerint, non ligari subditos ipsius committentes furtum in alia diocesi. Subiiciturque ratio: quia dicenti ius extra territorium impunè non paretur, ex lege fin. ff. de iurisdic. omnium iudicium. Immo ut ibidè auctoribus citatis addit Covar. si Episcopus de facto intendat statuto suo ligare excommunicatione subditos suos delinquentes in aliena diocesi, non ideo ligabuntur. Ratio est, quod memoratum cap. Vt animarum, causam cur statutum Episcopi non liget extra territorium, constituat non in defectu intentionis ligandi: sed in defectu potestatis significato per illa verba, *Dicenti ius extra territorium impunè non paretur.*
147. Verumtamen Angelus excommunicatio 1 & Sylvester Excommunicatio. 2. *illenum. 10. & hic num. 8.* aliquos casus notant in quibus istud fallit. Aque in genere statuuntur, ad id ipsam requiri non tantum ut delinqueret, sed etiam ut res circa quam delinquitur, & delictum totaliter sint extra territorium. Nam si quis Episcopus per statutum excommunicet omnes Curatos, exempli gratia, sibi subditos, non residentes: qui talis est, etiam constitutus extra territorium, nisi iustam excusationis causam habeat, in excommunicationem incurrit: quia delinquit circa rem quæ est in eiusdem Episcopi territoria. Similiter si per statutum excommunicet eosdem, qui non conveniunt ad Synodum; ille qui contemnit adesse, quantumvis sit extra territorium incurrit in excommunicationem: quia censetur in territorio delinquere. Nà delictum omissionis ibi committi reputatur, ubi id quod omissionem est debuit executioni mandari. Notat etiam idem Sylv. in seq. num. 15. & ante eum D. Anton. 3. par. tit. 2. 4. cap. 75. §. 1. sub finem. subditos Religiosos ubi cum que locorum fuerint, Prælatorum suorum sententiis ligari, ac teneri obedire, & Rationemque reddunt, quia totus mundus est eis pro territorio.
148. Secundum dubium est. An Episcopus subditum suum extra suum territorium possit ligare excommunicatione ab homine, si non potest excommunicatione à iure. Cui Angelus, & Sylvest. ibidem: *illenum. 11. & hic num. 10.* respondent distinctione: inquentes excommunicationem si generaliter feratur pro culpa præterita (ad habendam scilicet emendationem & satisfactionem) ut si dicat Episcopus Excommunico omnes qui sacrilegium commiserunt; tunc ligare subditum etiam existentem extra territorium, si in territorio (non item si extra) sacrilegium commiserit. Itemque si excommunicatio specialiter, nominatimve feratur in aliquem pro culpa præterita; eam ligare ipsum etiam si extra territorium deliquerit & existat. Nam Episcopus subditum apud se accusatum de crimine, quod extra territorium commisit, potest compellere ad parendum coram se; si que nolit obedire, potest ipsum etiam extra territorium existentem, excommunicare: saltem ratione inobedientia, quæ censetur committi in territorio, ubi obedire teneret: ita ut pro illa; sicut pro alio crimine commisso in suo territorio, Episcopus possit ipsum excommunicare. Sin autem excommunicatio feratur ab homine, siue generaliter siue specialiter pro culpa futura; illius eandem rationem esse quam late à iure, in hoc quod nec ignorantes nec extra territorium delinquentes liget.
149. Tertium dubium est. An aliquis possit absens, intra diocesim tamen existens, excommunicari à suo Episcopo. Cui glossa ad cap. De manifesta, verbo Iudicium, 2. quæ est. 1. responderet posse: quod patet ex illa excommunicatione quam D. Paulus absens tulit in fornicarium cap. 5. prioris ad Corinth. Adde & eum qui post præmissam canonicam monitionem, seu qui sufficienter præmonitus, non obtemperat, ligari per latam in ipsum sententiam excommunicationis: etiam si ignarus, in seclive sit illius, ut communem sententiam esse annotat Covar. ad cap. Alma mater 1. par. §. 10. num. 7.
150. Quartum dubium est. An qui delinquit in territorio Prælati cuius non est subditus, incurrat in excommunicationem statuto eiusdem Prælati decretam in eos qui delictam eiusmodi commiserint, cui glossa 2. ad cap. A nobis 1. De senten. excommuni. responderet incurrere. Et rationem reddit, quoniam iuxta cap. vltimum. de foro compet. ratione delicti foritur quis forum: siue, *quod idem est*, ratione delicti efficiatur quis subditus ei Prælati in cuius ditione illud commiserit: ita ut possit coram eo rite conveniri: possitque idem Prælati, quoad tale delictum, iurisdictionem suam in illum exercere ex cap. 1. De privileg. in 6. circa principium: & pluribus aliis citatis Covar. quoque annotat in præced. num. 2. Sicut igitur ratione delicti commissi in alieno territorio potest quis ibidem à Iudice ordinario ligari, seu puniri quoad corpus: ita etiam potest quoad animum per excommunicationem: ut rectè notat Panorm. ad cap. 1. De rationibus num. 4.
- Cum quo in seq. num. 12. observandum etiam est; statuto quo excommunicationem imponit Episcopus, ligari omnes, nisi fuerint Superiores ipsius, qui in illius territorio committunt delictum illud propter quod lata est eadem excommunicatio: etiam si ij sint pares dignitate, ut sunt alij Episcopi, atque etiam illo maiores, ut sunt Archiepiscopi: quoniam ibi censetur privare persone, rationeque delicti sunt subditi tali Episcopo; quandoquidem nulla videtur esse causa cur eximantur à subiectione subeundi pœnam ei delicti ibi decretam: nisi forte, prout tractat Vgollinus De censuris lib. 1. cap. 2. §. 16. num. 5. & 6. ipsi sint ab illius iurisdictione exempti: aut habeant aliquod privilegium personale nec ratione delicti efficiantur subditi, aut ne à quoquam excommunicari valeant; quia tunc necesse, nec quibus aliis tali privilegio munitis, ligaretur iuxta cap. 1. §. In eos, De privileg. in 6. Ratio autem facta exceptionis Superiorum, in promptu est: quia Canonice, inferior non iudicat Superiorem ex cap. Cum inferior De maior. & obediens ac proinde nec obligat per suum statutum. Attamen si contingeret Suffraganeum habere aliquem locum pertinentem ad alium Archiepiscopatum, Archiepiscopus ille cuius est Suffraganeus in tali loco delinquens, ligaretur statuto ipsius: quia tunc spectaretur ut privata persona non ut Superior, prout ostendit Vgollinus in cit. cap. 2. §. 25. num. 3.
- Quintum dubium est. An si excommunicatio feratur ab Episcopo, non quidem per modum statuti, sed per modum sententiæ hominis, eam irradiantur non subditi, qui in eiusdem Episcopi territorio commiserint delictum propter quod illa decreta est. Ad quod Angelus Excommunicatio 1. & Sylvest. Excommunicatio 2. *illenum. 11. & hic num. 10.* respondent distinctione. Nam non subditus, qui delinquit in territorio Episcopi: vel quando fertur sententia excommunicationis adhuc ibidem est; & tunc per eam ligatur, non secus ac per aliam, quæ statuto decreta esset: quoniam ad illam eadè iurisdictione, quæ ad hanc, nec maior requiritur: vel iam inde recessit, & tunc siue excommunicatio feratur generaliter siue specialiter, non ligat non subditum (iure enim quodam gentium, nemo censetur alteri subditus propter delictum, nisi cum est in eius ditione) nisi is antequam discederet ex territorio in quo deliquit fuerit præventus citatione vel Iudex proprius sub quo degit requisitus, compelleret ipsum se sistere eiusdem territorij Episcopo; quia nolens obedire, posset excommunicari. Quod si excommunicatio feratur pro culpa futura, nonnulli putant ligare non subditos; quia illi ratione delicti sunt subditi. Sed memorati auctores contrariam sententiam; sicut ante eos sentit Panorm. ad cap. A nobis 1. De sent. excommuni. num. 7. & post eos Covar. ad cap. Alma mater 1. par. §. 10. n. 2. Et probant ex differentiâ quæ est inter statutum, & sententiam hominis: quod illud trahatur ad tempus futurum; & hæc statim ac fertur vires suas sumat in eos contra quos profertur. Tales autem non possunt alij esse, quam tunc subditi eidem homini. Illi autem de quibus agitur, quando talis sententia fertur, sunt simpliciter non subditi: cum ex hypothese, delictum ipsorum, ut pote futurum, tunc non sit deo: quæ ob illud dici nequeant subditi esse ratione delicti.
- Sextum dubium est. An possit Episcopus per suum statutum excommunicatione innodare omnes absolute qui intra suam diocesim aliquo delictum commiserint; si in eas locas exemptus à iurisdictione ipsius. Ad quod respondent Palud. & Gabr. *vires que in 4. distinct. 18. quæst. 2. ille parte posteriore articulo*

articuli 2. & hic concl. 6. locum intra diocesim alicuius Episcopi exemptum, quoad iurisdictionem per eandem Episcopum exercendam, æquivalenti loco existeri extra diocesim: quod deducitur ex cap. Cum Episcopus De offic. Ordin. in 6. & ex cap. Volentes De privileg. cod. lib. §. Nunquid ergo; & ex Clement. Archiepiscopo, De privileg. sub finem: in quibus Episcopus perinde prohibetur exercere suam iurisdictionem in locis intra suam diocesim exemptis, ac in illis qui extra eam sunt. Adeo ut Episcopus ipse nullam iurisdictionem habeat in locis exemptis, ut nec extra territorium, paucis casibus exceptis de quibus glossa ad cit. cap. Volentes verbo instituta, atque aliis, in quibus Concil. Trident. diversis locis Episcopo subiecit regulares exemptos & moniales: quos casus Henriquez in summa Theologie moralis libro 7. c. 24. §. 3. lit. O. in margine refert: in quibus tanquam spectantibus potissimum ad forum externum non immorabimur.

Constitutum sitigitur ex dictis illos qui in loco exempto committunt delictum propter quod ab Episcopo decreta est excommunicatio, non ligari per eam: sicut neeligantur qui illud extra diocesim committunt. Pari modo iudicandum est de aliis difficultatibus, quæ moveri possunt quoad loca exempta: nimirum ut idem statuatur, quod statueretur quoad locum extra territorium, exceptis illis casibus, quorum præcipuus est casus hæresicos: in quo iuxta cap. Ad abolendam in fine De hæretic. exempti subiiciuntur iurisdictioni Episcopi diocesani, tanquam delegati à Papa.

Septimum dubium est. An si Episcopus sit extra suam diocesim, vel in loco exempto, possit subditus ab ipso excommunicari. Pro cuius solutione prænotandum est, ea quidem quæ sunt iurisdictionis voluntarie, nec causæ cognitionem processumve requirunt, posse ubique à Superiore peragi: ut Episcopum in alieno Episcopatu posse audire confessionem sui subditi, sicut Parochum sui Parochiani in aliena parochia: quod Palud. expressit in sequenti distinct. 19. quæst. 2. art. 3. concl. 1.

Ea autem quæ sunt iurisdictionis contentiosæ, cognitionemque causæ & iudicij strepitum requirunt, non posse extra territorium, nec in loco exempto peragi ab Episcopo quia non potest ibi ad dicendum suorum contentiones tribunal erigere: ex cap. Luminoso 18. quæst. 2. Cum igitur hæc ita sint proposito dubio Sylvester & Navar. in solutio 1. nu. 11. & hic in Enchir. cap. 27. num. 6. respondent eum posse, tum non posse excommunicare: posse quidem cum usu iurisdictionis voluntarie: seu cum res adeo manifesta est, ut nullam requirat causæ, cognitionem, & dilectionem: non posse vero, cum vult iurisdictionis contentiosæ, causæque cognitionem nisi impetrata licentia ab Episcopo loci, in quo ferenda est sententia: aut nisi Episcopus ille à quo ferenda est, propter meum persequentium, in locis suæ diocesim residere, iurisdictionemque suæ per se, siue per alium exercere impediat: quia tunc in clement. v. nica De foro compet. permittitur ei omnimodam suam iurisdictionem in aliquo loco vicino Episcopatu suo exercere, etiam non impetratâ, quam tamen petere debet, licentia à diocæsano eiusdem loci.

CAPVT IX.

De causa ob quam ferri debet excommunicatio ut sit valida.

SVMMARIVM.

- 156 Non potest quis pro alio peccato, quam suo proprio excommunicari.
 157 Corollaria inde deducta.
 158 Peccatum aliud externum aliud internum: de hoc questio est, an propter ipsum possit quis excommunicari.
 159 Probatio parvis negantibus.
 160 Solutio eorum quæ adferuntur pro parte contraria.
 161 Peccatum potest occultum esse, tum per se, tum per accidens.
 162 Peccatum per accidens occultum potest esse causa sufficiens incurrendi excommunicationem à iure.
 163 Non potest excommunicatio ab homine valide ferri pro peccato præterito, nisi in iudicio ipsum fuerit sufficienter probatum.

164 Quod peccator sit occultus, non impedit quin ea ferri possit, ac quantum servanda sunt.

165 Excommunicatio lata secundum allegata & probata censeri debet valida, quantumvis in quem lata est, sit de facto innocens: de quo tamen non constat, sed dubitatur.

166 Cum de innocentia constat, excommunicatio est nulla: at tamen vitandum scandalum.

167 Ut valida sit excommunicatio, peccatum propter quod ea fertur, debet esse mortale.

168 Non sufficit ipsum esse mortale ex sola peccantis prava voluntate.

169 Non est necessarium ut sit ex natura mortale.

170 Vbi non peccat quis mortaliter, non incurrit in excommunicationem maiorem.

171 Necitem in re minima.

172 Peccatum mortale propter quod fertur maior excommunicatio debet esse graue.

173 Quamquam ad aliam excommunicationis validitatem sufficere potest, quod sit mortale quodcumque.

174 Peccatum mortale pro quo decernitur excommunicatio debet annexum habere contumaciam, & quam.

175 Non sufficit esse leuem, nec necessarium est manifestam esse.

176 Necitem ut sit ex formali contemptu legis aut iulicis.

177 In contumaciam lata excommunicatio est nulla.

178 Pro culpa præterita vel præsentis nemo excommunicari potest.

Cum certum sit ex cap. 18. D. Matth. vbi tradita est à Christo potestas excommunicandi, talem causam esse aliquod peccatum: videndum est primo, num debeat esse proprium eius qui excommunicandus est. Secundo, num externum. Tertio, num manifestum. Quarto, num mortale. Quinto num grauissimum. Sexto, num habens adiunctam contumaciam. Septimo, num iam perpetratum.

QVÆSTIO I.

An peccatum illud propter quod excommunicatur aliquis, debeat esse ipsius proprium.

Ad hanc respondendum est (ut alius citatis responderit Vgolinus De censuris tab. 1. cap. 17. §. 8. num. 1.) numquam vnum pro alio puniri excommunicatione; ideoque peccatum illud propter quod aliquis excommunicatur: debere esse proprium ipsius: quia quamvis vnum pro culpa alterius corpore punitum inueniamus, ut pluribus exemplis ostendit Gratianus 24. quæst. 3. in summa: non tamen excommunicationis pœna ligatum pro alterius contumacia: ex cap. Si habes in ead. quæst. 3. versu Tunc quippe. Et ratio est quia ex Christi institutione Matth. 18. is tantum excommunicandus est, qui Ecclesiam non audit, seu qui contumax & inobediens est Ecclesie: non autem alter, cui nihil tale contingit. Sic enim in cap. Romana §. In vniuersitatem De sententia excommunicat. in 6. Papa vetat vniuersitatem excommunicari, ne innoxia cœnsui à trerantur cum noxiis.

Itaque ex cit. cap. Si habes, nec vxor pro peccato viri; nec filius pro peccato patris nec seruus, pro peccato domini, nec tota familia pro vitio delicto excommunicari debet. Itud annotat in 4. distinct. 18. Richardus art. 3. quæstio. 3. addens dominum pro peccato suorum subditorum excommunicari non posse: & Gabriel quæst. 2. concl. 5. corol. 5. neque populum pro peccato domini sui posse excommunicari. Adde etiam quæ in seq. num. 4. tractat Vgolinus; nec successor in dignitate, pro contumacia illius cui succedit excommunicari posse: nec hæredem pro contumacia illius cui succedit in hæreditate: nec dominum pro contumacia sui Procuratoris: nec demum pupillum aut minorem, pro contumacia sui Tutoris, aut curatoris: ita ut taliter lata excommunicatio sit nulla tanquam continens intolerabilem errorem; ut idem author docet in eod. §. 8. nu. 6. argument. cap. Per tuas De sentent. excomm. & cap. Solet & cap. Venerabilibus §. penult. eod. tit. in 6. Quæ omnia intellige procedere, quantumcumque alienum peccatum fuerit atrocissimum. Nam ratio proposita id etiam confirmat. Non procedere vero, si in alieno peccato participetur, siue committendo siue omitendo, patet: quia tunc non tantum ille cuius est proprium peccatum

sed

sed alij quoque, participantes in eodem, possunt excommunicari. Verum id non est proprie pro alieno, sed pro suo peccato excommunicari.

Q V A E S T I O II.

Num peccatum pro quo excommunicatio fertur debeat eternum esse.

158.

Peccatum externum hinc vocamus illud, quod foris se prodit: siue per se, vt furtum, homicidium, &c. Siue per aliquid quod signum ex quo possit in foro exteriori apud Iudicem probari: vt potest haeresis mentalis Titii ex eo, quod verbo aut scripto asseruerit Christum non esse in Eucharistia: aut quod à Missa audienda se plane auersum ostendat: commissione enim rei notæ, manifestari potest interior malitia à qua procedit. Peccatum verò internum dicitur illud, quod ita latet in animo, vt non possit aliter cognosci, quam per reuelationem factam ab eo, qui intra se illud perpetrat: de hocq; est praesens quaestio, num aliquis possit propter ipsum excommunicari. Cuius quaestioni explicatio pendet ex explanatione alterius, quæ quaeritur num possit ab eo peccatum puniri iure humano. De qua re in vtramque partem Couar. ad regulam Peccatum 2. par. in princip. num. 7. varios auctores refert: cui quo & alij recentioribus passim, tenendum est, non posse puniri.

159.

Quod confirmatur ex cap. Erubescant distinct. 32. vbi dicitur sententiam in eo latam aduersus initiatos maioribus ordinibus retinentes mulierculas; intelligendam esse de manifestis: quia secretorum, & cognitor Deus & Iudex est: per quod satis significatur quod glossa ibi infert; Ecclesiam non iudicare de occultis. Ad idem quoque facit quod in cap. Cogitationis De poenit. distinct. 1. dicitur Cogitationis poenam nemo pariat: supple ab homine, sed tantum à Deo, vt glossa interpretatur. Item quod in cap. Cogitatio, eadem distinctione dicitur: Cogitatio non meretur poenam iure civili. Accedit ratio qui Iudex non potest punire crimen quod ipse nullo modo cognoscere potest: sicut enim qui quod nouit loquitur, iudex iustitiae est, Proverbiorum 12. ita qui quod non nouit loquitur, iudex est iniustitiae. Id est, iniuste agit iudex ille, qui alicui infert poenam nesciens an sit eadem dignus. At homo Iudex, nosse non potest crimen in animo penitus latens. Quis enim hominum (ait D. Paulus in prior ad Corin. cap. 2.) scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est, quasi dicat nullus, iuxta illud 1. Regum 16. Homines vident ea quæ foris patent; Deus autem intuetur cor. Quare peccatum quod ita est internum vt in solo animo commissum sit, nec ad vllum externum opus peruenerit, vnde possit ab aliquo homine naturaliter cognosci; nullo modo, ne quidem per viam statuti, potest puniri ab homine. Vnde talem punitionem tanquam opus diuinæ nec humanæ iurisdictionis, D. Paulus in prior ad Corin. cap. 4. prohibet fieri, inquiens, Nolite ante tempus iudicare quoad vsque veniat Dominus, qui manifestabit consilia cordium, & illuminabit abscondita tenebrarum. Sic etiam in cap. Erubescant distinct. 32. in cap. Consuluit, 2. quæ. 5. in cap. Si omnia 6. quæ. 1. in cap. Christiana 32. quæ. 5. in cap. Sicut tuis & in cap. Tu nos De simonia dicitur: occulta soli Deo seruari ab eo iudicanda.

160.

Ad ea autem humana iura quæ poenam decernunt pro peccato interno, hoc est, pro vitioso affectu siue amoris, siue odij, pro haeresi aut simonia mentali, & huiusmodi aliis optimè respondet Alphonsus à Castro lib. 2. De lege poenali ca. vlt. Cuius responsionis apud ipsum prolixioris, summa hæc est: non decerni talem poenam pro actu interiori absoluit, & secundum se sum pro: sed ea ratione, qua actus exteriores coniunguntur illi, ab illoque proueniunt. Quod fieri potest duobus modis: altero præcipiendo sub aliqua poena opus externum bene fieri, atque adeo exigendo bonam affectionem interiore: sicut Ecclesia potest Clericis præcipere sub priuatione fructuum beneficij, vt diuinum officium recitent attentè & deuotè: sicut indeuotionem; quæ interior est, punire. Altero verò modo, prohibendo ne opus externum fiat tali mala voluntate, vt cum in Clement. de statu Monachorum §. Quia verò, excommunicantur Monachi ad eunt es curias Principum, animo inferendi aliquod damnum suis

Prælati. Et cum in Clement. 1. §. Verum De hæreticis, sententia excommunicationis innodatur Inquisitor hæreticorum; qui odio aut spe lucri aliquem innocentem punierit: quod quidem est excommunicationem imponere propter odium, aut propter spem lucri: respectu ex eis procedentis persecutionis innocentis, per in carcerationem, torturam, aliosque id genus actus exteriores, qui ab hominibus videri possunt.

Constitutum sit igitur ad validitatem excommunicationis requiri, vt peccatum propter quod ea decernitur, externum sit aut ratione sui, aut saltem ratione alteri ex ipso prouenientis, prout proximè habitum est. Quandoquidem Iudex nequit excommunicatione, vt nec alia poena iusta quæquam punire, nisi eum cuius uouit crimen per ipsum aut per ipsius effectum & signum externum.

Quaestio tertia, Num peccatum manifestum esse debeat pro quo imponitur excommunicatio.

Pro notandum est, peccatum dupliciter censei occultum: vel per se, vel per accidens: per se quidem, illud quod ex sua natura non potest naturaliter ab hominibus cognosci: vt illud quod omnino latens in animo, ex communicatione puniri non posse ante probatum est. Per accidens verò, quod etsi non committatur solo animo: sed voce aut opere exercetur exterius: ita vt ex sua natura habeat quod audiri possit vel videri ab eo qui propinquus fuerit dicenti vel operanti: nihilominus tamen quia nullus cum exerceretur, praesens fuit, qui posset illud audire vel videre, accidit ei, vt notum sit soli perpetranti, & ceteris sit obscuro perinde ac si commissum esset solo animo: hocque est de quo hic quaeritur. Num possit esse causa sufficiens ferendi validè excommunicationem in aliquem: an verò peccatum propter quod ferri potest, debeat esse aliis notum.

Cui quaestioni (vt cæteros omittam quorum Henricus meminit in sua summa lib. 13. cap. 27. §. in marg. lit. H. & K. bene satis fecisse videri Alphonsus à Castro in supra cit. cap. vltimo conclus. 2. cum dixit peccatum tantummodo per accidens occultum, sufficere ad hoc vt incurrat quis in excommunicationem latam à iure: non autem vt excommunicetur ab homine. Quod probat, quia habentur exempla excommunicationis quæ à iure inferuntur propter occultum crimen, vt in cap. Porro De sentent. excommunic. ex quo habetur occultum Clerici percussorem interiri excommunicatione; & in Extravaganti communi Cum deestabile De simonia: vnde habetur simonia cum occultum subici penis iuris perinde ac manifestum. Deinde excommunicatio à iure, quæ feratur tantum generaliter pro culpa futura, contenta est illius generali cognitione, nec requirit processum & causæ cognitionem; vt effectum suum fortitur; sed solum criminis perpetrationem. Vnde sequitur quotiescumque perpetratum fuerit crimen propter quod excommunicatio lata est à iure, perpetratoem illius, esse eo ipso excommunicatum: non obstante quod crimen sit occultum: cum id non impediat quin verè sit crimen ac verè perpetratum: ita vt perpetratoem reddat sufficienter obnoxium excommunicationi, propter illud impositæ. Atque hoc modo accipienda est glossa ad Clement. Multorum De hæreticis verbo Episcopi: annotans Ecclesiam posse infligere censuras pro criminibus omnino occultis. Indeque est (quod in summula verbo Hæresis in fine, Caietanus attingit) vtis qui hæresim mente conceptam exterius verbo aut facto, etiam sine vllis testibus enuncianerit: excommunicatus omnino sit eadem excommunicatione, quæ in hæreticos lata est à canone.

Excommunicatio verò ab homine cum fertur pro culpa præterita, requirit processum & causæ cognitionem: quia Iudex qui illam fert, debet iudicare secundum allegata & probata: nec potest excommunicare eum quem ignorat crimen commississe; cum iuxta Christi institutionem correctio delinquentis debeat excommunicationem præcedere: quod fieri non potest ignorato ipsius delicto. Ex quibus relinquuntur, peccatum pro quo ab homine ferenda est excommunicatio, debere saltem esse ita notum, vt possit legitime in iudicio probari: adeo vt minimè sufficiat, tantummodo vnum vel vidisse vel audiuisse, cum ad ferendam sententiam; vnius so-

lummodo testis dictum, nihil protius faciat, ex ca. Veniens 1. & ex c. Licet 1. De testib. & attestat. sed requirantur plures, tot scilicet quot requiruntur ad reddendum in iudicio testimonium ad hoc sufficiens, vt sententia feratur,

164. Neq; verò quin tunc feratur, obstabit quod parrator talis peccati occultus sit. Nam D. Gregorius, vt refertur 5. quæst. 1. cap. Quidam maligni spiritus, eum qui occulte libellum famolium contra Caltonium ipsius notarium, in publico ciuitatis loco posuit, anathemate percussit, si autem esset corpus Domini nostri sumere: & est in Ecclesia consuetudo vsitata vt excommunicatio feratur propter furta quorum ignoratur auctores: quia licet tales sint in se occulti, sunt tamen, aliquo modo manifesti in suis operibus: nimirum effectum manifestante suam causam. Vnde potest Iudex ob talem manifestationem aduersus ipsos procedere vt puniantur. Quod dum facere tentat duo sunt ei necessaria: alterum vt prius inoneat in genere sic dicendo: Quicumque hoc aut illud damnum intulit, satisfaciatur, aut excommunicabitur. Alterum, vt in genere & non nominatim illum excommunicet, prout definitur in cap. Si Sacerdos De offic. Iudicis ordin. vbi in confirmationem adfertur exemplum Christi, qui noluit Iudam nominatim repellere à communione sui corporis; etiam si eum proditorem esse sciret, quia id erat aliis occultum: sed in genere ipsum admonuit suppresso nomine, dicens. Vnus vestrum me traditurus est.

Porro si quando ab homine fertur excommunicatio pro peccato futuro (prout ferri posse constat ex cap. Romana §. Cauent De sentent. excomm. in 6.) eadem erit ratio illius quæ excommunicationis à iure: quia fertur per viam statuti, non quidem perpetui, sed ad tempus duratur secundum intentionem ferentis.

Difficultas propositæ quæstioni annexa.

165. **H**ic quæstioni annexa est grauissima difficultas, de qua in vtraque parte plures auctores & rationes adfert Cordub. in lib. 1. quæstionarij quæst. 43. in 3. puncto. An si Iudex secundum allegata & legitime probata sententiam excommunicationis pronuntiet aduersus aliquem innocentem, illa sit valida? Cui sufficenter ad nostrum institutum satisfacere possumus duabus propositionibus.

Prior est, talem sententiam, si manifestum errorem non continet, sed dubium sit an aliquem contineat, esse omnino validam: etiam quoad effectum priuandi a communione Ecclesiæ precib. & vsu Sacramentorum; ita vt ille in quem lata est (quidquid ei aliqui dicant, videri sibi latam esse iniustam de causa) teneatur se gerere pro excommunicato: Hæc probatur primò, ex cap. Per tuas De sententia excommunicationis §. finali. Deinde ratione; quia de pœnis à Superiore inflictis non manifestè iniustis (etiam si de earum iniustitia constare videatur aliquibus) non pertinet ad subditos iudicare, liberando se, vel alios ab eis: cum quibus alioqui, pœnas sibi impositas posset repudiare tanquam iniustas. Vnde sequeretur in Ecclesia confusio & perturbatio ordinis hierarchici, quod magnum incommodum est. Nec refert talem pœnam forte esse iniustam, id est, sustineri ab eo qui illam forte non meruerit. Nam subditus pœnam etiam quam non meruit, impositam à Superiore per sententiam iustam, seu latam secundum ius, tenetur humiliter sustinere propter bonum commune: ad quod magni refert, vt iuris autoritas seruetur. Dictum est autem in propositione, si manifestum errorem non continet: quia, vt post Felinum & quosdam alios Couar. ad ca. Alma mater 1. par. §. 11. m. 14. vsu Ego sanè admonet per cap. Inter ceteras, de sentent. & re iudicata; si sententia excommunicationis secundum acta processus, manifestè falsam causam contineret, esset notoriè iniusta, ideoque nulla.

166. **P**osterio propositio est: illum qui certus est se esse innocentem, si secundum allegata & probata feratur in ipsum excommunicatio, non esse reuera excommunicatum, nec Ecclesiæ suffragis priuari: neque si Sacerdos existens celebret, irregularitatem aut aliam pœnam iuris incurrere; ita vt liceat ei, vbi cumque sine scandalo id facere valuerit (ad scandalum vitandum, & ne autoritas Ecclesiæ contemnatur, teneatur gerere se cum aliis, alii cum eo, ac si iuste excommunicatus esset, donec contrarium notoriè constet) sacris se ingerere non timens, quam si in eum talis sententia lata non

esset. Hæc probatur, quia non est præsumendum quod Ecclesia (cui à Christo data est potestas excommunicandi tantummodo in eum, qui cum in fratrem peccauerit, ipsam audire non vult Matth. 18.) intendat innocentem tali pœna afficere. Quare ille qui certò se innocentem, potest cum inde nullum scandalum imminere, gerere se pro non excommunicato. Exemplum esse potest si feratur excommunicatio in citatum, non comparentem ex iusto impedimento; quam esse nullam post Panorm. & Felinum annotat Nauar. in Enchir. cap. 27. num. 38. Addens quod si Iudex intenderet excommunicare non comparentem, siue iuste impeditum, siue non: sententia contineret intolerabilem errorem, qui excommunicationem reddidit nullam ex cap. Per tuas De sentent. excommunic. §. finali; & ex cap. Venerabilib. §. penultimo, eod. tit. in 6. Accedit quod si Ecclesia intenderet obligare etiam eum qui certò se innocentem esse; consequenter, quod absurdum est, non nunquam intenderet etiam eum obligare ad perpetrandum peccatum mortale. Sit enim ex hypothese, in Titium, eo quod secundum allegata & probata iudicatus sit maritus Bertæ, lata excommunicationis sententia; nisi maritaliter viuas, cum illa, ipseque certo sciat eam non esse suam coniugem: quia nequit obtemperare tali præcepto nisi fornicando, prout habetur cap. Inquisitioni De sentent. excomm. unic. (& de se manifestum est) si Ecclesia per eam sententiam intenderet obligare eumdem Titium habentem talem certitudinem: intenderet pariter obligare ad perpetrandum peccatum mortale: quod ab omni ratione alienum est, continetque intolerabilem errorem.

QVÆSTIO IV.

An vt valida sit excommunicatio, peccatum pro quo fertur debeat esse mortale.

167. **Q**uod à D. Thoma dictum est in 4. distin. 18. qu. 2. art. 1. quæstion. 3. ad 1. non nisi pro peccato mortali ferendam esse maiorem excommunicationem, Doctores omnes recipere communi consensu nota. Sotus in 4. dist. 2. quæst. 1. art. 2. concl. 1. quorum plures eorum etiam commemorat Vgolinus tab. 1. cap. 27. in princip. nu. 2. Fundamentum verò potissimum est cap. Nemo Episcoporum 11. quæst. 3. vbi aperte dicitur, anathema non nisi pro mortali crimine imponi debere. Quod & ratio confirmat: quia fidelis per excommunicationem, ab Ecclesia certo modo excluditur ex cap. Omnis Christianus, & ex cap. Nihil 11. quæst. 3. qua exclusionem non censetur dignus, nisi iudicatus sit regno cælorum indignus: prout potest tantummodo ob peccatum mortale, per quod amittitur charitas sine qua non ad regnum cælorum aditus. Quocirca nemo nisi ob mortale peccatum debet excommunicari. Deinde, vt argumentatur Sotus, sicut crudele esset, si Chirurgus alicui membrum leui morbo affectum amputaret: ita quoque esset, si Iudex Ecclesiasticus aliquem fidelem à ceterorum communione propter leuem culpam præscinderet. Vnde merito Concilium Trident. sess. 25. De reform. cap. 3. prohibet excommunicationes decerni aliter quam ex re nõ vulgari, causaque diligenter ac magna maturitate per Episcopum examinata. Item etiam deducitur ex excommunicationis institutione, in qua Christus Matth. 18. verbis illis. Si Ecclesiam non audierit: sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus] hæc præposuit, Non est voluntas ante Patrem vestrum vt pereat vnus de pusillis istis. Si peccauerit in te frater tuus corripe eum inter te & ipsum solum: & si te audierit lucratus eris fratrem tuum.] Ex quibus patet peccatum pro quo frater delatus ad Ecclesiam, & eam non audiens excommunicari potest, tale debere esse, propter quod ipse perierit, & à quo qui reuocat ipsum lucratur animam ipsius. Tale autem non est, nisi peccatum mortale: ita vt lata ob culpam, quæ mortalem grauitatem non attingat, à quocumque feratur, sit nulla: tanquam non promouens à legitima potestate. De quare Suarez ad 3. partem D. Thomæ tomo 5. disput. 18. sect. 3. nu. 6.

168. **A**duerte autem quod Henriquez habet in 1. par. summæ Theolog. moralis lib. 13. cap. 17. §. 2. oportere vt exterior actus pro quo imponitur maior excommunicatio sit peccatum mortale secundum quantitatem operis, non autem ex relatione ad cogitationem: siue, quod idem est, sit mortale ex magnitudine iniuriæ per ipsum illata, non autem ex sola malitia voluntatis inferendi illud. Quomodo Couar. ad cap.

Alma mater i. p. §. 9. n. 2. notat percussorem Clerici non incurrere in excommunicationem, etiam si animum habeat vltiscendi, & iniuriā afflicendi, si ea percussio ita leuis sit, vt iniuria per eam illata, venialis tantum de se, non autem mortalis merito censetur. Quod etiam Suarez expressit in *prae. disp. 4. sect. 4. n. 4. in fine.*

169. Adverte praeterea, quod in Institutione Sacerdotum attingit Petrus à Soto tractatu de excommunicatione lect. 3. & cum eo alter Sotus in 4. dist. n. 22. quæst. 1. art. 2. col. 3. & ante vtrumque Sylvest. *Excommunic. 1. num. 11.* Cum tab excommunicatione maiore aliquid futurum, siue à iure siue ab homine præcipitur aut prohibetur: non esse necessarium, vt ipsam sit naturā suā peccatum mortale: sed sufficere vt tale sit ex circumstantia scandali, aut alterius grauis nocuenti, perperatione illius inferendi contra charitatem, aut contra iustitiam. Ob talem causam enim, etiam illad quod de se, ne veniale quidè peccatum est, potest iurè prohiberi (euerè, adeo vt contrariens peccet mortaliter per notabilem inobedientiam. Cuiusmodi prohibitio esse potest ne Clericus vestiatur serico, aut ingrediatur tabernam, eo quod imminet inde populi scandalum. Quod cum ita sit, nihil obstat quin sub excommunicatione id possit validè prohiberi, quod alias, non est de se mortale: etsi non possit id quod nullo modo, ac ne quidem ex circumstantia est mortale.

170. Infertur autem primò ex dictis, quod pro regula à Palud. traditum commendat Nauarr. in *Enchir. cap. 27. num. 9.* & pro quo plures alios citat Vgolinus *De censuris tab. 2. cap. 27. in principio num. 2.* nempe quod cum sententia iuris non sit iniusta, hominem posse informare conscientiam suam, quod vbi nò peccat mortaliter, nunquam incurrit excommunicationem à iure. Quod idem pari ratione dicendum esse de generali excommunicatione ab homine, addit Nauarr. Si cigitur qui venialiter solum peccat iniuciendo manus in Clericum (in deliberatione scilicet, vel necessitate tuendi vitam, vel leuitate iniuriæ exterioris, ipsam à mortali excusante) non incurrit in excommunicationem cap. Si quis suadente diabolo 17. quæst. 4. Sic etiam Henriquez in *cit. s. 2.* vult nec in rixa inter pueros tonsuratos incurri eandem excommunicationem: quia percussio ea ob ætatem censetur leuis & absque ingominia esse: perinde ac ea quæ contingit in rixa hominum infanz fortis Pari quoque ratione dicendum est illos, quibus circa fidem dubia occurrunt, sine deliberatione, vel circa eandem scrupulos habent contra suam voluntatem, non incurrere ea de causa in excommunicationem de decretam in hereticos: quia talia dubia & scrupuli non sunt peccata mortalia ex recepta sententia, vt notat Nauarr. in *Enchir. cap. 11. numero 18.*

171. Infertur secundò, quod Sotus habet in *citato art. 2. casu 1.* in re minima, aut quæ in casu proposito sit minima habenda (ex circumstantiis nimirum, & quali tibus actus, à mortali cum excusantibus) non incurri excommunicationem transgressione præcepti, aut sententiæ eam imponentis: nam materiz leuitatem à mortali excusate dubium non est. Hacigitur ratione, ille qui furatus est modicum, non comprehenditur excommunicatione generaliter data in eos qui furtum commiserint. Quod quidem verum est, etiam si talis, ob errorum conscientiam mortaliter peccauerit, vt si existimans se surripere crimenam plenam aureis nummis, surripiat plenam calculis. Ratio est: quia error delinquentis non extendit excommunicationem: alioqui percutiens laicum, quem putat esse Clericum, incurreret sententiã excommunicationis quæ percussori Clerici decreta est. Cuius contrarium communiter tenetur, & merito: quia in rei veritate talis non est percussor Clerici. Alioqui item is qui facit aliquid ex quo se excommunicationem incursum erroneè putat, cum ob tale factum nulla sit decreta ab Ecclesia; reuera incurreret. quod à Victoria in *summa de sacramentis tractat. de excommunic. num. 9.* bene reicit: probans eum qui furatus est decem nummos aureos in Ecclesia, omnino credens ob tale crimen positam esse excommunicationem, cum non sit, minime propterea irretiri excommunicatione: nam, inquit, talis non potuit seipsum excommunicare: neque ex hypothesis, excommunicatus est ab alio. Quare nullo modo est, ob tale factum. Quamquam tamen negandum non est, quin talis, quamdiu habet illam conscientiam, debeat se in omnib. ha-

bere ac si verè excommunicatus esset: quoniam alter agendo peccabit cõtra suam conscientiam. Inferri adhuc possunt multa alia; sed hæc attingisse sufficit.

QVÆSTIO V.

Num oporteat peccatum mortale graue esse, vt excommunicatio maior pro eo validè feratur.

Ad explicationem huius quæstionis duo docenda sunt. Alteri, an non nisi pro graui peccato ferri debeat maior excommunicatio. Alterum, an si feratur propter aliud quam graue peccatum mortale, ipsa sit inualida.

Ac de priori Franciscus à Victoria & Sotus: *ille in præced. num. 5. & hic in eodem art. 2. in explicatione conclusionis 4.* ita vult oportere esse graue peccatum. Quod colligitur primò ex eo, quod D. Paulus in prioria ad Corinth. cap. 5. fornicationem propter quam sathanæ tradidit Corinthum valde exaggerauit, vt ostenderet iure à se latam talem sententiam. Ommino, inquit, audite inter vos fornicatio, & talis fornicatio qualis nec inter gentes.] Item quod quamuis ipse multa peccata damnare solet: non meminit tamen sententiam excommunicationis se tulisse, nisi ob duo: nimirum ob incestum loco cit. & ob hæresim blasphemam in prioria ad Timoth. cap. 1. quæ sunt duo peccata grauissima. Colligitur deinde ex eo quod refertur ex D. August. 24. quæst. 3. cap. Corripiantur pro diuersitate culparum subditos esse corripiendos maioribus aut minoribus pœnis: excommunicationem quoque esse pœnarum maximam. Vnde consequens est eam nò esse inferendam nisi pro maxima culpa. Deinde ex eo, quod in Concil. Vormaciensi can. 2. (pro quo Gratianus Concilium Aluernense citat. 1. 1. quæst. 3. cap. Nullus) præcipitur, vt nullus Sacerdotum quemquam re & fidei hominem, pro paruis & leuibus causis à communione suspendat, præter eas culpas pro quibus antiqui Patres iusserunt arceri, aliquid committentes. At antiqui Patres non decreuerunt excommunicationem nisi pro graui crimine, vt patet consideranti decreta ipsorum in Canonico: quibus anathemate feriuntur, vel hæretici vel Clericorum percussores, vel Ecclesiarum violatores, vel alii id genus in signes criminosis, vt Sotus annotat. Expressa autem est Concilij Trident. definitio *soluens omnem in hac re dubitationem sess. 25. ca. 13. de reform.* quæ statuit, ne temere & leuibus ex rebus excommunicatio incurtatur, & vt excommunicationes quæ monitionibus præmissis ad finem reuelationis, aut pro deperditis aut substractis rebus ferri solent, à nemine profus præterquam ab Episcopo decernantur. Et tunc non aliter quam ex re non vulgari, causaque diligenter ac magna maturitate per Episcopum examinata, quæ eius animam moueat. Nonnullis verò antiquis Canonibus qui videntur in sinuare contrarium, quomodo latius faciendum existimet Suarez, videri potest apud ipsum in 3. part. D. Thom. tom. 5. disp. 18. n. 9. 10. & 11.

De posteriori autem. An inquam valida sit maior excommunicatio, si pro alio, quàm graui peccato feratur: tenere possumus, quod loco cit. Sotus, nò debere quidem pro alio peccato ferri, quam graui, tamen quodcumque mortale sufficiens causam esse posse, vt excommunicatio sit valida. Ratio verò est; quia quodcumque tale sufficit, vt quis quoad Deum exclusus sit à regno cœlorum. Ergo & vt sit quoad Ecclesiam.

QVÆSTIO VI.

An peccatum pro quo fertur excommunicatio maior, vte sit valida, adiunctam habere debeat contumaciam.

VT peccatum sit causa legitima ferendi excommunicationem maiorem, præter grauitatem, debere annexam habere contumaciam: in Concil. Trident. sess. 15. cap. 3. De reform. & apud Gratianum in cap. Si quis deinceps 17. qu. 4. non obscure insinuat: cum de reo dicitur: Contumax sit erga Iudicem aliis pœnis ipsum coercentem, anathematis mucrone ferri posse. Eaque est sententia ex præta D. Thom. in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 1. quæst. 3. & ad v. ba D. Matt. c. 18. Sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus] 70 quæ plures canonès Vgolinus citat. *De censuris tabula 1. subnitium cap. 12.* Potest autem, vt D. Thomas subindicat, sic confirmari. Non debet sapiens medicus statim morbo adhibere extrema &

molestissima remedia: scilicet tum demum cum alia leniora amplius nihil prodesse possunt. Neque enim cauterio curandum est vulnus, quod vnguento curari potest. Quare excommunicatio, quæ ita est pœna medicinalis (sicut vocatur in c. Cum medicinalis *Defent. excomm. in 6.*) vt nulla sit ea maior in Ecclesia, ex cap. Corripiantur 24. quæst. 3. non ante debet adhiberi ad sanandum alicuius peccatum, quantumcumque graue, quam fraterna correctio aut admonitio, aut præceptum Superioris tanquam lenior medicina antecesserit. Quibus antegressis obedire contemnens, factusque contumax merito pœna excommunicationis plectitur: id est, per inobedientiam subducens se ab Ecclesia, merito priuatur eorum communibus bonis fidelium ad eam pertinentium. Quam rationem insinuat quoque Anacletus Papa in ead. quæst. 3. cap. *Tam Sacerdotes*: præcipiens vt delinquentes redargutione corrigantur a Sacerdotibus, & incorrigibiles in eadem excommunicentur. Item Prosper in sequ. cap. *Ecc. aurem*, cum ait, illos tanquam putridas corporis partes debere ferro excommunicationis abscindi, qui diu portati & salubriter oburgati, corrigi noluerunt. Confirmari etiam potest eadem sententia ex verbis Domini Matth. 18. quibus non nisi in eum qui præmissis salutaribus monitionibus Ecclesiam audire noluerit potestas excommunicandi traditur. Vnde prohibetur in iure, cap. Omnes decimæ 16. quæst. 7. in c. Sacerdos *Defent. excomm. in 6.* & in cap. Romana eod. tit. in 6. ne quis, nisi competenti monitione præmissa, secundum Domini præceptum vt in cit. cap. *Omnes decimæ additur*, profertat in aliquem excommunicationis sententiam.

Iam vero contumacia, vt ab Angelo & Sylu. in verbo Contumacia definitur, nihil aliud est, quam inobedientia voluntaria, qua quis Iudicis admonitionem implere contemnit. Quia igitur ex Christi institutione nullus excommunicari debet nisi qui Ecclesiam audire noluerit, id est, qui contempserit implere admonitionem Iudicis Ecclesiastici: relinquitur profecto non nisi in contumaciam debere ferri excommunicationis sententiam. Ita vt rectè dicat Sotus in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 2. concl. 2. quantumcumque grauissima scelera quis commiserit, dummodo sit parere paratus: Iudicem posse quidem alia pœna ipsum punire, non tamen excommunicatione: quia quantumuis Deus peccantes mortaliter transgressione iuris naturalis, aut diuini vel humani in futura vita priuet societate Sanctorum, æternis suppliciis eos addicendo: in hac tamen vita, non nisi contumacem vult per excommunicationem separatione à cœtu fidelium, puniendum esse: vt satis intelligitur ex citatis verbis Domini apud D. Matth. Eaque causa est, cur statim ac beneficio excommunicationis reuocatus est aliquis à contumacia, tribuitur ei absolutio: iuxta cap. Ex litteris De constitut.

Multis verò modis committitur contumacia, vt notat glossa ad cap. ex litteris De dolo & contumacia, verbo Contumaciter, quos congruenter ca. Certum est 11. quæst. 3. ad tres reuocatos videre licet apud Sylu. loco cit. Constituendum est autem in vniuersum prout ex aliis habet Vgolinus in citata tab. 1. cap. 17. §. 7. num. 12. ex quacumque causa quis contumax sit iuri, vel inuito mandato Iudicis, siue in iudicio, siue extra iudicium aliquid præcipientis, quod pertineat ad suum officium, ipsam excommunicari posse. Vbi aduerte ex Soto in sequen. concl. 3. mandatum Iudicis Ecclesiastici, quod qui non audit, censetur ita contumax esse, vt possit legitime excommunicari, debere esse factum sub comminatione excommunicationis: vt argumento est, quod nemo incurrit in excommunicationem à iure, transgrediendo ius quod nihil statuit sub pœna excommunicationis.

Quædam notanda de contumacia, ad plenioris questionis propositæ intelligentiam.

His de ipsa contumacia, pro pleniori propositæ questionis explicatione, addenda sunt quædam.

Primum est: quamuis iuxta glossam ad cap. Duo sunt dist. 96. verbo Videbatur (cui multos assentientes adfert Couar. ad cap. alma mater 1. par. §. 9. nu. 3. quælibet contumacia digna sit excommunicatione: antequam tamen tanquam pœna plectatur considerandum esse (vt idem Couar. aliis quoque citatis addit in fine eiusd. nu. 3.) qualis sit, & quantum ecclesia

nocere possit, ac cuiusmodi sit res ea circa quam habetur: quia indignum est quemquam excommunicare pro leui contumacia: aut quæ contingerit in re leui, vel in parua questione orta super modica re temporali: aut cum nunquam poterit obedientia tantum prodesse Ecclesie, quantum ob erit excommunicatio, qua vnum vel plura ex membris ipsius separantur à societate Sanctorum & spiritualibus suffragiis.

Secundum est (quod patet ex cap. Venerabilibus. §. Porro, *Defent. excomm. in 6.*) ad legitime ferendam excommunicationem, non esse necessarium vt contumacia sit manifesta: seu qua quis aperte recuset obedire mandato Superioris: sed sufficere posse occultam siue præsumptam: qualis est eius qui malignos occultat, se ne ciretur. De qua re Vgolin. in cit. tab. 1. cap. 17. §. 7. num. 4. & 5.

Tertium est (de quo adhuc in eodem num. 3. Couar. 176. contumaciam qua quis non vult obedire legi vel Iudici, posse procedere aut ex contemptu ipsius legis vel iudicis: vt accidit cum quis agit contra præceptum, eo quod nolit Superiori præcipienti subici, nec ipsius voluntatem exequi: sed contra eam, siue explicite siue implicite insinuatam agere; ita vt contemptus, causa sit agendi: quo modo est speciale peccatum inobedientie: illudque mortale, etiam in re minima; iuxta Caiet. in verbo Contemptus. Aut posse procedere ex aliqua alia causa: vt ex appetitu voluptatis, vel pecuniarum, aut ex eo, quod res iudicetur leuis, vel aliud eiusmodi. Sicque non constituit distinctam speciem peccati; sed pertinet ad eam de qua præceptum datur: vt exempli gratia; contumacia quæ quis ob inordinatum affectum habendi, recusat parere præcepto quo Iudex sub pœna excommunicationis iubet aliquid restituere, pertinet ad peccatum iniustitiæ: ac proinde si contingat in re leui, erit solum veniale, vt ibidem ait Caietan. Nam peccatum quod alias mortale est, ex materiz leuitate in qua contingit, potest esse tantum veniale, prout in sequenti lib. 15. cap. 4. ex instituto docebitur. Vnde cum pro veniali culpa non sit ferenda excommunicatio; illud quod ante habitum est, quamlibet contumaciam esse dignam excommunicatione, intelligi debet de qualibet mortali: siue procedat ex contemptu, siue ex alia causa. Si quis enim sub pœna excommunicationis iussus concubinam dimittere; etiam si non ex contemptu Iudicis vel præcepti Ecclesiastici, sed solum ex appetitu libidinis parere nolit, de omnium iudicio, iustissimè excommunicatur: & ita de aliis huiusmodi. Ad quod confirmandum faciunt tradita ab Vgolino in tab. 2. De censuris cap. 27. in principio.

Quartum est, in non contumacem latam sententiam excommunicationis, inualidam esse: quia vt Sotus argumentatur in cit. art. 2. conclus. 4. In Evangelio nulla apparet alia potestas excommunicandi Ecclesie data: quam in eum qui ipsam non audierit: id est ipsi præcipienti obtemperare contempserit. Hoc autem idem est ac datum esse tantum potestatem ferendi excommunicationem in contumacem. Ergo in non contumacem lata excommunicatio non potest esse valida. Vnde vt idem Sotus bis repetit in eod. art. is debet esse tutus in conscientia, quod apud Deum nullam incurrit excommunicationem, qui cerò scit, se non peccasse mortaliter contra obedientiam quam debet Ecclesie præcipienti aliquid vel prohibenti. Sed opponet aliquis: cum quod factum est infectum esse nequeat, admonitionem non habere locum in præteritis, ideoque nec contumaciam: pro quibus tamen ferri potest excommunicatio ex cap. Romana *Defent. excomm. in 6.* Ad excommunicationem igitur non requiritur tantopere contumacia quam diximus.

Occurandum est autem; cum excommunicatio dicitur pro culpis præteritis vel præsentibus ferri, non esse sententiam quod culpæ præteritæ vel præsentis puniantur excommunicatione; cum monitio eas non præcesserit comminatione: vt bene aduersus Caiet. idem Sotus vrget in explicatione citatæ conclus. sed quod ex iis sequatur obligatio, cui si delinquens non satisfaciatur ab Ecclesia monitus, in eum tanquam contumacem, ea pœna decernatur; vt in eum qui solum commisit, nisi restituerit; in concubinam, nisi concubinam dimiserit. Ita esse patet ex cit. cap. Romana; ubi habetur sententiam excommunicationis in aliquos pro commissis culpis sub hac forma ferri: si de illis intra tale tempus non satisfecerint. Videri potest Vgolin. tab. 1. cap. 17. §. 7. nu. 6. & 8.

Itaque

Itaque id quod in præcedenti quæst. 3. diximus, excommunicationem ab homine pro culpis præteritis ferri intelligendum non est simpliciter; sed ita, vt excommunicentur ij, qui illas commiserunt nolentes parere Ecclesiæ sub excommunicatione præcipiente cessationem ab illis; aut satisfactionem faciendam ijs quos læserint: vt per cap. Ex parte 2. De verborum signific. tradit. aliis citatis Vgolinus in eodem num. 8. Quocirca cum Episcopus excommunicat detentorem rei alienæ nisi restituat intra octo dies, excommunicatio non fertur pro detentione præterita sed pro futura, quæ post octo dies adiunctam habebit contumaciam, quam antea non habebat: & sic de similibus. Atque ex his satis manifesta est solutio quæ restat septimæ quæstionis. Num iam perpetratum debeat esse peccatum, pro quo fertur excommunicatio.

CAPVT X.

De modo quo maior excommunicatio ferri debet vt censeatur valida.

SUMMARIUM.

- 179 De eo, quod excommunicatio lata ex ira, odio, aliæ inordinata affectione dicitur iniusta quidem, sed non inuvalida.
 180 Vt ea valeat, ferri debet cum intentione ligandi.
 181 Non ligat eos quos à tali sententia Iudex, aut is cui ipse ius reddit vult eximi.
 182 Quid sentiendum sit in ea re de vxore & filijs eius qui excommunicationem procurat, & de Procuratore per quem procurat.
 183 Excommunicatio ferri debet præmonito delinquente, in quem ferenda est.
 184 Talis præmonitionis circumstantia prima, vt sit personalis, qua patitur exceptionem in aliquot casibus.
 185 Circumstantia secunda, vt eadem præmonitio sit trina: qua patitur etiam exceptionem in aliquot casibus.
 186 Non est necessarium tres præmonitiones esse inter se distinctas: & quod spatium temporis ad eas requiratur.
 187 Alia circumstantia.
 188 Præmonitio præmitti debet sententiæ excommunicationis, quantumvis crimen sit notorium.
 189 An is quem Ordinarius delegat ad proferendam excommunicationem debeat vti præmonitione explicatur distinctione.
 190 Non est necesse ad incurrendam excommunicationem latam à iure, vt monito sit præmissa.
 191 Id quod patitur aliquam restrictionem, & locum habet in excommunicatione lata ab homine per modum statuti pro culpis futuris.
 192 Lata sine causa cognitione excommunicatio nulla est: item lata sine monitione, exceptis duobus casibus.
 193 Ad excommunicationem non sufficit sola interior intentio eam ferendi, sed exterius verbis proferri debet.
 194 De eo, quod debeat proferri in scriptis.
 195 An ore quoque proferri necesse sit.
 196 Varia verborum formula, quarum alie tanquam equipollentes huic, Excommunico te: sufficiant ad ferendam excommunicationem; alia vero, non item.

Primo exponendum est quæ seruari oporteat ex parte excommunicantis. Secundo, quæ ex parte excommunicati Tertio, quæ ex parte ipsius excommunicationis, vt ea sit iusta simul & valida.

Quæ seruari oporteat ex parte excommunicantis.

SECTIO I.

179. **E**X parte igitur excommunicantis duo seruari oportet. Alterum est vt in decernenda excommunicatione recta habeat intentionem, id est, moueatur affectu iustitiæ, cuius est custos: non autem odio, ira, aliove prauo affectu. Alioquin enim iniustam seu contrariam proferre sententiam, patet ex cap. Episcopus Presbyter 11. quæst. 3. sub finem: & ex cap. Cum externi De sensen. & reuindicata in 6. Quæ tamen iniustitia nec est peccatum mortale, iuxta Sotum in lib. 3. de iust. & iure quæst. 4. art. 2. versu Circa harum: nec vllam restituendi obligationem inducit iuxta Nauarr. in Enchir. cap. 25. num. 15. nec demum excommunicationem reddit inuvalidam iuxta D. Thomam in 4. distinct. 18. quæst. 2. art. 1. quæstionum. 4. atque com-

munem omnium Doctorum sententiam teste Soto in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 3. concl. 1. Quæ confirmatur ratione: quia corruptio intentionis Iudicis non impedit quominus sententia quam ipse fert (si nullo alio vicio contamineatur) ferret æquitatem iustitiæ, retinendam inter homines. Quare nec quidquam impedit quominus sit valida.

Sed aduertet quod cum iuxta eundem Sotum loco citius citato ex lib. tertio, de iust. & iure; sententia Iudicis tribus modis intelligi possit iniusta esse: ex parte ferentis: vel quia fertur contra iustitiā; ita scilicet vt fiat alteri iniuria: vel quia non fertur ex effectu seu inclinatione iustitiæ: vel quia fertur ex prauo aliquo affectu siue odij, siue iræ, siue alterius tria hæc quæ dicta sunt, intelligi debere præcisè de sententia iniusta secundo modo. Nam quando aliis citatis quoque modis iniusta est, Iudex illam ferendo potest moraliter etiam peccare, & ad restitutionem obligari: ipsaque esse inuvalida, Etenim affectiones iræ, vel odij, &c. seu auersiones animi adeo vehementes esse possunt, vt rationem habeant peccati mortalis: & sententia excommunicationis ita ferri contra iustitiā vt Iudex teneatur ad restitutionem famæ aut aliquid damni temporalis, ipsaque sit inuvalida: quod relinquatur iudicio prudentis ex inspectione circumstantiarum.

Alterum quod ex parte excommunicantis seruari oportet, est vt is ferat sententiam cum intentione ligandi. Alioquin enim, vt expresserunt post Panorm. Angelus excommunicatione tertio num. 16. Syluest. excommunicatio num. 2. versu 14. Nauarr. in Enchir. cap. 27. num. 11. inuvalida erit excommunicatio: quod etiam aliis citatis notat Henriquez in 1. part. Moralium Instit. lib. 13. cap. 20. circa primopium, lit. B. Et ratio confirmat, quia sententia excommunicationis vim accipit ex intentione illius, qui cum potestatem habeat, illam profert: ita vt absque hac, illa sit nullaperinde ac Sacramentalis absolutio nulla est, quæ datur ab eo qui voluntatem absoluendi non habet iuxta illud quod in Concil. Trident. sess. 14. cap. 6. dicitur. non esse absolutum aliquem coram Deo, si nulla ei adsit contritio, aut Sacerdotis animus ferid & verè absoluendi desit. Nam vt absolutio Sacramentalis, eo quod sit actus humanus potestatis acceptæ à Christo, requirit intentionem id faciendi quod instituta est eadem potestas: sic etiam excommunicatio requirit, cum & ipsa actus sit humanus potestatis datæ à Christo.

Ex quibus ijdem authores duo inferunt. Alterum est, quod si Iudex generalem proferens excommunicationis sententiam nolit aliquos sub illa comprehendere, ipsos fore ab ea exemptos, neque ligari. Alterum est fore similiter exemptos illos quos eximi voluerit is, ad cuius instantiam Iudex excommunicationem ipsam decernit, quia Iudex non vult sub sua sententia, comprehendere alios, quam quos voluerit ille, in cuius gratiam eam profert. Et ratio est quia in tali iudicio non habet alios reos quam quos ille cui ius reddit, intendit ad ipsum deferre.

Sed dubitari potest, An si paterfamilias petat ab Episcopo proferri excommunicationem in eos qui bona sua diripiunt: ad hoc vt vxor & filij ipsius eximantur ab excommunicatione, necesse sit vt specialiter intendat eos excipere: an verò satis sit, quod in mentem tale quid ei venisset, omnino illos excipisset.

Cui dubitationi iuxta Rosellam Syluester Excommunic. 7. 131. num. 52. dum explicat excommunicationem 17. versu 3. respondet etiam vxorem & filios tali excommunicatione ligari, nisi pater ipse familias eos specialiter exceperit, etiam si excipisset, si id in mentem ei venisset. Ipse vero propendit in contrarium nec immeritò: quia satis probabiliter Sotus ait in 5. de iust. & iure quæst. 3. art. 1. ante solutionem argumentorum; quod præsumendum non sit paterfamilias, tam acri spiritali inuicione aut vxorem aut filios læciare velle: ita vt Iudex conformando se ipsius intentioni, non videatur intendere vxorem & filios ipsius comprehendere sub sua sententia. Ceterum cum nihil constare potest, nec de patris familias, nec de Iudicis intentione tales specialiter excipiendi, contraria sententia tanquam tutior, est sequenda in praxi.

Dubitari etiam potest, An si paterfamilias per suum Procuratorem postulet ab Episcopo, ferri sententiam excommunicationis in omnes qui bona sua diriperunt, nisi resti-

tuant: ipse quoque Procurator tali delicto obnoxius, comprehensus datur sub ea sententia, si is intendat seipsum excipere dum excommunicationem procurat. Cui dubitationi rectè Syluester ibidem respondet comprehendit & perinde ac ceteros ligari, si paterfamilias non intenderit ipsum excipere. Nam in sententia Prælati excommunicantis respondet intentioni patrisfamilias, tanquam causæ principalis, cuius tantummodo instrumentum, Procurator est.

Quæ sint seruanda ex parte excommunicati.

SECTIO II.

Quod ex parte excommunicati seruari oportet in ferenda maiore excommunicatione, est ut ille præmonetur seruatis quibusdam circumstantiis. Atque præmoneri debere constat ex ijs, quæ in præced. c. q. 6. proposita sunt ad docendum non nisi in contumacem esse ferendam excommunicationis sententiam. Et confirmatur per cap. Sacro De sentent. excommun. & cap. Statuimus, & cap. Constitutionem eodem tit. in 6. ac per alia quæ adfert Vgolinus De censuris tab. i. initio capitis 18. Addens authores idem tradentes, simulque monens ampliandum esse, ut procedat respectu quidem excommunicantis, siue ille sit Iudex ordinarius, siue delegatus; & siue sit secularis siue regularis. Respectu verò excommunicati; siue sit singularis persona, siue multitudo personarum. Respectu autem causæ, quæcumque sit, pro qua excommunicatur quis: etiam si notoriè constet ipsum esse talis criminis reum; quia ad huc scire oportet ipsum esse contumacem, nec velle audire Ecclesiam ad quod quidem requiritur, ut præmonetur nomine Ecclesiæ. Respectu porro modo quo fertur excommunicatio, siue feratur generaliter, siue specialiter ac nominatim. Respectu denique elus, in cuius gratiam fertur: siue sit ipsemet Iudex excommunicans, siue alius, cuius postulatione excommunicatur.

Circumstantiarum verò quibus talem præmonitionem circumscriptam esse oportet; prima est, quod debeat esse personalis, hoc est, debeat ei qui excommunicandus est fieri in facie: non autem solum (sicut secundum leges in alijs citationibus fieri potest) ad ipsius domum, in qua assidue habitat, aut per edictum: ut pluribus alijs in eam sententiam citatis habent. Couar. ad c. Alma mater: & post ipsum Vgolinus De censuris: ille i. par. §. 9. n. 4. & hic in cit. c. 18. §. 1. Qui & addunt aliquot casus in quibus id patitur exceptionem.

Primus est, cum is quem admonere volumus, vel dolo malo absens factus est, vel latitat, vel impedit quominus admonitio ad ipsum perueniat: tunc enim sat erit, si admonitio seu citatio fiat ad domum; iuxta c. Quoniam frequenter §. Porro iij. vs. lite non contestata. Sed antequam excommunicatio feratur, oportet eiusmodi impedimentum & dolum probari: cum nec factum, nec dolum presumatur; nisi probetur: argumento legis Dolum ff. De dolo. Sique reus non habeat domum, facienda est admonitio in Ecclesia Cathedrali illius loci. Quod utrumque citatis alijs, Vgolinus ibidem addit.

Secundus casus est, cum excommunicatio, non quidem nominatim in certâ personam, sed generaliter aut indistinctè in eum qui aliquid ante fecit, vel post facturus est. Quia enim talis non cognoscitur, personaliter moneri non potest: sed solum generaliter ferti excommunicatio, ut solet à iure pro culpis futuris: & ab homine pro præteritis, quando authores illarum ignorantur: ut v. g. quando excommunicatur quicumque res Titij furatus est, nisi reddat: aut quicumque talem nouit, nisi reuelet.

Tertius casus est, cum quis fuit iam semel citatus legitime personali citatione: quæ cum maximum habeat effectum ad integram causæ discussionem; deinceps, inquit Couar. sufficere poterit citatio seu admonitio ad domum, aut per edictum, aut in ipso tribunali facta.

Quartus casus est, quando monitio ad domum facta, peruenit ad ipsius excommunicandi notitiam. Cum enim certus, certior fieri non possit ex cap. Eum qui, De regulis iuris in 6. talis monitio sufficit, ut is legitime excommunicari possit.

Quintus est, cum quis fuerit malè absolutus ab excommunicatione, & tractatur de reducendo eum in primam excommunicationem: quia tunc satis erit quod ad domum monetur, inquit ijdem authores, post alios ab ipsis citatos.

Secunda circumstantia est, ut talis monitio sit trina, prout communem sententiam esse notat in sequen. num. 5. Couar. pro qua authores Vgolinus refert in eod. cap. 10. §. 2. habeturque ex cap. Constitutionem De sentent. excommunicationis in 6. §. Statuimus: & apertè confirmatur ex cap. 18. D. Matth. Vbi Dominus præcipit peccantem in nos fratrem corrigi inter nos & ipsum solum, sique nos non audierit, nobiscum testes adhiberi; atque si nec tunc audierit deferri ad Ecclesiam: quam de mum si audire noluerit habeatur sicut Ethnicus & publicanus. Quibus satis indicatur trinam monitionem præmittendam esse sententiæ excommunicationis, propter quam aliquis habendus ut Ethnicus & Publicanus. Sicut indicari notatur in 6. quest. 7. c. Omnes decima, cum sic dicitur, Modò multi inueniuntur decimas dare nolentes statuimus ut secundum Domini præceptum admoneantur semel & secundò & tertio: qui si non emendauerint, anathematis vinculo feriantur.] Item 17. q. 4. c. De presbyterorum, ubi de eadem monitione excommunicationi præmittenda ex Domini præcepto, si nullus est mentio. Vnde in cap. Sacro De sentent. excommunic. Iudices sine tali monitione excommunicationem ferentes, omni iusta fuerit sententia, interdicitur ingressu Ecclesiæ per vnum mensem; alià adhuc pœna multandi si visum fuerit expedire: in eo que peccant mortaliter ut notant Sotus in 4. distinct. 22. & Nauar. in Enchir. ille qu. 1. art. 2. concl. 3. & bico. 27. n. 8. & 10. Sed tamen aliquot dantur casus in quib. circumstantia hæc potest deficere, relati ab Vgolino loco citato.

Primus est, cum ex vnica monitione satis apparet, manifesta que est delinquentis contumacia; ut cum Iudici sedenti pro tribunali prædixit se non compariturum si citetur: neque pariturum si admoneatur; argumento cap. Venerabilibus §. Porro, vsu Secus autem, De sent. excomm. in 6. Et ratio est quia non fit admonitio, nisi ut conuincatur delinquentis contumacia, quæ est proxima causa excommunicationis.

Secundus casus est, quando monendus: occultat se aut aliter impedit, ne ad ipsum perueniat monitio; inde enim presumitur contumax sufficienter ad excommunicationem.

Tertius est, cum excommunicatio à iure aut ab homine fertur pro culpis futuris iuxta dicenda in sequen. sect. dub. 3.

Quartus, cum necessitas aliud suadet, estque periculum in mora ex citato cap. Constitutionem in fine.

Quintus, cum monendus, nimis terribilis est monenti. Nam per similes est ei qui impedit, quominus admonitio ad eum perueniat.

Cæterum nihil refert siue fiant tres monitiones distincte, siue vna sufficiens pro tribus usurpetur ex ca. Constitutione, ubi sub finem sic dicitur: Statuimus quoque; ut inter monitiones, quas (ut canonicè promulgetur excommunicationis sententia) statuunt iura præmitti; Iudices, siue monitionibus tribus vtiatur, siue vnâ pro omnibus, obseruent aliquorum dierum competentia interualla, nisi facti necessitas aliter ea suscipiat moderanda.

Tribus autem monitionibus vtiuntur Iudices, ut indicat Glossa explicans illa verba, vna pro omnibus, cum dicunt Monemus te pro prima, & hac finita; monent pro secunda; quæ rursus finita monent pro tertiâ. Vna verò pro tribus vtiuntur, cum dicunt: Monemus te pro secundo & tertio peremptorio. Porro ex eo, quod in eodem cap. statuitur; inter monitiones debere inter esse aliquot dierum interuallum, intelligimus Nauarrum cit. num. 10. (cui assentitur Vgolinus in cit. §. num. 4.) rectè dixisse inter vnam & aliam monitionem debere intercedere duorum saltem dierum spatium: & quando usurpatur vna monitio pro tribus, esse minimum concedendos sex dies illi qui admonetur, antequam in eum excommunicatio decernatur. Nam locutio illa pluralis (obseruent aliquot dierum competentia interualla) duorum saltem dierum spatium requirit. Ex eo autem quod subiicitur, nisi forte necessitas aliter suscipiat esse moderanda: colligitur notantum illud quod ait ibidem Nauarrus: quando periculum est in mora, minuendum esse hoc tæmporis spatium quantum oportuerit, neque plus neque minus: sed colligitur etiam Iudicem posse & debere, cum pro qualitate negotij vel personarum viderit expedire; in longiora dierum spatia, monitiones suas prorogare.

187.

Tertia circumstantia in eo consistit, quod talis monitio fieri debeat presentibus idoneis personis, per quas si necesse fuerit, ipsa probari possit. Ita statuitur in cap. Saero, De sentent. excommunic. ubi & Iudex qui tali circumstantia omisa sententiam excommunicationis tulerit, interdicitur ingressu Ecclesie per unum mensem. Vide Vgolinum in sequ. numero 5.

Quinta circumstantia in eo consistit, ut qui specialiter monentur debeant nominatim exprimi in monitione ut notat Angelus Excommunic. 3. & Syluest. Excommunicatio 2. ille num. 17. & hic num. 1. versu 9. Ex patet ex cap. Constitutionem De sentent. excommunic. in 6.

Quinta est, ut fiat sub comminatione excommunicationis. Verum quia ius Canonicum non dat de ea speciale preceptum, non videtur sic requiri ut si à Iudice omittatur, is censendus sit sententiam tulisse absque canonica pramonitione.

Responsio ad quedam dubia, antedictis annexa.

SECTIO III.

188.

Hic dubitari potest primò, An tunc etiam cum crimen notorium est, admonitio debeat necessariò præmitti sententiæ excommunicationis. Cui dubitationi Couar. pluribus aliis citatis affirmatiuè respondet ad cap. Alma mater 1. par. §. 9. n. 6. quia quantumuis crimen sit notorium, non ideo tamen conuincitur ex illo contumacia, seu erga Ecclesiam inobediencia, quæ debet annexa esse peccato propter quod excommunicatio infertur ut ante ostensum est. Cum igitur ad conuincendam contumaciam necessariò præmitti debeat admonitio, tunc quoque præmittenda est.

189.

Secundò dubitatur, An monitio de qua agimus, præmitti debeat ab eo, cui Papa aut alius Ordinarius sententiam excommunicationis proferre commisit. Cui respondendum est cum Sylu. excommunic. 1. num. 12. non esse opus, si sciat præmissam esse ab ordinario, atque adeo reum sufficienter de contumacia conuictum esse: sicut nec præmitti debet cognitio causæ, cum iam ab Ordinario decisa est. Quod si nesciat præmissam, aut reuera non sit præmissa, debet præmitti. Nam cum sine præmonitione excommunicatio nunquam debeat ferri, si Ordinarius non præmonuerit, is saltem cui fere de excommunicationis ministerium demandauit, præmonere debet.

190.

Tertiò dubitatur, An oporteat monitionem præmitti ut excommunicatio lata à iure incuratur. Ad quod respondent Syluester ibidem & Nauarr. in Enchir. cap. 27. num. 10. & alij quos commemorat & sequuntur Couar. & Vgolinus ille in præced. num. 5. & hic tab. 1. cap. 18. in princip. num. 2. vers. Tertiò admonitio hæc, non esse necessarium præmitti; ita ut ille qui contra ius siue statutum, quo in delinquentem decernitur excommunicatio, hanc ipso facto incurrat: ut qui Clericum percutit, eo ipso subiacet excommunicationi lata in cap. Si quis Suadente Diabolo, 17. quæst. 4. Cur autem non sit necessarium; ratio hæc redditur quia lex quæ lata cum maturo iudicio magna que circumspicione, censuram eam inducit, quotidie admonet subditos quos obligat, ne committant crimen propter quod illa decernitur: ideoque necessaria non est alia specialis monitio, nisi aliter iure ipso cautum est; prout excipit Vgolinus loco citato.

191.

Qui & aliis citatis addit per cap. Reprehensibilis, De appellationibus: delinquentem contra Canonem, quo decernitur excommunicatio; aut quo aliquid sic prohibetur, ut prohibitio ipsa debeat haberi pro monitione comminante excommunicationem: posse à Iudice aliquem excommunicari, præmissa vnica monitione: ne id ipsum faciat quod est tali Canone prohibitum: dummodo tamen (ipso prius citato) constitit de eius delicto: prout oportet constare non modo ad talem criminiosum irretiendum excommunicatione, sed etiam ad denunciandum iam irretitum.

Cæterum, quod diximus de excommunicatione à iure, debet simili modo intelligi (prout expressit Gabr. in 4. dist. 18. quæst. 2. lit. M.) de excommunicatione ab homine, quæ in modum statuti fertur pro futuris culpis; qualis est si Superior moneat aliquem ut non fornicetur deinceps, alioquin ipsum excommunicat. Tunc enim ut notant D. Anton. 3. par. tit. 24. cap. 7. 4. & Syluester excomm. 1. num. 13. pluresque alij

quorum meminit Vgolinus in cit. num. 2. versu admonitio denique: non est opus monitione ut excommunicatio à tali incurratur post patratum scelus: sed statim in illam incidit.

Quartò dubitatur, An si excommunicationi ab homine pro emendatione criminis commissi, super quo non erat iure datum præceptum sub excommunicatione, nulla monitio præmittatur: excommunicatio non modò sit iniusta; sed etiam inualida. Pro responsione autem dicendum est, omnino inualidam esse eam excommunicationem, quæ ratione præteritorum omisa monitione fertur sine causæ cognitione, & sine clausula iustificatoria, id est, non dato termino ad allegandas causas, si quas subditus habuerit, ob quas non debeat tali excommunicationi subiici. Id quod aliis citatis docet Nauarr. in Enchir. cap. 27. num. 10. versus, & sequitur Vgolinus in fine memorati principij. Non esse autem inualidam, ex eo tantum, quod desit Canonica seu trina monitio, tenet glossa ad cap. Romana De sentent. excomm. in 6. verbo Iniustus.

Tenent etiam Palud. in 4. dist. 18. arr. 4. sub finem, plur. que alij quorum meminit Vgolinus in eod. princip. num. 4. & ante eum Couar. in cit. §. 9. num. 7. qui communem sententiam esse ait. Aperte verò probatur ex cap. Saero De sentent. excommunic. ubi ingressus Ecclesie per mensem interdicitur Iudici, qui non præmissa competenti (nempe trina, ut glossa interpretatur admonitione, sententiam excommunicationis tulerit; etiam si hæc fuerit iusta, id est (ut glossa intellexit, etiam si feratur iusta de causa: adeoque tenet. Nam de excommunicatione cum est nulla, verificari non potest quod sit iusta: quandoquidem non entis non datur qualitas. Vera est autem hæc sententia, ut Couar. addit, & tenent alij ab Vgolino citati, non solum cum excommunicatio proferatur ab Ordinario sed etiam cum à delegato: nisi in mandato delegatorio, fuerit expressum, ut præmissa canonica admonitione excommunicatio feratur: quia tunc canonica monitio requiritur, tanquam aliquid de forma mandati: cuius omisso actum vitiat iuxta cap. Pisanis & Lucanis De restitutione spoliar.

Datur etiam alius casus, in quo ob prætermissam Canonice admonitionem excommunicatio est nulla; iuxta definitionem cap. Statuimus De sentent. excomm. in 6. nempe si Iudex ante Canonice ipsam monitionem, proferret excommunicationem maiorem in illos, qui in locutione & alij, pro quibus de iure incurritur tantum minor excommunicatio, participant cum iis quos ipse excommunicauit. Quem casum aduerte obiter, non procedere quoad Papam, qui tali iure (quod est humanum) non adstringitur: nec quoad alium Iudicem in ordine ad excommunicatos ab eodem. Nam ut habet Couarruias in citata l. parte §. 3. num. 6. & sequitur Nauarr. in Enchir. cap. 27. num. 4. Si Iudex communicatos cum excommunicato ab alio Iudice vel à iure, excommunicet sine Canonice præmonitione, licet futura sit iniusta excommunicatio: non erit tamen nulla. Ratio est, quia textus citati cap. tantum loquitur de participantibus cum excommunicato ab eodem Iudice, à quo in ipsos sententia fertur.

Quid ex parte excommunicationis seruare oportet.

SECTIO IV.

Quod in hac re difficultatem habet, est utrum necessarium sit sententiam excommunicationis exterius exprimi verbis aut scriptis, quibus Iudex suam intentionem de ea ferenda enuntiet. Sententia autem est Hostiensis in summa, De sentent. excommunic. §. Qualiter proferatur: posse aliquem sola Iudicis voluntate excommunicari. Quam probat ex cap. Si inimicus distinct. 93. ubi verba D. Petri alloquentis populum in ordinatione Clementis, referuntur ad hunc modum. Si inimicus est iste Clemens alicui pro actibus suis prauis, vos nolite expectare, ut ipse vobis dicat, cum illo nolite amici esse, sed prudenter obseruare debetis; & voluntati eius absque commotione obsecundare & auertere vos ab eo, cui ipsum sententis aduersum: neque loqui iis quibus ipse non loquitur. Quæ verba indicant; ad hoc ut quis pro excommunicato habendus sit, non esse necessariò expectandam sententiam Superioris in eum verbo aut scripto prolatam; sed satis

sed satis esse vt Superior ipse communionem ipsius auer-
sando, in sinu[m] intentionem.

D. Anton. vero 3. part. tit. 24. cap. 74. Gabr. in 4. dist. 18.
quæst. 2. art. 2. concl. 7. Angelus excommunicatio 1. 2. §. 4. Syl.
Excommunicatio 1. num. 13. & 15. volunt sententiam excom-
municationis debere proferri verbis, quibus Iudex exprimat
suam de presenti intentionem excommunicandi, qualia
sunt: Excommunicamus omnes qui hoc vel illud egerint:
Excommunico te, & alia his æquivalentia (nulla certa verba
præscripta esse pro forma substantiali excommunicationis,
omnium sententiam esse notat Vgolinus tab. 1. cap. 20. in
in princip. num. 3.) quæ expriment intentionem siue con-
sensum Iudicis excommunicantis de presenti non item que
de præterito vel futuro: Adeo vt dicente Iudice, Denuntio
Titium excommunicatum (quia hæc verba significant præ-
teritam intentionem excommunicandi) non erit Titius pro-
pterea excommunicatus, nisi prius incurrisset in talem cen-
suram. Quamquam vt notant D. Anton. & Sylu. locis cit.
ceteri tenentur ipsum vitare tanquam excommunicatum:
cum non sit illorum iudicare, an fuerit necne iam excommu-
nicatus. Similiter nec erit quis excommunicatus cum Iudex
vitar verbis comminatoriis, quæ significant tantum futu-
ram intentionem ferendi excommunicationem. Nec item,
cum Iudex dicit: Volo vt vnus ex istis duobus sit excommu-
nicatus: quia ex illis verbis constare non potest de eius præ-
senti intentione excommunicandi. Eidem opinioni D. Anto-
nini & aliorum, quam latè persequitur Vgolinus in eod. cap.
20. ratio fauet: quia excommunicatio est actus Ecclesiasticæ
iurisdictionis in foro exteriori, in quo lites verbis & discuti-
untur & dirimuntur.

Adde Iudicem non tantum debere exterius verbis ex-
primere excommunicationem: sed etiam, prout expresse in cap.
Cum medicinalis De sententia excommunicatio in Sexto præcipitur, de-
bere eam in scriptis proferre: & causam expresse conscribere,
propter quam excommunicatio proferatur, exemplum-
que eiusdem scripturæ excommunicato tradere intra men-
sem si fuerit requisitus. De quibus Vgolinus pluribus in seq.
cap. 21. intelligi autem sic debent iuxta Nauarr. in cit. cap. 27.
num. 8. vt nihil referat siue scriptura sit publica siue priuata, id
est, siue feratur excommunicatio in scriptura de manu nota-
tij publici, siue de manu eam ferentis. Itemque sic intelligi, vt
licet is peccet qui sine iusta causa solo verbo excommunicat,
omnis scripturæ siue publicæ siue priuata: nihilominus talis
excommunicatio liget quantumvis iniusta; vt pote lata con-
tra iuris ordinem. Id quod præter Nauarr. habet Sotus in 4.
dist. 22. quæ 1. art. 3. concl. 2. versus sententia vero satisque deducitur
ex cit. cap. Cum medicinalis, dum in eo præcipitur, vt per Su-
periores, cum ad ipsum recurritur, illa statim relaxetur. Nec
enim locus est relaxationi si non liget. Denique sic intelligi;
vt etiam generaliter dicatur, illos qui excommunicando
scripturam eiusmodi omiserint, peccata suspensionis incur-
rere: id tamen sit ad Prælatos inferiores Episcopo referen-
dum: quia Episcopus, & alii Prælati superiores in nullo casu
incurrunt interdicitum aut suspensionis penam, occasione cu-
iuscumque constitutionis aut sententiæ aut mandati; nisi in
eis expressa mentio de illis habeatur, vt statuitur in cap. Quia
periculosum, De sententia excomm. in 6. Nulla autem expressa
mentio Episcoporum fit in proposito cap. Cum medicinalis
vt nec in ca. Sacro De sent. excomm. in quo, vt ante annotaui-
mus, per mensum ingressu Ecclesiæ interdicitur is, qui sine
canonica præmonitione excommunicare præsumperit.

Porro canon Si inimicus ab Hostien. propositus, nos tan-
tum vtget concedere, quod vt vitari debeat is quem Papa ex-
communicat, non sit expectandum vt ipse illum excom-
municatum esse exprimat verbis. sed sufficere, vt eo modo
illum auerfetur, quo solet excommunicatum iam denuntia-
tum; adeo vt illo canone significetur, non quidem Summum
Pontificem excommunicare sola interiori intentione: sed
cum non ligetur decretis Canonum, ipsum sola euitatione
vti posse pro denuntiatione sufficienti, vt aliquis tanquam
excommunicatus vitari debeat.

Quæret aliquis vtrum necesse sit vt Iudex sententiam ex-
communicationis ore pronuntiet, an satis sit, quod eam de-
cernat per scripturam. Cui quæstioni Panormi ad cap. Præ-
terea 2. De appellationibus nu. 12. respondet posse Superiore

excommunicare per litteras, neque necessarium esse quod
ore suo sententiam proferat. Pro quo facit praxis rece-
pta: cui non aduerfatur, quod in ante citat. cap. Cum medi-
cinalis Prælati prohibetur sententiam excommunicationis
ferre, nisi proferat in scriptis: nam que satis profert in scriptis
exprimendo eam in litteris, quas mittit ad reum, per eas ip-
sum excommunicando formulam vitari a ferendi excommu-
nicationem. Iam quæ alia formulæ possint esse quæ huic Ex-
communicato te æquipollentes, sufficienter iudicent maiorem
excommunicationem proferri, bene tractat Vgolinus De
censuris tab. 2. cap. 28. sed satis erit paucis attigisse quæ ille per-
sequitur.

Primum est, quod ipse habet in princip. num. 2. Omnibus his
formulis excommunicationem maiorem ferri. Præscindo
te ab Ecclesia, Et scio te extra Ecclesiam, In te sententiam ex-
communicationis profero, Excommunicationis mucrone
te ferio, Prius te Christi fidelium & Sanctorum commu-
nionem.

Secundum est, num. 3. hisce verbis, Nemo talem communi-
cetur, Non esse censendum ferri maiorem excommunicationem,
nisi manifeste conuerter Iudicem velle ea ratione excommu-
nicare; aut id præsumatur ex eo, quod ante in causâ cog-
nitione occupauerit se animo ferendi excommunicationem:
aut illis ipsis verbis addat donec absoluat, satisfactione
præmissa.

Tertium est, in num. 4. illis verbis anathematis, excom-
municationem in ipso iure ferri, non autem decerni solum fe-
rendam. Quartum in num. 5. his verbis, Noueris te excom-
municatum, non ferri excommunicationem sed significari
latam: vnde cum tali cui dicuntur à Iudice, is non tenetur se
habere pro excommunicato; si nulla alia in ipsum sententia
excommunicationis præcesserit. Cum vero ponuntur in iure:
is qui in illud offenderit, debet se reputare excommuni-
catum: quia antequam offenderet, lata erat excommuni-
catio, in quam incurrit. Quintum est, in §. 1. verba hæc Ma-
ledico tibi. Indignationem incurras omnipotentis, aut
Apostolorum Petri & Pauli. Præcipio tibi sub obtestatione
diuini iudicij, non inducere maiorem excommunicationem
sed potius obligationem sub mortali. Postremum est, in §. 2.
his verbis, Fero in te sententiam censuræ, aut disciplinæ Ec-
clesiasticæ: aut pœnæ seu animaduersionis Ecclesiasticæ: aut
Ferio te mucrone Episcopi seu Ecclesiastico: non ferri ma-
iorem excommunicationem: quia nomina censuræ, discipli-
næ, pœnæ aut animaduersionis Ecclesiasticæ, aut mucronis
Episcopi, vel Ecclesiastici, multa alia quam excommuni-
cationem significant: pro quibus an accipiuntur incertum erit: &
incertitudo vitiat sententiam per tradita ab eodem autore
in præcedenti tabula 1. cap. 20. §. 3. Excipe, nisi Iudex talibus
verbis maiorem excommunicationem, aut omnem censu-
ram Ecclesiasticam se ferre velle declarauerit.

CAPVT XI

De causis que excusant ab incurrenda excommunicatione, etiamsi alias sit valida.

SVM MARIVM.

- 197 Ignorantia & absens, excommunicatione ligari potest: & varietas ignorantia.
- 198 Ignorantia vincibilis non excusat ab excommunicatione.
- 199 Inuincibilis facti excusat: quod qua ratione procedat cum ignorantia est circa personam, circa quam exercetur factum.
- 200 Excusat idem inuincibilis ignorantia sententiæ, & statuti particularis.
- 201 De dubio an excuset ignorantia intrinsecus communis, decernentis excommunicationem pro facto non illicito, auctores & rationes in vtramque partem.
- 202 Solutio rationum partis negantis.
- 203 Ignorantia inuincibilis statuti, siue communis siue particularis excusat ab excommunicatione: etiamsi hæc per illud imponatur ob factum diuina lege damnatum.
- 204 Solutio rationum in contrarium.
- 205 Cur nihilominus sic ignorantes, pro absolutione remittantur ad Superiorem, si talis excommunicatio fuerit ei reseruat.
- 206 Impossibilitas excusans ab incurrenda excommunicatione, alioquin valida.

196.

- 207 Exclufio aliorum a fententia excommunicationis, qui ideo ab ac incurrenda excufantur.
- 208 De excufatione ab incurrenda excommunicatione, fub qua precipitur, vt edantur, feu proferantur in medium fcriptura aliqua.
- 209 De excufatione ab excommunicatione lata in eos qui aliquid fibi retinent ex certis bonis, quando haeretimentur in iuftam compensationem.
- 210 De excufatione ab excommunicatione lata ad habendum testimonium.
- 211 De bona fide excufante ab incurrenda excommunicatione.
- 212 Speciales caufe ob quas potest quis excufari ab incurrenda excommunicatione lata ad habendam reuelationem. Et de excufatione ob incommoda incurrenda.

Ad antedicta, ex quibus cognofcitur quando excommunicatione fit valida: pro instructione Confefarii adiungendae sunt caufe ab illa excufantes, quae praeter defectus ex quibus redditur inualida iuxta tradita haecenus, sunt tum illae de quibus in posteriore parte huius capitis dicitur, tum rei paruitas quae fufficienter nota est ex dictis in praeced. cap. nono quae 4. tum etiam ignorantia de qua nunc est dicendum.

PRIOR PARS CAPITIS.

De ignorantia excufante ne incurrat excommunicatione, alias valida.

197. **D**ifficultas verfatur in hoc, an ignorantia fic excuset ab excommunicatione, vt haec non fortitur effectum suum in eo, qui alio qui illi fubicitur, adeo vt talis, neque peccet communicando cum aliis, neque incurrat poenas a iure constitutas, vt irregularitatem. Cuius difficultatis explicationi praemittendum est primo ex glossa ad cap. Apostolica verbo. Probabili, De Cleri excommunic. recepta communiter teste Couar. ad cap. Alma mater par. 1. §. 10. num. 7. & Vgolino tab. 1. cap. 9. §. 8. num. 3. ignorantem & absentem excommunicari. Quod probatur: tum quia Apostolus, vt dicitur in fine cap. Cum fit, De appellacionibus, absentem & irrequifitum excommunicauit: prius tamen admonitum ad poenitentiam: tum quia excommunicatione pendet ab animo & intentione eam profertentis: & ideo ex quo incifium & absentem obligare vult, ille manet obligatus: nisi obftet aliquid ex antedictis, ex quibus excommunicatione redditur inualida. Praemittendum est secundo, duplicem distingui ignorantiam, vnam iuris, & alteram facti. Illa est qua ignoratur ius, seu fententia lata siue a iure siue ab homine: ignorantia facti vero, qua ignoratur factum aliquod particulare esse de iis quae tali fententia comprehenduntur. Praemittendum est tertio, tam iuris quam facti ignorantiam esse aut vincibilem, aut inuincibilem. Dicitur autem vincibilis quando aliquis ignorat quod tenetur & potest scire: inuincibilis vero, quando quis ignorat quod non tenetur, vel si tenetur, non potuit illud scire: aut certe ipsum nunquam venit illi in mentem, aut etiam si venerit, tamen adhibita quam debuit & potuit diligentia, non est notitiam illius affecurus. Pluribus de ignorantia dicitur in cap. 2. libri vndecimi fequentis.

Certa de re propofita.

SECTIO PRIOR.

198. **P**rimo certum est ignorantiam vincibilem non fufficere ad eam de qua agitur excufationem: ex cap. Apostolica De Clerico excommunicato; & ex cap. Vt animarum, de constitut. in 6. estque communis fententia teste Vgolino alios in eam citante: De censuris tab. 1. cap. 9. §. 8. num. 6. Probatur vero, quia reportaretur alioqui fructus de peccato negligentiae: quod absurdum est. Hincque fit vt ibidem notat Vgolinus, quod is qui legem aliquam scire debet ob officium quod exercet, non excusetur si in eam offendant: quia ignorantia eius quod quis scire debet & potest, nullam habet excufationem. Exemplum adfert de Parocho, qui ignorat Episcopi sui constitutionem ad quam sciendam tempus habuit.

199. **S**ecundum certum est ad eandem excufationem fufficere inuincibilem ignorantiam facti. Id enim patet ex cap. Si vero 2. De fentent. excomm. vbi decernitur percutientem Clericum quem ignorauit esse Clericum, non innodari fententia excommunic. Et ratio est, quia talis ignorantia consti-

tuit inuoluntarium, & per consequens tollit malitiam cui poena debetur. De qua re Vgolinus, & pluribus. Couar. ad cap. Alma mater 1. part. ille in fequent. num. 8. & hic §. 10. nu. 13. 14. 15. 16. Ex quo notandum est: si quis statuat percutere Titium, quem scit esse Clericum, & per ignorantiam loco illius percutiat Semonium item Clericum, in excommunicationem incurrit: quia talis ignorantia persona non excusat illum quominus fit voluntarius Clerici percussor in quem excommunicatione decreta est. Si vero pro Titio quem scit Clericum, per ignorantiam percutiat Moeuium laicum errans in persona: immo si percutiat Moeuium laicum quem putat esse Clericum, errans in circumstantia facti prohibiti, non innodari excommunicatione. Nam lata est excommunicatio in percutientem Clericum scienter ita vt ad eam incurrendam non fufficiat vel animus percutiendi, vel conscientia laesa, id est, quod quis constituit id agere, propter quod decreta est excommunicatio, vel etiam conatus fit agere, vt idem author post Felinum annotat. Sin autem existimat se percutere Moeuium laicum, & ignorans pro eo percutiat Titium Clericum non incurrit in excommunicationem: quoniam per ignorantiam inuoluntaria est talis percussio Clerici. Et quantumuis percutiat iniusta percussione, non tamen percussione propter quam imponitur excommunicatio: sicut ille qui ignoranter cognofcit duas fofores, aut matrem & filiam, aut a patre cognitam: quamuis peccet peccato fornicationis, non tamen fornicationis incestuosus: ita vt non puniatur poena incestuosi ex cap. Si quis cum duabus, & cap. Si quis cum matre, & cap. Si quis fornicatus 34. quae 2. Quod si quis volens percutere Titium Clericum, quem probabiliter quidem ignorat esse Clericum: sed tamen eo est animo, vt etiam si Clericus fit, percutiat; in excommunicationem incurrit percutiens: quia talis ignorantia non reddit inuoluntariam eam Clerici percussorem: ideo que non excusat a peccato, & per consequens nec a Poena peccati: pro quo alios Doctores Vgolinus addit in fine citati nam.

Tertio certum est, ad eandem excufationem fufficere quoque ignorantiam inuincibilem fententiae excommunicationis ab homine latae: ita vt minime ligetur is qui fecit id propter quod lata est, si propter illud lata est, inuincibiliter ignorauerit. Ratio est, quia sic ignorans non potest censeri inobediens & contumax: in quem solum excommunicatio ferenda est ex cap. Nemo Episcoporum 11. quae 3.

Quarto certum est, fufficere ignorantiam inuincibilem statuti particularis, id est, obligantis in aliqua tantum dioecesi, vel prouincia; si factum propter quod decernit excommunicationem, fit alias licitum, nec vlla diuina aut naturali lege prohibuit: vt si per Synodale statutum excommunicentur omnes Canonici qui tenerent vestibus fericis. Certum est inquam; quia ibi nulla potest assignari ratio culpae: si que de aliqua ignorantia, maxime de hac, potest intelligi quod in cit. cap. Vt animarum, De consti. in 6. Bonifacius 8. ait: Sententis per statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis ligati nolimus ignorantes: dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit aut supina. Et ita ab omnibus receptum esse habet Nauar. in Enchir. cap. 27. num. 16.

Dubia de re propofita.

SECTIO POSTERIOR.

Duo vero sunt de quibus dubitatur. Alterum est, an ad similitudinem excufandum, fufficiat ignorantia iuris communis decernentis excommunicationem ob factum de se non illicitum: qualis est excommunicatio lata in cap. Non magnopere. Extra Ne Clerici vel Monachi, aduersus Religiosos qui per tres menses medicinae vel iuri prudentiae operam dederint. Alterum vero, an fufficiat ignorantia iuris siue particularis siue communis, decernentis excommunicationem propter factum aliquod diuina lege prohibuit: quale est furtum, aut aliud eiusmodi.

Explicatio prioris dubij.

De quorum priore Adrian. in 4. de Clauib. & Cordub. in lib. 2. quaest. 1. i. illi quae 3. verba sed magis dubium est vers. Ex his hic vero q. 27. alios in eandem fententiam referens, existimant non fufficere. Quorum rationes quas latius ibidem persequitur Cordub. sunt. Primo, quod si ignorantia iuris

ius communis excusaret ex se, ignorantia iuris particularis pari ratione excusaret. Quod si ita est, nihil fuit cur in cit. cap. Vt animarum, Pontifex de particulari ita uo definitur, non ligare ignorantes. Deinde in cap. Cum illorum, De sententia excommunicat. statuitur, cum ijs qui post infectionem manuum in Clericos ordinati sunt, dispensari posse in irregularitate, si ex ignoracione id fecerint. Vnde consequens est, eam qui ignorans iniecerit manus violentas in Clericum, excommunicationem incurere, propter quam factus sit irregularis suscipiens ordines. Denique etiam si quis ignoret pœnam ciuilem, vt homicidam & furem esse morte plendendum; nihilominus eam incurrit, si committat eum propter quod decernitur. Nauar. verò in Enchir. c. 27. nu. 16. tenet cum Syl. Excommunicat. 2. n. 25. & excommunicatio vlt. num. 4. (cui adde Angelum excomm. 7. casu vlt. num. 3. & Sotum in 4. distict. 22. quæst. 1. art. 2. versus finem) talem quoque ignorantiam sufficere, vt quis à pœna excommunicationis excusetur: quoniam excommunicationi obnoxius est tantum is, qui contumaciter inobediens est Ecclesie, iuxta ante habita in cap. 9. quæst. sexta: quod non contingit ei qui de ipso Ecclesie præcepto nihil nouit, quantumuis sciat rem esse alias illicitam, nisi esset in dolo quo notitiam declinaret: quod dici non potest de ignorante inuincibiliter. Que cum ita sint, relinquatur quod inuincibilis ignorantia iuris communis excommunicationem decernentis propter factum iure diuino aut naturali damnatum, sufficit ad excusandum ab eadem excommunicatione. Id quod Conar. fatetur ad cap. Alina mater i. part. §. 10. num. 12. versus Secundo principiter.

202. Nec rationes in contrarium ita vrgent, quin tuta conscientia idem tenei possit. Ad primam enim bene respondet Sotus loco citato: quamuis Pontifex in illo cap. tantum loquatur de excommunicatione à iure particulari, non efficit tamen, quod Adrianus vult; quia non fert illic nouum aliquod ius, sed solum declarat quam vim ad obligandum subditos habeat ius particulare: talem nimirum habere, quæ ad eosdem subditos vel ignorantes vel existentes extra territorium Iudicis à quo ipsum conditum est, minime se extendat. Vnde colligere non licet, ius commune extendere se ad subditos qui ipsum ignorant: alio qui enim liceret similiter colligere, quod extendat se ad eos qui sunt extra territorium, seu locum iurisdictionis Summi Pontificis, à quo est conditum nempe ad vita functos: quod in præced. n. 136. refutatum est. Adde generalem illam clausulam, quorumcumque Ordinariorum, non esse interpretatione restringendam in hac materia fauorabili: præsertim cum animarum periculo, ad quod tollendum ea constituta est, perinde locum habeat respectu statutorum Papalium, ac Episcoporum. Ad secundam rationem verò respondetur, non esse illic sermonem de ignorantia inuincibili, sed de alia; quæ siue sit iuris, siue facti non excusat ab excommunicatione, vt nec à peccato mortali. Ad tertiam denique: aliam esse rationem excommunicationis, quam aliarum pœnarum: quoniam hæc simpliciter propter peccatum infliguntur, non autem illa; quæ instituta tantum est contra contumaces, eosque qui Ecclesie obedire renuunt. Cuiusmodi non est is, qui nihil audiuit vel audire potuit de aliquo mandato Ecclesie: vt vniuersi ei qui ipsum ignorant inuincibiliter.

Explicatio posterioris dubij.

D E altero dubio Couart. loco cit. & in præced. n. 8. sentit, si propter factum diuina lege damnatum decreta sit excommunicatio per statutum siue particulare siue commune, ignorantiam inuincibilem talis statuti non excusate delinquentem ab ea incurrenda. Ratio est: quia ad incurrendam pœnam iuris satis est scire factum propter quod imponitur illicite esse & pœna dignum.

203. Sed Angelus Excommunicat. 7. casu vlt. num. 3. & Syluester verbo Ignorantia num. 16. & Excommunicat. vlt. quæst. 3. Alphonsus à Castro in lib. 2. de lege Pœnali cap. 14. versus Sicut dictum est, Sotus in 4. distict. 22. quæst. 1. art. 2. versus finem, Nauar. in Enchir. cap. 27. num. 272. in 14. regula Confessariorum pluresque alij contrarium iudicant. Nec immerito: quia quantitas pœnæ debet proportione quadam quantita-

ticipatæ respondere, iuxta c. Felicit. De penis in 6. Ille autem facit illud quod scit vel scire debet diuina lege damnari, sed inuincibiliter ignorat ipsum esse humano iure prohibitum, contemnit quidem diuinam: non tamen humanam, quam inuincibiliter ignorat. Quare puniendus est quidem pœna contemptorum legis diuinæ, non item contemptorum legis humanæ: qualis est pœna excommunicationis, quæ à Christo instituta est ad castigandum contumaces qui Ecclesiam audire nolunt, præceptoque ipsius reculant obedire.

204. Vnde soluitur ratio quam adfert Couarr. Nam cum excommunicatio non sit pœna facti, nisi coniuncti cum contumacia in Ecclesiam, non est satis ad illam incurrendam commississe factum dignum excommunicatione, nisi ille qui facit, contumax quoque sit in Ecclesiam: qualis esse non potest is, qui inuincibiliter ignorat præceptum Ecclesie super eadem re. Nec dici potest, ignorantiam iuris humani non esse inuincibilem, quando id ipsum ius decernit pœnam pro facto de se malo, diuinaque lege damnato. Namque si id ita esset, oporteret, vt velle Angelus & Sylu. aiunt, vnumquemque habere procuratorem in curia Romana, & studio iuris Canonici vacare ad faciendum tali debito; quod multos non posse constat. Si opponas, quod in quibusdam sententiis excommunicationis dicatur sufficere, vt ex affigantur Romæ in ualuis S. Petri: illi respondent id ita accipiendum esse, vt sensus sit, sufficere non quidem quoad forum conscientie, sed quoad præsumptionem fori contentiosi; aut quoad eos qui sunt in culpa, ne ille possint publicari in ipsorum terris. Hos enim perinde ligant, ac si publicæ essent coram ipsis, iuxta Extrau. communem Rem non nouam, De dolo & contumacia.

A Jde his quod in cap. Vt animarum De constitut. in 6. dicitur per statuta quorumcumque Ordinariorum non ligari ignorantes; intelligendum esse de iis etiam statutis, quibus excommunicatio decernitur propter factum diuina lege prohibitum: non enim dubium est de statuto loqui eodem modo, quo ipsum sumitur ibidem, cum consequenter additur: statutum Episcopi non ligare subditum extra suam dioccesim. Vbi statutum sic la è sumi vt amplectatur illud quo excommunicatio decernitur propter factum diuina lege damnatum patet; quo in exemplum ponit statutum quo excommunicatur committentes furtum; quod certum est esse factum diuina lege damnatum. Quare concludendum est, quod Angelus expressit, excommunicationes per quodcumque statutum decernas, propter factum diuina lege damnatum, quæ non publicantur in diocesis, non tamen ligare ignorantes: nisi sint tales personæ, quæ negligant eam diligentiam adhibere ad sciendum, quam communiter solent homines suæ conditionis, & quæ adhibita, cognitionem consequuntur: vt quando plebeus negligit Ecclesiam audire cum ceteris, ac conciones audire per quod medium homines illius conditionis solent instrui de iis ad quæ tenentur.

205. Sed quæret aliquis, si hæc ita sint: cur ergo Confessarij eos Pœnitentes, quantumcumque, ius ignorantes, quos deprehendunt commississe peccatum propter quod incurritur excommunicatio à iure, remittunt ad Superiorem pro absolutione; si fuerit ei reseruata. Respondendum est causam esse posse, quod quamuis hæc sententia quam sequimur probabilior sit: opposita tamen est tutior: valdeque difficile est indubitam certitudinem habere, de sufficienti diligentia à Pœnitente adhibita ad consequendam cognitionem. Vnde fit vt Confessarij, ne exponat se periculo peccandi mortaliter, ad maiorem cautelam remittat Pœnitentem ad Superiorem: sicut propter idem periculum, semper ad cautelam ante absolutionem Sacramentalem à peccatis, datur sub conditione absolutio ab excommunicatione: etiam si Pœnitens nihil confessus sit, propter quod specialiter dubitari debeat ipsum esse aliqua excommunicatione irreductum.

A dverte autem ignorantiam inuincibilem vix posse præsumi ad iustè excusandum aliquem ab excommunicatione, qui scienter facit contra ius Ecclesiasticum, per quod tale factum prohiberi ipse probè nouit. Nam præterquam quod aperte contumax inobediens est Ecclesie, satis conicere potuit in re præsertim valde seria (qualis est percussio Clerici, venditio beneficij aut quid eiusmodi) Ecclesiam prout solet, pœnam aliquam prohibitioni apposuisse. Vnde cau-

dum est ne nimis faciles simus in admittenda tali excusatione.

POSTERIOR PARS CAPITIS

De reliquis causis excusationibus ab excommunicatione.

206. Prima est, impossibilitas, seu quod non possit quis prestare illud, quod sub excommunicatione iubetur. Receptissima enim est iuris regula, Impossibile non esse obligationem. Hinc, vt habet Sotus in 4. dist. 22. quest. 1. art. 2. casu 2. eorum in quibus excommunicatio non tenet, & post eum aliis adhuc citatis à Graphijs lib. 4. decis. aurearum cap. 8. num. 10. si feratur sententia excommunicationis in aliquem, nisi restituat ea quæ deprædatus est: aut quæ alio nomine iuste debet, excusatur ab excommunicatione, si tempore sententiæ fuerit non soluendo, adeo vt possit absque scrupulo, si occultus est, diuinis interesse. Idem iudicium est, iuxta communem doctrinam de restitutione, si nec potuerit tunc, sine notabili infamia sua.

Duo autem aduertenda sunt, quæ ijdem authores addunt. Alterum est eum qui non potest solvere in totum teneri in partem quam potest ex doctrina in seq. lib. 10. tradenda. Alterum est non obstante impotentia soluendi, excommunicationem laram in non soluente durare ita vt ille qui tempore sententiæ fuit non soluendo, in excommunicationem incurrat, si postea factus soluendo, non soluat: & ille qui fuit soluendo tempore sententiæ, nec soluit manet ligatus etiam cum nostra prelusione gestate efficitur non soluendo: quia contractum vinculum excommunicationis tollitur tantum per absoluteionem Superioris.

207. Secunda causa, est exclusio aliquorum à sententia excommunicationis: siue quia causa propter quam fertur non habet in eis locum: siue quia eximuntur intentione ferentis. Neque enim sine causa, aut sine intentione Superioris, potest quis excommunicari. Vnde inferitur, quod si rem meam ab alio detentam, quam aliter recuperare nequeo, quam et clam surripiendo, non teneat obedire, & excuset ab excommunicatione sub qua præceptum fuerit, vt quicumque talem rem habuerit reddat: vel si habentem sciverit manifestet. Hoc habent quoque Sotus & à Graph. in seq. casu 3. & hic in eod. cap. 8. num. 17.

208. Adde res idem esse dicendum cum sub eadem censura precipitur, vt qui habet has vel illas scripturas, eas proferat: si quidem manifestum sit eas taliter ad ius easdem possidentis conducere, vt nullatenus ad ius alterius confirmandum attingant. Nam tunc nulla apparet ratio obligationis proferendi. Sin autem possidentis propriæ, faciant ad ius alterius confirmandum: eadem ratione datur obligatio illas proferendi, ac datur restitucandi de veritate cum proximo id exigit ad confirmationem sui iuris: nepe vt si iussio Iudicis non interueniat, obligatio sit tantum ex charitate; sin talis iussio interueniat, prout hic supponimus, obligatio sit ex iustitia; quia quantumque tales scripturæ propriæ sint eas possidentis: tunc tamen publica autoritate alter acquirat ius in earum usum, profectueno. Licet autem velit Sotus esse omnino proferendas; neque à excusationem sufficere, quod quis dicat se vexationem inde timere: tamen contrarium non obscure subindicat, aliis in margine citatis, Henriquez in 1. par. sue summæ lib. 13. cap. 18. §. 2. his verbis: Excusari potest reus, quando ex eo quod instrumenta edat, patitur graue præiudicium proprii iuris, & aduersarius cogit ad expensas magnas & vexationem in lite. Quod existimari posse seruari in praxi, quando vexatio foret iniusta: itemque (& potiore ratione) quando aduersarius per tales scripturas, non solum tuebitur proprium ius circa rem de qua litigatur: sed etiam illas proferentem vexabit, circa alia bona quæ legitimè possidet: exigendo v.g. titulos quibus ea possideat, quos non poterit ostendere defectu scripturarum quæ perierint. Fundatur autem hæc doctrina in eo, quod pia matris Ecclesiæ iubentis sub excommunicatione, intentio esse existimanda sit, ne eam incurrais quem iusta causa excusat.

Iam si quispiam Index ex presumptione procedens, apposita aliqua clausula iudicet intentionis sue esse, vt reus edat instrumenta, quantumuis præiudicium inde timeretur, is non obligatur: quoniam per Papam qui Index est beni-

gnior, ab obligatione talis præcepti, ipse reus iure Pontificio cui, præter Papam, ipsum subiiciuntur Iudices omnes, eximitur in ea primo De probationibus. Vbi decernitur non esse quemquam compellendum, scripturas quas contra se scripturas habet apud se, requirere & proferre.

Adde, quod ratio naturalis dicit, præceptum sub excommunicatione, non esse de re prout est nimis difficile, sed prout est proportionata fragilitati humanæ. Sic enim Nauarr. in Enchiridio cap. 27. nu. 63. sub finem; ab excommunicato in eos qui Turcis pugnantibus contra Christianos auxiliium ferunt, excusat illos, qui in eorum irremediabilis metu mortis aut verberum. Immo in sequenti num. 84. ab excommunicatione lata in percussorem Clerici, excusat eum qui mutilauerit aut etiam occiderit Clericum, inuentum in flagranti delicto cum matre, aut vxore vel sorore.

Addit Henriquez magis excusari reum, si non habeat originalem scripturam, sed tantum transumptum, præsertim non authenticum cum signo Notarii. Addit item & recte, quod si reus habeat authenticum instrumentum, quod iniuste suffragatus est à Tabellione vel ab aduersario, aut quod est vtrique commune hæreditario iure vel donatione, aliove iusto titulo (de quare late Panorm. ad cap. 1. De probatione. a num. 7.) compellitur sub excommunicatione, illud edere vt satisfaciatur damno iniuste dato, fraudulenter id ipsum occultando. Sicut enim eare comperrà, possit à Iudice laico compelli ad edendum; ita etiam in subsidium partis læsæ, ad idem compelli potest per excommunicationem à Iudice Ecclesiastico.

Hæcque ratio, ante posita doctrina Soti procedit: non autem quando bona fide cepit quis tale instrumentum possidere tanquam aliquo modo proprium; nec potest illud edere sine magno suo detrimento, iniustaque vexatione notabili in persona aut bonis suis. Næc est non licet, statum suum conseruare alienis bonis mala fide quaesitis: non est tamen obligatio ea quæ bona fide acquisita sunt, restituendi cum magno detrimento proprio; prout annotatum à Nauarr. in Enchir. cap. 17. num. 57. plenius exponendum est in sequenti libro De restitutione cap. 19. Porro si reus præiudicium non pateretur edendo instrumenta quæ iubetur: quia iussio effectiua nõ min⁹ quàm ea quæ iuberetur de veritate testificari; ille non obediens incurreret in excommunicationem additam eidem iussioni: prout ex Sylu. habet Petrus à Nauarr. lib. 2. De restitut. cap. 4. num. 227.

Inferitur secundo, ex proposito causa, quod habent Angel. in verbo furtum §. 41. Sylu. eod. verbo quest. 15. Med. Cod. de restitut. quest. 2. causa 12. & quest. 11. sub finem Nauarr. in Enchir. cap. 17. num. 114. & 115. quos sequuntur à Graphijs in cit. cap. 8. num. 12. & Petr. à Nauarr. lib. 2. de restit. cap. 4. num. 226. Si feratur excommunicatio contra eos qui retinent bona alienis; ab illa excusari eum, qui de talibus bonis aliquid retinet in compensationem eius, quod ille in cuius fauorem eadem fertur, debet ipsi, tantum aut etiam maioris valoris: dummodo tamen debitum sit ex iustitia & liquidum. Neque enim sufficit, vt debitum sit gratitudinis, & remuneratorium obsequiorum: cuius obligatio non parit actionem, nec ius petendi; vt ex D. Thoma & alijs habet Nauarr. in cit. nu. 114. Debitum vero dubium, sine iniuria possessoris accipi non potest, prout Nauarr. in seq. nu. 117. docet contra Medinam. Et patet quia in dubio melior est conditio possidentis.

Itud autem de compensatione dictum, procedit quantumque proferens excommunicationem, simul iubeat reuelari eos qui in compensationem debiti acceperint. Immo iudicio Nauarr. in eod. num. 114. quantumque specialis excommunicatio feratur, propter illam ipsam rem recuperandam. Quamquam videtur in eo adhibenda distinctio quæ ex Syluest. habet Petrus à Nauarr. in seq. nu. 227. vt verum sit, eum quis timeret fore se cogendum ad iniustam restitutionem: quia tunc mandatum continere errorem intolerabilem: nõ autem cum nulli est tale periculum. Namq; mandatum de reuelando, est de se iustum: præsertim cū Superior presumit illicitam, aut nimiam esse compensationem, aut debitum esse dubium.

Procedit etiam vt notat à Graphijs in seq. num. 13. in rebus subla-

sublati & absconditi per creditorem, quando ob delictum debitoris omnia bona eius veniunt confiscanda. Sic Navar. in Enchir. cap. 17. nu. 135. latam excommunicationem in capiētes talia bona, negat incurri ab vxore, filio, aut c. gnato, cum abscondant aliqua in monasterio aut in alio loco, ne à Iudice sequestrantur; si id faciant ad compensandum debitum dotis aut aliud legale debitum alias verò non.

Postremò procedit non tantum quoad facientes compensationem, sed etiam quoad eam scientes: quando ad hos quoque excommunicationis sententia extenditur. Nempe excommunicando cum retinentibus bona aliqua, eos qui norant retinētes nisi reuelent. Quo enim casu illi qui principales sunt, excusantur, isti quoque, qui accessorii sunt, excusari censentur. Cum accessorium sequatur naturam sui principalis De reguli iuris in sexto cap. Accessorium; & ff. eodem tit. lege Cum principali. Aduerte tamen ex Navar. in num. 114 id verum esse, cum scientes habeant competentum talia bona retineri in compensationem debiti legalis: secus enim est, si de eo dubitent: etiam si retinens dicat, se retinere ea in iustam compensationem debiti legalis; nisi is apud ipsos tanta fide esset, vt merito propter ipsius dictum, ab animis suis dubietatem depellere debeant.

Meminerit autē acceptionem rei alienæ in compensationem, conditiones nonnullas requirere vt excusetur à peccato mortali: quas habet Navar. in Enchir. cap. 17. nu. 112. & 113. & nos suo loco trademus Deo iuuante in num. 258. sequentis libri.

10. Inferitur tertio ex eadem secunda causa illud quod aliis in margine citatis Henriquez habet in 1. par. summæ lib. 13. cap. 18. §. 3. cum ad habendum testimonium excommunicatio fertur: excusari parentes & filios: qui iuris privilegio ne quidem volentes, aduersus se iniuriam admittendi sunt; vt habetur in cap. finali §. Parentes, 4. quest. 3. Vbi glossa monet, & post eam Sylu. in verbo Correctio, quest. 7. intelligi tantum de ascendentibus & descendentibus, non item de collateralibus, hoc est de fratribus & cognatis. Quod verum est in causis ciuilibus, nam in criminalibus, neque hi aduersus se iniuriam compellendi sunt testimonium ferre; iuxta illud quod habetur in cir. cap. finali §. lege Julia, non esse denunciantium inuito, vt testimonium litis dicat aduersus focerum generum, vitricum, priuignum, priuignam, sobrinum, sobrinam, sobrinove nam, & se qui in propiori sunt gradu. Id quod Sylu. eisdem monet intelligi debere cum criminaliter proceditur, non item cum ciuilitate: seu in causa ciuili in qua vt habet glossa ad cap. 1. verbo Parentes 3. quest. 5. licite admittitur frater contra fratrem, & pro ipso: quia nullo iure id prohibitum est. Idem verò ac de ascendentibus & descendentibus dicendum esse de viro & vxore; Sylu. iter ibidem ex eo probat, quod reputentur pro vna persona ratione matrimonij; iuxta illud Mart. 19. iam non sunt duo se i vna caro. Aduerte autem excusationem in hoc locum non habere, quando illud pro cuius manifestatione excommunicatio fertur, tale quid fuerit, cui nec solent nec possunt communiter alie persone interesse quam quæ dicte sunt; aut quas solas interfuisse pars accusans iuramento confirmat, prout declarat Navar. in Enchir. cap. 25. nu. 50. vbi & docet in causa hæresis, filium aduersus patrem, si alij desint, teneat testificari: nisi certò credat, quod is pœnituerit, aut quod monitus respiscet. Id quod citatis aliis tangit etiam Henriquez loco cit.

21. Tertia causa, est bona fides. Nam ex Caiet. verbo Præceptum in fine: transgressio iuris positivi, si absque contemptu & repudiatione finis in quem dirigitur, fiat ab eo, qui nullo modo veller consentire in peccatum mortale; si fiat ex pura ignorantia, siue ex apparente sibi excusatione: non committit peccatum mortale: & per consequens nec in excommunicationem incurrit quoad forum conscientie: præsertim cum existimandum non sit p̄c̄ Matris Ecclesie intentionem esse, bonas eiusmodi hominū animas illaqueare tā hostili vinculo. Quamquam tamen videtur tunc ad cautelam absolvendus propter periculum negligentie in querenda noticia, aut propriæ complacentie in admittenda excusatione. Quales contingere potest, cum quis putat ab excommunicatione lata in inuitum alienarum rerum detentorem, sed ideo excusari, quod in foro ciuili non esset condemnandus ad restitutionem propter defectum probationū, vel scripturā,

vel testium: cum tamen in eo causam sufficientem non habeat: quia in iudicio ciuili iudicari potest ex legibus ciuilibus fundatis in præsumptione, quæ veritatem potest habere in contrarium.

Exemplum fit: Mœnius à Sempronio mercede conductus, ei seruiuit per decem annos, nec quidquam toto eo tēpore accepit: quod sciens Titius hæres, soluere non vult; nixus iure ciuili de præscriptione decem annorum transferēte dominium. Mœnius ad eum compellendum impetrat excommunicationem: in quam Titius incurret, si non soluat. Neque valet excusatio illius de præscriptione ciuili, propter malam fidem cum qua cœpta est aut continuata, debitore sciēte se debere. Quam esse sententiam communem Nauarrus testatur in Enchir. ca. 17. nu. 85. Exemplum aliud fit: Si Sempronius in extremis constitutus instituat Titium hæredem, & illi iniungat dare alicui Ecclesie in animæ suæ subsidium decem aureos, nec id faciat subscribi testamento. Titius à se repetiros soluere non vult quia neque per scripturā, neque per testes probari potest esse legatos: iustus sub excommunicatione soluere, in eam sententiam incurrit non soluens, cum peccet per tradita à Sylu. Testamentum 1. quest. 5. ver. 4. Quod vtrumque exemplum proponit à Graphiis in lib. 4. decif. aurearum cap. 8. nu. 18. & 19. In illis que deficere bonam fidem, patet ex eo quod tunc agatur contra veritatem cognitam.

Particulares causæ excusantes ab excommunicatione lata ad habendam reuelationem.

212. **A**liquæ præterante notatas, dantur causæ excusantes specialiter ab excommunicatione factis frequenti, latā ad habendam reuelationem: quas tradit Navar. in Enchir. cap. 25. nu. 46. Et tractant Cordub. in lib. 1. quæstionarij quæst. 43. dub. 2. circa medium; Petrus à Navar. lib. 2. de restitut. cap. 4. nu. 215. & aliquot sequentibus Iacobus à Graphiis lib. 4. decif. aurearum cap. 8. & Henriquez in 1. par. summæ lib. 13. cap. 18. Prima est, si peccator ad cuius emendationem & partis læsæ satisfactionem reuelatio queritur, iam emendatus est, ac parti satisfecit, aut probabiliter speratur illius emendatio & partis satisfactio; tunc enim sola correctio fraterna sufficit, etiam si præciperetur reuelatio fieri nulla habita ratione fraternæ correctionis; vt ex D. Thom. & D. Anton. addit ibidem Navar. Ratioque est, quam habet Petrus à Navar. n. 216. quod vbi cessat causa finalis præcepti, cesset quoque illius obligatio. Secus autem erit, vt idem in sequen. nu. 217. addit. post. Cordub. si Superior præcipiat reuelationem, non ad emendationem peccatoris, aut partis læsæ satisfactionem; sed ad eiusdem peccatoris punitionem: quia tunc supposita semiprobatione vel infamia plenè probata, vel iudicis ei æquipollentibus, parendum est præcipienti: cum iuste ac iuridicè procedat. De qua re dicitur ex instituto cum de ipsa denunciatione parte tertia, tomo secundo ad octauum præceptum decalogi.

Secunda causa est, si peccatum reuelandum probare non possis: per testes scilicet aut scripturam, aut iudicia sufficientia, vel infamiam; quemadmodum habet ex Felino à Graphiis loco cit. nu. 30. quia boni viri tacere debent, quod probare non possunt ex glossa prima ad cap. Sacerdos De pœnit. distinct. 6. Addit idem à Graphiis in sequen. n. 35. quod cum aliquis venit ad reuelandum, Prælati Ecclesie debeat ipsum priuatim interrogare; possint ea quæ reuelare probare: iniusteque faciat si respondentem non posse, mittat ad Actuarium vt reuelet; neque ad tale quid virgēti, necesse est obedire: quia debet esse contentus, quod sibi fit facta reuelatio tanquam patri emendaturo delinquentem.

Tertia causa est: si quis à talibus, aut taliter audiverit peccatum reuelandum, vt ob id moueri non debeat: aut si ob eam reuelationem, notandus sit leuitatis; vt si audiverit, prout vulgo fit, iens per vicos & plateas ciuitatis à personis incognitis, vel non dignis fide vt à pueris, seu aliis quibus fides adhibenda non est. Secus verò si à viris fide dignis, aut ab isposmet delinquentem. Ratio est quam adfert Petrus à Navar. nu. 218. quia damnum inferret tunc sibi; notam scilicet leuitatis inurendo: tum proximo quem exponeret tam infamem quam punitioni, fortassis iniuste, aut certè maiori quam mereretur.

Quarta causa est, si ille cuius relatione id scitur, iam reuelauerit: tunc enim quia principalis non tenetur amplius, nec tenebitur accessorius. Nam accessorium sequitur naturam sui principalis de reg. iuris in 6.

Quinta est: si illud pro quo recuperando lata est excommunicatio retineatur iusta de causa: ut in iustam compenationem, iuxta superius dicta.

Sexta causa est, si quis per solam sacramentalem confessionem nouerit id quod precipitur reuelandum: nullo enim casu absque Penitentis licentia liberè concessa, reuelari potest; prout latè tractatum est in præced. lib. 3.

Septima est: si quis rem cuius reuelatio quaeritur, sub sigillo secreti ad hoc acceperit, ut misero delinquenti consilium vel remedium adhiberet in corpore vel in anima; nisi alià viâ illud idem cognouerit. Pro qua re multos auctores citat Petr. à Nauar. num. 222. Adde in seq. 223. rationem: quod committens alteri secretum in remedium animæ vel corporis, cum committendo non peccet, deerioris conditionis esse non debet, quam si tacuisset. Ergo sicut tacens non erat à se reuelandus, ita nec dicto modo committens mihi secretum: nisi forte ad id deturgentem causam: ut si peccatum ipsius vergeret in detrimentum reipub. aut proximi; nec ipse vellet desistere ab eo inferendo: quia inde mereretur sibi frangi fidem.

Postrema causa est, quam ex Baldo & Felino habet Nauar. in Enchir. cap. 25. num. 50. & sequuntur à Graphiis in cit. cap. 8. num. 32 & Petr. à Nauar. lib. 2. de restitut. cap. 4. num. 228. ut ille à denunciando & testificando excusetur, qui sibi ex sua denunciatione ac testificatione iuste timet aliquid euenturum magnum damnum spirituale, aut temporale personæ, vel honoris, aut bonorum pecuniariorum. Ratio est, quam habet Syluest. in verbo Familia quaest. 7. quod nullus tenetur suo malo procurare bonum proximi temporale. Adde similiter ex eodem Nauar. si ex denunciatione, aut testificatione oritur esset scandalum: quia ut habet Syluest. in verbo *Corruptio* quaest. 7. sub finem, Ecclesia nullum cum scandalo obligare videtur: argumento ca. Officij De penit. & remiss. Hic aduerte quod Alphons. à Castro tangit in l. 2. de potestate legis penalis c. vlt. concl. 2. versu. *Circumfossos*: quando excommunicatio generaliter fertur ad reuelandum criminis aperi patratorem, eum qui patrauit non incurere illam, si ad vitandam infamiam se non manifestauerit: nisi crimen tale sit ut ad satisfaciendum obligationi quam per illud contraxit, seipsum proderet tenetur; ut accidit in casu c. Quidam maligni 5. q. 7. de quo antea diximus.

CAPVT XII.

De ratione cognoscendum quis incurrit in excommunicationem legitime latam.

SUMMARIUM.

- 213 Consideranda ad cognoscendum an quis in excommunicationem incurrit.
- 214 Excommunicatio lata in facientes aliquid, non extenditur ad precipientes, aut consulentes illud fieri.
- 215 Exceptiones notanda.
- 216 Ut excommunicatio incuratur, oportet factum pro quo imponitur esse consummatum.
- 217 Notanda de excommunicatione lata in precipientes, consulentes &c. quod tales subiciuntur ei, nonnumquam per modum cooperationis nonnumquam per modum propriae actionis.
- 218 Quaedam obseruanda peculiariter circa excommunicationes latas ad extorquendam reuelationem vel satisfactionem.
- 219 Obseruanda tum de tempore quod praesinitur in sententia excommunicationis, tum de iudice a quo fertur.
- 220 Obseruanda de excommunicatione lata per Camera Apostolicam, pro solutione annua pensionis.

Radita explicatio eorum, quæ excommunicatio ex se requirit ut valde inferatur: ac eorum quæ ab incurrenda, etiam legitime lata, exculant: sequitur ut tradatur ratio cognoscendi utrum quis in eam incurrit.

Primum ergo considerandum est, qualis ea sit; comminatio, an lata sententia; conditionata an absoluta; & ita de

cæteris, de quibus in cap. 6. egimus, Nam inde aliquo modo intelligitur quatenus liget.

Secundo, ponderanda sunt verba quibus Canon vel Index vitur in excommunicando; & cum in excommunicatione duo inueniantur, ut rectè Caietanus notat verbo *Excommunicatio in ius*, persona quæ excommunicatur, & actio pro qua excommunicatur; inspicendum est contra quas personas & pro quibus actionibus excommunicatio decernatur. Neque enim ad alias personas aurationes extendenda est, ut notat ibid. Caiet. & Nauar. in Enchir. cap. 27. n. 51. alios citans in eadem sententiam, & confirmans aliquot rationibus. Illa autem sufficit quod pœnæ sint interpretatione restringendæ potius quam ampliandæ; iuxta ca. Pœnæ, De penit. dist. 1. & regulam 44. iuris in 6. quæ sic habet: in pœnis benignior est interpretatio faciendæ.

Tertio, considerandum est, An ab eo & in eum & ea de causa, & modo feratur quo secundum tradita in præcedentibus capitulis, debet ut censenda sit valida.

Quarto considerandum est, An excommunicatio feratur tantummodo contra eum qui facit: ut v. g. qui occidit, vel furatur; quia sub tali sententia comprehendendus non est ille, qui antequam res fiat, precipit, vel dat consilium aut fauorem vel auxilium præbet. Ita docent tum memorati auctores, tum alij ut Angelus Excommunicatio 8. num. 1. & Syluest. Excom. vltimo n. 5. vers. 3. & si contrarium indicet Excommuni. 9. casu 41. versu 8. quo nomine loco citat. inconstantia illum arguit Nauar. qui & optime de hac re dicitur: cuius precipitæ rationes sunt duæ. Prior, quod precipientes, consilii, & alij non sunt proprie & verè faciendæ: quia ex hypothesi, præceptum ipsum consilium, fauor, vel auxilium præcedit factum nihilque potest precedere seipsum. Quare non nisi ampliando pœnam, quod regula iuris vetat, precipientes, & alij memorati comprehendendi possunt sententiæ excommunicationis lata in facientes.

Opponenti verò exc. Mulieres De sent. excom. in 6. eum qui mandat interfici Clericum, verè committere, & in excommunicationem percussoris Clerici incurere. Respondendum est, committere quoad culpam criminis: quam incurrimus, illud quod prohibuit esse facientes, siue per nos siue per alios. Incurrere verò in excommunicationem, non ob percussorem per alium factam, sed ob mandatum quod dedit faciendæ: quod Pontifex in eod. cap. extendit particulatim excommunicationem latam in percussorem Clerici vel Monachi 17. q. 4. cap. Si quis suadente Diabolo. Vnde interfecit Clerici sicut ad culpam, ita & ad pœnam mandanti imputatur ob eam excommunicationem.

Posterior ratio est: quia excommunicatio ligat iuxta intentionem Iudicis, ut habitum est in cap. 10. sect. 4. vltusque obtinuit, quando Iudex intendit cum facientibus ligare precipientes, & alios quos diximus, id in sententia exprimat (tacite nimirum significando non ligari aliquos) sicut exprimit Bonifacius VIII. in cap. Felices De pœnis in 6. & Clemens V. in Clemens. Si quis suadente Diabolo eodem tit. & exprime solent Summi Pontifices in Bulla Cænz Domini Concludendum est igitur, quando sententia excommunicationis fertur in eos qui aliquid fecerint, non esse sub ea comprehendendos precipientes, consulentes, & alios antedictos.

Nisi ut Nauar. ibidem admonet; ex tenore eiusdem, id ipsum satis colligatur: precipientes inquam, aut consilium dantes, facientibus aquiri in pœna, voluntate excommunicantis. Sic ex cap. Ita quorundam De Iudeis, in quo excommunicantur deferentes ad Sarracenos arma, & alias merces prohibitas; colligitur excommunicari similiter eos qui precipiunt deferri. Tali enim collectione, ut bene notat Nauar. vti licet, quoties sententia frustratoria inanis effectus esset, nisi ea ratione extenderetur: prout manifestum est in exemplo proposito. Frustra enim esset ea lex, si ligaret solummodo eum qui per se deferret arma ad Sarracenos; non item eum qui mitteret per alium: quia idem incommodum est; siue quis per se ferat, siue per alium mittat. Aque hinc est iuxta cap. Si ciuitas De sent. excommunicat. in 6. cur cum ciuitas aliqua interdicitur, tacite colligi debeat interdicti suburbia: quia talis sententia lata ad terrendum populum, non haberet aliqui magnum ad id momentum: quia non esset multum gra-

ue populo diuino officia audire celebrata in loco proximo. Adde similiter, si idipsum colligatur ex aliquo decreto Ecclesiastico, sicut ex decretis cap. Mulieres, & cap. Quantae, De sententia excommunicat. colligitur canonem Si quis suadente Diabolo 17. quæst. 4. dum excommunicat percussorem Clerici, extendi debere ad precipientem, consulentem & iuuantem in quos perinde ac in ipsum percussorem, dicta capitula excommunicationem decernunt.

216. Quintum est, cum excommunicatio fertur contra facientem aliquid (quandoquidem poenæ sunt interpretatione restringendæ) eam non incurri nisi opus consummetur; vnde non comprehendit illum qui tentauit quidem facere, sed non perduxit opus ad exitum. Ita docent post Ioannem Andream D. Anton. 3. part. tit. 24. cap. 1. §. 1. Panormit. ad cap. 1. De sententia excommunicatio nis num. 4. Alphonsus à Castro lib. 2. de lege poenali sub finem 7. capitis & Caietanum verbo Excommunicatio circa principium: vbi exemplum adfert, inquit, Quantumcumque conetur aliquis Clericum percutere, lancea, fagittis, lapidibus, nisi actus pertingat ad Clerici personam, non incurret in excommunicationem latam in percussorem Clerici.

217. Sextum est: cum excommunicatio fertur simul in facientes & in dantem præceptum, consilium, fauorem vel auxilium: si actiones hæc dandi, inquit Caiet. & Nauarr. locis citatis, excommunicationi subiiciatur per modum extensionis, & cooperationis ille, cuius sunt actiones (nisi forte in sententia alter exprimat: vt in cap. Pro humani. De homicidio in 6. exprimitur excommunicari eum, qui Christianum per Assassinos interfecit, vel etiam mandauerit interfici: quantumuis mors inde non sequatur) in excommunicationem minimè incurrit si opus non sit perpetratum: vt cum excommunicantur iniicientes manus violentas in Clericum, & in omnes qui ad id dederunt mandatum, consilium, fauorem, aut auxilium; etiam si aliquis mandet, consulat, faueat, auxilietur, si effectus (hoc est violentæ iniectio manus in Clericum) non sequatur, neque incurritur excommunicatio: quia tales actiones quatenus sunt cooperatores, non consummantur, nisi terminentur in opere, id est, nisi ad eas sequatur opus.

Si autem eadem actiones subiiciantur excommunicationi per modum propriæ actionis; nihil refert si effectus non subsequatur: vt cum in Clement. Cupientes §. 1. De poenis, excommunicatur Religiosus dicens aliquid, quo audientes retrahat à solutione decimarum Ecclesiis debitarum; non exigitur ad incurendam excommunicationem, vt eo quod dixerit, audientes retrahat à solutione decimarum: sed sufficit quod dixerit cum intentione retrahendi. Nam inquit Caiet. tale dicere, subiicitur excommunicationi per modum cuiusdam actionis secundum se, & non per modum extensionis seu cooperationis. Fuisset autem per modum extensionis, si Canon ille principaliter excommunicasset non soluentes decimas; & accessorie, dicentes aliquid ad retrahendum à tali solutione.

Aduertendum adhuc est ex Caiet. & Nauarr. loco cit. quædo præceptum, consilium, &c. priore modo, hoc est accessorie tantum prohibentur sub excommunicatione latæ sententiæ: vt in hanc incurritur, idipsum siue præceptum siue consilium, &c. debet esse aliquo modo causam operis. Nam cum præcipiens, vel consulens non excommunicetur, nisi vt cooperator ad malum; consequens est, vt si præceptum ipsius vel consilium nullo modo influat in malum (vt censetur non influere, cum sine eo tam certo, tamque iniquo animo ipsum faciendum fuit) quantumcumque hoc perpetretur, ille ab excommunicatione liber erit; iuxta ca. Felicitis De poenis in 6. inuncta glossa, verbo Simpliciter.

Præter hæc autem, quæ communia sunt omnibus excommunicationibus, alia quædam sunt propria iis excommunicationibus quæ ferri solent ad exequendam reuelationem delictorum, aut satisfactionem debitorum. Illorum nonnulla iam ante attigimus in fine præcedentis capitis: reliqua vt scitu necessaria pro quotidiano vsu, hic addemus ex iis quæ authoribus in margine citatis proponit Henriquez in 1. part. summæ Theolog. lib. 13. cap. 18. §. 4. & sequentibus, & erratè tractat Suarez 10. no. 5. in 3. part. D. Thomæ, disput. 20. Vbi scet. 3. tradit bonum fundamentum pro iudicio de va-

liditate istiusmodi excommunicationum; quod est vt causa propter quam feruntur sit peccatum mortale in quo perseveratur, aut quod de nouo committendum est transgressione præcepti iusti. Vnde intelligitur, validam esse excommunicationem latam in finem manifestandi veritatem, vel dandi illud quod exigitur: cum quis iam ante illam ipsam excommunicationem, iure siue diuino, siue humano ad tale quid præstandum, siue ex iustitia siue ex charitate tenebatur sub peccato mortali. Itemque validam esse, etiam si non præcesserit talis obligatio, si Prælati sufficientem auctoritatem habens, iustum det præceptum manifestandi, aut præstandi aliquid quod notabilis aliqua necessitas spiritualis exigit, vt ipse sub excommunicatione urgeat illud seruari: vt cui iudicat expedire ad communem pacem & ad vitanda multa peccata. Non esse autem eam validam, quando nec supponit grauem culpam in occultanda veritate, aut in non præstando eo, quod exigitur: nec item supponit priorem obligationem ad tale quid agendum: neque excommunicans velle nouam eiusmodi obligationem inducere, siue simpliciter siue in tali casu: ne upe in quo nullo urgeat spiritualis necessitas. De quibus plenius ipse Suarez. Sed pro praxi contenti esse possumus cætera perstringere paucis.

Primum est, excommunicationes quibus præcipiuntur reuelationes aut satisfactiones, cum ea sint ab homine, expirare mortuo earum auctore, aut amoto ab officio. Secundum est, cum sub excommunicatione præcipitur vt reuelatio fiat intra sex dies, cum qui per ignorantiam, aut aliam iustam causam, excusatus est sex illis diebus, postea cessante ignorantia vel alia iusta causa, non incurrit in excommunicationem, si non faciat quod præcipitur; quia sententia vigorem non habet ultra terminum in ea constitutum. Monet tamen Henriquez in cit. §. 4. quod dum per modum visitationis excommunicatio promulgatur ad habendam reuelationem, ea expiret tantum finito tempore visitationis; non autem statim finitis sex illis diebus intra quos denunciare præcipiebatur. Nam talem esse intentionem promulgantis dubitari non potest, spectato sine quem habet propositum.

Pari ratione dicendum est, quando excommunicatio fertur vt solutio fiat intra certum tempus, illam perseverare & incurri posse hoc elapso: quia manifestum est Superioris mentem nõ esse eum terminum designare ad finiendam obligationem soluendi sed ad executionem illius differendam vtque ad eum terminum, nec ultra: vnde si in eodem, siue ex impotentia, siue ex alia quacumque causa non satis fiat obligationi; non ideo extinguitur, sed perseverat obligatio satisfaciendæ nec differendi solutionem.

Vbi aduerte, quod Suarez tractat in ead. disput. 20. sect. 2. num. 15. & 16. quia impotentia quæ ex malitia vel negligentia voluntarie accidit, non excusat ab excommunicatione, vt nec à peccato, cum qui in præscripto termino per talè impotentiam, non soluit, nec excusari ab excommunicatione; quandoquidem non excusatur à contumacia transgressio nis præcepti sub ea impositi: cum nulli sua malitia prodesse debeat.

Tertium est, citatos sub excommunicatione, excusari, si iustum habeant comparandi impedimentum de quo in Enobis. Nauarr. cap. 27. num. 38. in fine. Et ita, inquit Henriquez, quando omnes Parochi ad synodum venire iubentur sub poena excommunicationis; eam non incurrit impediti legitime, si cum possent facile, excusationem miserunt. Non tenentur verò, vt ille addit, procuratorem mittere suo loco.

Quartum est: cum pro rebus subtractis fertur excommunicatio, vt detentor restituat, & scientes denuncient intra dies aliquot: si intra illud tempus debitor per ignorantiam, aut impotentiam excusetur, ceteros non denunciantes excusari cum ipso à tali excommunicatione: neque enim rationi consentaneum esse, quod aliqui dixerunt teneri denunciare, vt assuretur debiti restitutio faciendæ à debitore, quando poterit commodè fieri: Henriquez probat: quia non est ea intentio Iudicis excommunicantis, cui illud solum curæ est, vt reus per inobedientiam quam debet Ecclesiæ, exeat à peccato; quod tunc nullum est non restituentis: excusante ipsum ignorantiam, vel impotentiam.

Quintum est, quod ipse Henricus habet in sequen. §. 5. cum sub excommunicatione præcipitur, vt quicumque rei, de qua

in iudicio agitur, veritatem sciverit: accedat ad iudicium dicitur quod novit de delicto aut de delinquente, aut de illius infamia, seu notorietate in vicinia: eam sententiam locum habere, etiam si Iudex apud quem causa tractatur, sit laicus. Eum verò in hac re cavendum scire, qui sensu externo expertus est, aut qui novit per confessionem partis, aut qui audiit certificari à viro fide digno: neque necessarium est ut precedat infamia, sed sufficit ut semiplena probatio contra reum, parte contraria instante. In dubio autem, addit Henricus in marg. lit. L. non tenetur quis credere Iudici asserenti reum esse apud se semiconvictum, nisi aliunde constiterit, quod idem Iudex sit talis, cui fides integra adhiberi debeat.

Sextum est, de quo in §. 6. Henricus, quando in chartis excommunicationis scientes iubentur denunciare intra sex dies, non numerari inter eos, diem publicationis: quia dies intelligitur naturalis qui est 24. horarum: Item illum terminum intelligi dummodo intra id tempus premiti possit commode prima & secunda correptione fratris: alioquin enim tantum prorogari potest denunciatio, quantum ad id sufficit. Præterea illum qui nesciit statim ab initio latam fuisse excommunicationem contra facientes, posse à tempore notitiae numerare prædictos sex dies, intra quos expendatur, quæ correctio præmitti debeat. Aliqua alia de istis excommunicationibus vide apud Nauarr. lib. 5. Consiliorum, tit. de sentent. excommunicationis.

220. Item de excommunicatione lata per cameram Apostolicam pro solutione annuæ pensionis appositæ beneficio, videri possunt quæ tradunt Henricus in sequen. c. 19. & Suarez in citata disput. 20. sect. 2. à num. 7. Duo autem attigisse contenti erimus. Alterum est, quod Henricus habet in §. 2. & plenius Suarez in num. 10. ex benigna interpretatione mentis Camerarij Apostolici, pensionarium non esse termino elapso habendum excommunicatum, nisi pars cui debetur pensio, & ad cuius instantiam & fauorem datur excommunicatio; debeat, non quidem privatum, sed per Cameræ Apostolicæ sententiam parti intimatam, se velle ut excommunicationem incurrat: adeo que si ante quam debeat, ipse vel debitor moriatur, vel debitum solvatur, vel inter se partes conveniant, excommunicatio non incurritur, etiam elapso termino præscripto; ac etiam in casu in quo se quis obligaverit personaliter, seu per proprium & immediatum consensum: ac item quantumcumque tunc debitori satis constat de obligatione à se assumpta sub onere & pena. Ita ex usu & stylo curiæ Romanæ haberi notat cum Nauarr. ex Cassidoro Suarez. Et addit rationem, qua consentaneum est ut in ea re voluntas creditoris expectetur; quia cura in fauorem ipsius lata sit excommunicatio, censetur dilationem præmittere donec cum tanto rigore debitum exigat. Neque Iudex intendit excommunicationem ferre, nisi secundum exigentiam, & voluntatem ipsius: quam consentaneum est iuridicè, seu per Iudicis sententiam, intimari debitori.

Alterum est, quod Henricus in sequen. §. 4. addit, Cum mandatum Camerarij præsumatur iustum, si intercedunt causæ quæ debitoris moram soluendi excusent à culpa, ita ut creditor irrationabiliter sit inultus: excusari quoque eundem debitorem ab excommunicatione prædicta: qui si in ea re timeat se molestandum, impetrabit à Summo Pontifice diploma commissum Ordinatio, Tanquam Apostolico legato; ut iure procedens, iuxta cap. Odoardus De solutionibus, designet congruam sustentationem ipsi beneficiario debitori, & prohibeat creditori vexare ipsum, sed contentus sit fructibus residuis. Quia in re, ut monet Suarez num. 13. aduertendum est, tale scriptum Pontificium ut vile sit, debere continere clausulam non obstante quacumque obligatione formæ Camera: quia per talem concessionem non impediretur alioqui facultas authoris Camera: ob plurimum Pontificum confessiones et factas.

Pro debito usu absolutiōis ab excommunicatiōe, Explicatio excommunicationum Sedi Apostolicæ, in Bulla Cæne Domini reseruatæ.

Magna est excommunicationum multitudo, etiam eorum, quarum absolutio iure communi est Sedi Apostolicæ reseruatæ; & in quibus oportet Confessariū versari esse

se, ne Sacramentalem absolutiōem det sacrilegè, adeo quæ inualle, iuxta doctrinam de casuum reseruatione in Concilio Trident. sess. 14. c. 7. expressam. Non dicemus autem in præsentiarum de omnibus: quia nonnullæ sic passim ignorantur, nec in usu sunt, ut probrorogatis valeant: & pleræque, licet notæ sint & in usu, commodius tamen tractantur cum peccatis, propter quæ à iure imponuntur, iam verò quæ à nobis peculiarem, pauloque pleniorē considerationem, nullo modo negligendam, exigunt: sunt (vltima eam de qua iam diximus in appendice ad librum primum) excommunicationes latæ in Bulla Cæne Domini: tum quia sub finem eiusdem Bullæ, Summus Pontifex mandat, ut omnes quavis authoritate audiendas confessiones de peccatis, transumptum illius penes se habeant, diligenterque legere, ac percipere studeant: tum quia sunt omnium grauissima, non eo tantum nomine, quod latæ sint propter grauissima quædam peccata, quibus plus diuina maiestas, quam cæteris offenditur, ac quibus pax vniuersæ populū Christiani cū Christi in terris Vicarij, non sine graui scandalo, perturbatur: sed etiam quia illarum absolutio rita seueritate reseruantur Papæ, ut maior excommunicatio imponatur cuiusque, cuiusque dignitatis vel status sit, & quocumque privilegio, quacumque ratione munitus (nisi in illo fiat expressa earum mentio) qua extra mortis articulum, quempiam ab eis absolueret, de facto præsumperet: ut videre est in 3. parte eiusdem bullæ §. Cæterum i. Vnde satis intelligitur in earum cognitione Confessariū oportere imprimis versatum esse. Quod & patet ex speciali præcepto quod in eadem bulla sub finem, Summum Pontificem dare iā attigimus.

CAPVT XIII.

De bulla dicta Cæna Domini.

SUMMARIUM.

- 226 Bulla Cæne Domini, usus in Ecclesiis.
227 Modus peculiaris quo cessat obligatio eiusdem.
228 Observatio de casibus, qui in inuoluntate eiusdem Bullæ, interdum detrahuntur.
229 Alia de iis, qui interdum adduntur.
230 Excommunicationes Bullæ Cæne, nec sunt proprie ab homine, nec proprie à iure.
231 In tres partes Bulla Cæne distinguitur.
232 Tres causæ ob quas est instituta.

Antequam ad singularium excommunicationum considerationem aggrediamur, quædam obseruanda sunt de ipsa met Cæne Bulla.

Observationes generales circa eandem Bullam: qua nunc habetur edita à S. D. N. Paulo Quinto.

Prima sit: Romanos Pontifices, ut discimus ex Clementina. De iudiciis, quibusdam solemnibus anni diebus: nempe, ut ibidem glossa notat verbo, Solemnis, die Iouis septimane sanctæ, qui dicitur Cæna Domini; & die Ascensionis eiusdem Domini nostri, ac die Dedicationis Basilicarum Petri & Pauli; consueuisse generales processus facere contra quædam personarum genera: nempe, ut eadem glossa, verbo generalis, annotat, contra hæreticos eorumque credentes, & contra eos qui ad Saracenis prohibitas merces deferunt, contra piratas contra exigentes, vel imponentes noua pedagia, & contra falsarios literarum Apostolicarum. Progressu verò temporis consuetudinem inualuisse, ut semel tantum in anno fierent: ipso scilicet die Iouis septimane sanctæ, ut attigit Dionysius Auton 3. par. tit. 24. cap. 72. vbi etiam generis processum Martini Quinti referens ad verbum, profigit ei hanc inscriptionem: Processus annualis, qui fit annualim in curia in Cæna Domini, contra multa hominum genera. Cuiusmodi consuetudo ad nostra vsque tempora perseverauit.

Secunda obseruatio est: obligatiōem sententiæ talis processus, non esse perpetuam; sed durare tantum vsque ad promulgationem alterius similis sententiæ; siue ab eodem Papa, siue à suo successore latæ, prout in ipsa bulla Cæne Domini exprimitur his verbis, Volentes presentes nostros processus, ac omnia & quæcumque his literis contenta, quousque alij huiusmodi processus à nobis aut Romano Pontifice pro tempore existentes; sicut aut publicentur, durare, suosque effectus omnino sortiri. Non est verò, quod quæquā moueat illa diffun-

disiunctio, sicut aut publicentur, tanquam indicet priorem Bullam non obligare semper ad ad promulgationem subsequens. Cum enim mens Pontificis sit per talia verba continuare obligationem istiusmodi Bullarum: neque noua obliget, sicut nec illa lex humana, antequam promulgetur: sic illa accipienda sunt vt significant obligationem vnus talis Bullæ tum deum cessare, cum publicata est altera.

228. Tertia obseruatio est: Quando in Bulla noua Cœna Domini, omittitur aliquis casus eorum qui in veteri continebantur, si is talis sit, qui à iure annexam habeat excommunicationem reseruatam, licet desinat habere tantam reseruationem quantum habebat ratione istiusmodi Bullæ, non desinare tamen habere excommunicationem aut reseruationem iuris quam prius habebat; perinde ac si in eadem Bulla nunquam positis fuisset. Videri possunt pro maiori explicatione quæ habet Nauar. ad cap. Ita quorundam De Iudæis notab. 11. num. 25, & aliquot frequentibus. Quando verò omittitur casus, qui nullam habet excommunicationem à iure, tunc quoad illum, cessat omnino excommunicatio.

Sed aduerte quod et si ille qui in eo deliquit, non est amplius obnoxius excommunicationi reseruatæ in Bulla Cœna Domini, sicut erat si deliquisset vigente adhuc Bulla quæ comprehendebatur; tamen si eadem adhuc vigente deliquerit, ab excommunicatione quam tunc incurrit, non liberatur ex eo, quod casus in quo deliquit desierit comprehendendi in Bulla Cœna: sed ligatus manet sicut prius: ita vt nequiat per alium quam per Summum Pontificem absolutio: nec secus ac si eadem Bulla adhuc vigeret. Ratio est: quia excommunicatio semel in cursa, retinet vim suam ligandi donec tollatur per absolutionem, quam in tali casu solus Papa dare potest ob reseruationem factam in ipsa Cœna Bulla.

Aduerte item quod ex Nauar. habet Suarez ad 3. part. D. Thomæ tomo 5. disput. 21. se. 1. si pro eodem delicto feratur excommunicatio in istiusmodi Bulla, pro quo in iure iam fuit lata; excommunicationem esse eamdem numero: quia cum pœnæ sit in mitiore sensu interpretanda, is qui excommunicationem fert in casu in quo iam lata à iure, censendus est (nisi aliud in sententia expresse declaret) non ferre nouam censuram, sed eam quæ in iure continetur, declarare & roborare.

229. Quarta obseruatio est: Casus additos de nouo in Bulla Cœna, non esse referendos ad præterita, sed tantum ad futura: adeo vt is, qui ante additionem etiam nullius commississet delictum illud propter quod nota excommunicatio per Bullam ipsam Cœna decernitur, minimè incurrit illius sententiam. Sin autem post additionem vel semel commississet, omnino incurrit. Nam Papæ mentem non ferre talem sententiam respectu præteritorum, sed futurorum delictorum satis significat in scripto quam ipsi Bullæ præfigit talis: Paulus Episcopus seruis seruorum Dei ad futuram rei memoriam. Hæc enim verba, sicut & illa, ad perpetuam rei memoriam quæ Summi Pontifices in suis literis vsurpant, cum faciunt statutum perpetuum, ostendunt ipsam sententiam ferre pro culpis futuris.

230. Quinta obseruatio est: excommunicationes Bullæ, de quibus instituis dicere, nec esse propriè ab homine, nec propriè à iure sed medijs cuiusdam generis. Nam non esse propriè excommunicationes ab homine, patet ex eo quod tales expirent cum homine à quo feruntur: & excommunicationes huius Bullæ ferantur duraturæ etiam post ferentis mortem, vt patet ex verbis eiusdem Bullæ quæ supra in 2. obseruatione retulimus; statuit enim illas valituras vsq; ad promulgationem alterius Bullæ siue ab ipso ferente, siue à suo successore faciendam: ita vt edita Bulla à Summo Pontifice in Cœna Domini eo anno quod è vita excedit, vim & robur suam retineat, donec successor ipsius nouam in sequenti Cœna Domini promulget.

Neque item esse propriè à iure excommunicationes ipsas Bullæ Cœna; patet ex eo quod non sint stabiles ad modum iuris, cum non modo à diuersis sed etiam ab eodem Pontifice sæpe mutentur. Deinde, quod obligatio vnus Bullæ eas decernentis cesset per solam promulgationem alterius de nouo factæ, vt ante habitum est. Obligatio autem eorum, quæ vim iuris habent, non cesset quantumcumque

ius nouum condatur aut promulgetur: nisi ipsum illa reuocet.

Quare concludendum est, medijs cuiusdam generis potius, quam vel propriè ab homine, vel propriè à iure esse excommunicationes Bullæ Cœna. Quanquam tamen spectata natura illarum possunt absolute ceteri ab homine esse; quia illud quod dictum est, *ipsas ferri duraturas post mortem sui authoris*, non habent ex sua natura sed ex voluntate Pontificis ferentis, qui potest validare quamlibet sententiam hominis vsque ad tempus aliquod, siue determinatum siue indeterminatum.

Postrema obseruatio est: literas in quibus excommunicationes nobis ad explicandum proposito habentur, à S. D. N. Paulo 5. latæ, tribus partibus distingui: quarum prima proœmiū constituit: secunda viginti clausulis excommunicationes fulminat: tertia quædam ad earumdem excommunicationum absolutionem, valorem, & auctoritatem pertinentia continet. Assignantur verò in proœmio, causæ ob quas, consuetudine maruo consilio introducta, plurimisque iam annis non interrupta, Summus pontifex (qui reip. Christianæ, cuius gubernacula tenet, pacem & tranquillitatem procurare debet) spirituali Ecclesiasticæ disciplinæ gladio contra quædam personarum genera vitur: ea præscindendo à corpore mystico Ecclesiæ militantis: sic tamen vt tanquam communis omnium pius pater, volentibus omnino incorporari, spem paratam relinquat.

231. Prima autem ea causa est, vt retineatur conserueturque vnitas & integritas fidei Catholicæ, sine qua nemo potest placere Deo ad Heb. 11. In quem finem quia eadem fides maximè labefactatur per hæresim, prior pars primæ clausulæ ex dictis viginti, decernit excommunicationem in hæreticos & alios qui aliquo modo ipsis in causa hæresis participant, sicut inferius suo loco videbitur. Secunda causa est, vt sancta fidelium societas sine offensione seruetur, nempe vt fideles inter se alter alteri offensionis causam minimè præbeant, sed vinculo charitatis coniuncti, sic vite presentis quiete gaudeant, vt futura quoque beatitudine perfruantur. Offendi verò potest sancta fidelium societas primo in ordine ad bona temporalia: tum aliis rationibus, tum maximè iis ob quas dicemus pœnam excommunicationis imponi in 3. 4. 5. & 7. clausula: deinde in ordine ad personas Ecclesiasticas, vt contingit præcipue, cum committuntur ea pro quibus decernitur excommunicatio. In clausula 14. 15. 16. 17. 18. 19. Tertia causa, vt seruetur vnio fidelium cum Christo & ipso in terris Vicario, tanquam membrorum cum capite: cuius vnionis qui particeps non est, necesse potest illius spiritualis vitæ, quæ ad beatam ducit. Violatur verò talis vnio pluribus modis, & maximè iis quibus violatores excommunicationi subiacentur sub finem primæ clausulæ, & in 2. 6. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 17. sequentibus.

CAPVT XIV.

De prima excommunicatione lata in hæreticos cuiuscumque scæta: ac eorumdem credentes, receptatores, fautores, libros legentes, tenentes aut imprimentes atque schismaticos, his verbis.

232. **E**xcommunicamus & anathematizamus ex parte Dei omnipotentis, Patris & Filij & Spiritus sancti, auctoritate quoque Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra: quoscumque Hæreticos, Wicleffitas, Lutheranos, Zuinglianos, Caluinistas, Vgonottos, Anabaptistas, Trinitarios, & à Christiana fide Apostatas, ac omnes & singulos alios hæreticos, quocumque nomine censentur, & cuiuscumque scætae existant, ac eorum credentes, receptatores, fautores, & generaliter quoslibet illorum defensores, ac eorumdem libros hæresim continentes, vel de religione tractantes, sine auctoritate nostra & Sedis Apostolicæ scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes, ex quavis causa publicè vel occultè, quouis ingenio vel colore: nec non schismaticos, & eos qui se à nostra & à Romani Pontificis pro tempore existentis, obedientia pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.

S V M M A R I V M.

- 233 In quas personas fertur prima excommunicatio Bulla Cæna Domini.
- 234 Requisita ad eandem excommunicationem incurrandam ob hæresim.
- 235 Baptizatum esse, requiritur.
- 236 Item habere in mente errorem contra fidem.
- 237 Quod sufficiat talem habere propria existimatione, & quando sufficiat in fide dubitare.
- 238 Requiritur pertinaciam habere in voluntate.
- 239 Adhuc requiritur externum signum interioris hæresis: quod commune, aut etiam incompletum esse sufficere potest.
- 240 Aliqua etiam omisso potest sufficere: itemque dictum aut factum per iocum.
- 241 Conferri de mentali hæresi, aut super ea petere consilium, non est sufficiens signum ad incurrandam hanc excommunicationem.
- 242 Credentes hereticorum sunt in duplici genere, & qui in hanc excommunicationem incurrant.
- 243 De quibusdam eorum, quoad hanc excommunicationem, perinde iudicandum est, ac de hæreticis; de aliis vero nonnullis, sicut de fautoribus hereticorum.
- 244 Qui sint intelligendi per receptatores hereticorum, quibus propria excommunicatio imponitur.
- 245 Quando ab ea excusentur, qui recipiunt hereticum questum ad penam pro sua hæresi luendam.
- 246 Fautores hereticorum incurrentes in hanc excommunicationem: ac primo si qui omissione.
- 247 Deinde si qui commissione.
- 248 Qui defensores hereticorum in eandem excommunicationem incurrant.
- 249 In legentes libros hereticorum duplex lata est excommunicatio, & que ad quamque earum incurrandam requirantur.
- 250 Quædam edita ab hæreticis, legi permittuntur.
- 251 Quando audiendo legi librum hereticum, incurritur excommunicatio.
- 252 Quid sit sentiendum de recitantibus memoriter ea que retinentur exlectione librorum hereticorum.
- 253 Legentes in libris Catholicorum, eis inserta ex libris hereticorum, non incurrant in excommunicationem.
- 254 Excusant ab eadem in hac materia, ut in aliis, tum ignorantia, tum parvas rei.
- 255 Quis dare possit facultatem legendi libros prohibitos.
- 256 Retinentes libros hereticorum, quo modo incurrant in excommunicationem.
- 257 Quomodo siue imprimentes, siue defendentes eosdem libros, incurrant.
- 258 Quis proprie schismaticus esse censeatur.
- 259 Affectus & effectus ex quibus potest quis schismaticus proprie censeri.
- 260 Indebitus modus coniungendi se Romana Ecclesia: ex quo potest quoque censeri quis schismaticus.
- 261 Tres modi quibus potest quis subtrahere se ab obedientia Papæ.

233.

Prima excommunicatio fertur in prima clausula, contra personas decem generum; ex quibus quinque constituntur in ordine ad hæresim: nempe omnes hæretici, quocumque nomine censeantur, & cuiuscumque sectæ existant: deinde eorumdem credentes: tertio receptatores: quarto fautores: quinto quilibet defensores illorum.

Quatuor vero in ordine ad libros hereticorum, nempe eos scienter legentes, deinde retinentes. Tertio imprimentes. Quarto quomolibet defendentes ex quavis causa: publice vel occulte, quovis ingenio vel colore. Vnum demum in ordine ad subtractionem ab obedientia Summi Pontificis; nempe schismatici: qui rebellant eidem Pontifici, nolentes admittere ipsum caput esse Ecclesiæ. De quibus sigillatim dicendum est, si prius obiter mouerimus, quod de hæreticis dictum est, quocumque nomine censeantur, non esse referendum ad propria nomina ipsorum; quasi quilibet hæreticus sit per hanc sententiam nominatim excommunicatus: non enim excommunicatur quis nominatim, nisi expresso proprio ipsius nomine; vel certe sic suis circumstantiis desertio, ut ipsius persona certo designetur, sicut iam alibi exposui-

mus; sed esse referendum ad sectarum nomina, quorum nonnulla exprimitur in eadem clausula, ut Lutherorum, Caluinitarum, &c. Id quod satis indicant verba que subiiciuntur, cuiuscumque sectæ existant: sicut & per eadem verba, non excludi ab hac censura illos hæreticos, qui nulli se esse adducunt, nulliusque nomen usurpant, indicatur illis aliis verbis præcedentibus, omnes & singulos hæreticos.

De hæreticis in quos primo hac excommunicatio fertur.

S E C T I O I.

Excommunicatio in hæreticos lata frequens est in iure Canonico: nempe in cap. Acacius, & in cap. Audiuimus 24. quæstio. 1. ac in cap. Sicut 1. & in cap. Ad abolendam & in cap. Excommunicamus 1. & 2. De hæreticis, & in cap. Non erit De sententia excommunicati. Quod autem hi cæ nobis explicandum occurrunt, est, quidnam requiratur ut aliquis proprie censeri possit hæreticus qui excommunicatione ista irretiatur.

Requiritur ergo primo, ut sit Christianus: secundo, ut habeat in mente errorem: tertio, ut in voluntate pertinaciam, quæ in hæresi est ut formalis: sicut error est ut materialis: quarto, ut errorem illum pertinacem, externo signo prodiderit. Et ita, censuram hanc is non incurrit; qui vel hæresim animo conceptam, nullo externo signo prodidit: vel si externum hæresicos signum dedit: nullatenus in animo hæreticus fuit. Quæ doctrina est Sylvestri excommunicati 7. tit. 3. & Alfonso à Castro lib. 2. De iusta hereticorum punitione c. 7. & Nauri in Enchir. c. 11. n. 25.

Primo autem requiritur ut sit Christianus, id est, homo qui baptismi susceptione fidem Christi professus sit, patet: quia hæresis includit negationem fidei, in eo qui illam professus est, unde dicitur dilectus a fide iuxta illud prioris ad Timotheum. 4. In nouissimis temporibus discedent quidam a fide. Neque alius nisi is qui baptismum initiatus est excommunicari potest, ut in præced. c. 8. num. 135. ostensum est. Quare non modo catechumenus, de quo dictum est ibidem: sed neque is qui baptizatus est baptismum inualido, quantumcumque multos habeat errores contra fidem & eos pertinaciter teneat, incurrit in hanc excommunicationem: quia nunquam verè professus est fidem Christi susceptione baptismi: ut pote qui non est verè baptizatus.

Si quæras, An is qui baptizatus est in hæresi, in hanc excommunicationem incurrat? Respondetur distinctione: nam si bona fide imbibisset hæresim, putans esse veram doctrinam Ecclesiæ Christianæ; ignorantia ipsum tamdiu excusat ab excommunicatione: quamdiu illam non veram doctrinam esse propterea ignorat, quod nihil ea de re audierit, vel si audierit, non potuit habere a quo instrueretur: sic enim censetur ignorare inuincibiliter. Sin autem audito rumore de errore suo, nolit inquirere veritatem, vel certe in inquirendo sit notabiliter negligens, perseverando in eodem errore tanto temporis spatio, quanto consulti viri docti & pii, de veritate instrui potuit: incurrit in hanc excommunicationem: quia cessat supradicta excusatio.

Secundo requiritur, ut habeat errorem in mente patet: quia hæresis est species infidelitatis: infidelitas verò error est in mente, ex eo sic dictus, quod in ipsa mente rectitudinem fidei non patitur secum: sed eam, si adfuerit, tollat. Unde sequitur, eum qui non habet errorem in mente, cum non sit hæreticus, non incurrit in hanc excommunicationem. Licet igitur qui consentiat in externum opus infidelitatis: ut accidit ei qui exterius adorat deum nonem, genua flectendo, & adolendo ci thus, vel facit eum eo conuentiones & pacta: si fidem integram in mente retineat, nihil sentiendo de demone & ipsius dignitate vel potestate, quod Christianæ doctrinæ aduersetur; sicut non est hæreticus, ut ex professo docet D. Anton. 2. part. tit. 12. cap. 5. §. 1. ita nec incurrit in hanc excommunicationem. Idem esse iudicandum vult Tabienus in verbo Apostasia num. 6. de iis qui interius sunt Christiani, id est, qui in mente fidem retinent integram: sed propter timorem, vel aliam causam faciunt exterius aliquid ad im infidelitatis: ut quod exemplum ille habet in verbo hæreticus, num. 3. qui osculantur sepulchrum Mahometis, vel aliquid aliud faciunt ad venerationem in ipsius, more infidelium; si non sentiunt id interius, quod factum exterius significant. Quamuis enim mortua-

hæret.

licet peccent, non sunt tamen hæretici: nec ideo in hanc excommunicationem incurrun.

Cæterum is error de quo hic agitur, comprehendit non tantum eum, qui est contra illa quæ in sacris literis aut in Symbolo Apostolorum expressa habentur: sed eum etiam, qui est contra aliquid de his quæ à Summis Pontificibus & Conciliis generalibus de fide esse determinata sunt: aut per traditionem Apostolicam ad nos usque pervenerunt. Immo qui est contra illa, quæ istiusmodi esse putantur, etiam si non sunt. Ita ut error iste erroris genere, non modo ille qui sacre Scripturæ aut determinationi Ecclesiæ, sed etiam qui ei quod sacram scripturam, aut Ecclesiæ determinationem esse putat, delibere dissentit. Nam nec cum tali errore consistere potest fides, quæ creditur aliquid sub eadem ratione; quod ab Ecclesiâ proponatur reuelatum esse à Deo.

Quin etiam comprehendit dubitationem, in qua delibere quis assensum cohibet à rebus fidei, quantumvis non dissentiat positivè, hoc est, illas minime negat, immo malit mori quam negare. Ratio est: quia talis dubitatio tollit quodque fidem, cum huius essentiali firmitate em nequeat secum pati de eo que efficitur in fidelem iuxta illud in cap. 1. De hæreticis Dubius in fide infidelis est. Quæ infidelitas cum non sit pura, quæ est in eodem modo in eo qui nunquam fidem suscepit, nec item apostasia, quæ est in eo qui nihil retinet eorum que ad Christianam doctrinam pertinent: debet esse hæresis. Unde fit ut propter illam in excommunicationem incurratur: Quinimo si apostasia esse, incurreretur: quia cum apostata ab hæretico non differat, nisi secundum magis & minus, nempe quod ille sit perfectus & consummatus hæreticus: & hic imperfectus & inchoatus apostata: non est dubitandum, quin sub hac sententia comprehendere apostata, etiam si in sententia non exprimerentur speciatim; sicut exprimuntur maioris perpicuitatis gratia.

Dixi, delibere à cohibere, ad excludendum eum qui dubitet ex motu primo infidelitatis: ut vsu venire potest, cum quis disputans contra hæreticum, audit aliquam rationem contra fidem, quæ facit ipsum statim titubare; aut cum oppressus stimulis carnis, statim hæsitat, an verum sit simplicem fornicationem esse peccatum mortale: & sic de similibus. Item eum qui dubitat sine ulla advertentia, & statim ac perfectè delibere, redit ad se; veritati assentitur firmiter: sicut enim talis non est hæreticus, ita nec in hanc sententiam incurrit.

Tertio, requiritur ut pertinaciam habeat in voluntate, patet: quia si cur assensus fidei pender ex pia voluntatis affectione, sic dissentis hæreseos illi contrarius, pender ex prava voluntatis affectione; adeo ut dissentiens ab aliqua veritate fidei abique prava voluntatis affectione (ut vsu venit illi, qui bona fide putat tale quid credendo, se non errare, paratque corrigi, submittere in omnibus iudicium suum iudicio Ecclesiæ) non sit hæreticus, ille verò sit hæreticus, & per consequens excommunicationem in hanc incurrat, qui alicui propositioni etiam veræ, assentitur ex prava voluntatis affectione: nempe cum putet eam esse contra determinationem Ecclesiæ Romanæ, vult nihilominus illam tenere; aut certe sic ab illa dissentit; ut etiam si Ecclesiâ Romana contra sententiam statueret, veller tamen adhuc illam tenere, nec est paratus se conformare eiusdem Romanæ Ecclesiæ definitioni. Huiusmodi autem pravam affectionem, hic vocamus pertinaciam requisitam, ut quis tanquam hæreticus in excommunicationem istam incurrat.

Postremo requiritur ut externo signo interiori hæresim prodiderit, patet ex his quæ diximus in præcedenti cap. 9. quæ 2. quamvis necesse non sit tale signum manifestum esse, prout in sequen. quæ 3. ostendimus. Hinc autem inferitur, quod cum signorum exteriorum hæreseos possint duo genera distingui: unum communium, id est, quæ alium quod, hæreseos assensum iudicare possunt: sicut sunt elatio manus, inclinatio capitis & similia: alterum propriorum, quæ seilicet per se indicant aliquam infidelitatem mentis, pravamque voluntatis affectionem erga id quod Ecclesiâ de fide tenendum proponit. Inferitur, inquam, quodcumque ex illis ab interiori hæresi procedens, satis esse ad incurrandam hanc excommunicationem. Etsi enim de signis communibus videri possit aliter sentiendum; non tamen ita est, quia

quod actus exterior ex hæresi procedens, sit communis (quod est posse ex alia interiori affectione perinde provenire, atque ex hæresi) impedire potest quidem quominus hæresis ipsa exterius cognoscatur ab aliis: non tamen impedit, quominus ea per accidens sit externum peccatum, pro quo ex communicatione fieri possit: sicut & quod profectio Religiofi ad aulam Principis, procedere possit ex alia intentione, quæ inferendi aliquid damnum suis Prælati; minime impedit quo minus Religiosus tali intentione adiens, excommunicetur per Clemen. primam §. Quia vero De statu Monachorum.

Inferitur secundo, quod cum actus exterior proveniens, seu imperatus ab hæresi, possit esse vel completus, id est, quo hæresis plenè determinatæ que significetur: ut cum quis hæresim quam animo conceptam habet, diversis verbis exprimit, aut etiam facti: ut si animo persuasum habens, nos non ter: et ad observationem præceptorum Ecclesiæ, comedat carnes in Quadragesima. Vel esse possit incompletus; quo scilicet incompletè & indeterminatè significetur hæresis: ut esse possunt hæc verba, *tra est*, & alia huiusmodi, quæ quis suam hæresim meditans, voce proferat, non facientia orationem perfectam. Itemque signa eis respondentia: ut capite annuere, aut abnuere, attollere manum aut aliud huiusmodi ab hæresi proveniens. Inferitur, inquam, non modo eum qui actu externo completo: sed etiam eum, qui incompletè hæresim suam expresserit, in hanc excommunicationem incurrare: quoniam hæresis mentalis expressa per talia verba, aut signa, causa est sufficiens excommunicationis: ut argumento est quod Ecclesiâ excommunicare possit omnes qui animo hæretico talia verba protulerint, signave ediderint; sicut & potest excommunicare quemcumque aliquid aliud exterius agentem ex aliqua prava animi affectione: prout satis constare potest ex memoratæ secundæ quæstionis explicatione.

Inferitur tertio, non modo hæreticum qui mente conceptam hæresim exprimit actu externo; sed etiam eum qui omisso actu externo, incurrit in hanc excommunicationem: præsertim quando ipsa omisso includit virtute actum externum: ut vsu venit cum quis de invocatione & cultu Sæctorum hæresim in mente habens: reverentiâ reliquit, aut imaginibus ipsorum, non exhibet cum debet: aut quando omisso reddit suspectum de hæresi: sicut nunquam interese Missæ absque rationabili excusatione: aut non communicare in Paschate, reddit suspectum de hæresi contra præsentiam corporis Christi in Eucharistia. Certè ob malam affectionem ex qua provenit omisso actu exterioris, posse excommunicationem decerni: patet ex Clemen. Multorum De hæret. §. Verum: ubi excommunicatur Inquisitores fidei, qui odij gratia, vel amoris, lucri aut commodi temporalis obtentu: contra iusticiam aut conscientiam suam, omiserint contra aliquem procedere, ubi fuerat procedendum.

Inferitur quarto, eum qui hæresim quam in mente habet, per iocum exterius exprimit (ut v. g. si credens Christum non esse in Eucharistia, dicat se nolle adorare Deum qui comedi potest à muribus) incurrit in hanc excommunicationem, quia verè prodidit hæresim actu externo procedente ab ea, & ex rei natura eam exterius declarante. Neque refert, quod per iocum exprimat: in te enim tam seria, quam est fides, iocus non excusat: cum non modo sit laudabilis, sed etiam execrabilis sit. Et quamvis dictum per iocum non fiat fidem apud eum qui audit; verè tamen potest exterius enunciare interiori animi affectionem, iuxta illud, *Ridendo dicere verum quid verat?* atque adeo esse signum externum interioris hæreseos, sufficiens ad subiciendum hæreticum huic excommunicationi.

Porro qui sacramentaliter confitetur de hæresi, quam animo conceptam retinet; licet eam exterius verbo prodatur reuelatque; non ideo tamen censendus est incurrit in illam excommunicationem: quia talis reuelatio, cum sit omnino extra iudicium humanum, relinquit hæresim ipsam mentalem tam occultam, tamque liberam ab humano iudicio, & per consequens ab excommunicatione, quam prius. Adde quod allicui melior esset confitentis conditio; quandoquidem hic excommunicationem incurreret, à qua ille immunis maneret. Adde etiam quod nunquam à suo proprio Sacerdote

hæreticus purè mentalis possit absolui; si quidem per ipsam confessionem se proderet sufficienter ad incurtendam excommunicationem, quæ semper est Summo Pontifici reservata. Quinimo probabile admodum est, neque eum qui suam hæresim, ad habendum super ea consilium manifestat alteri, incurtere in hanc excommunicationem. Quia præsumendum non est Ecclesiam actum bonum, & animæ valde salutarem, qualis est petitio consilij ad emergendum ab hæresi, subicere tantæ pœnæ: præsertim cum eius generis petitio non sit de se signum hæreseos: hæc enim includit in sua ratione pertinaciam, & illa indicat animum non omnino pertinacem paratumque dirigi. Adde quod alloqui hæreticus mentalis terrore tantæ pœnæ à qua per neminem nisi per Summum Pontificem possit liberari, renocaretur à tali petitione consilij: quo tamen nullum est medium humanum accommodatius ad renocandum ipsum ab errore, sicque præsens excommunicatio ad hæreseos extirpationem instituta, aliquatenus eandem impediret.

De credentibus, receptoribus, fautoribus, & defensoribus hæreticorum, in quos hæc excommunicatio fertur.

SECTIO II.

Homnes excommunicati sunt quoque à iure: credentes quidem hæreticorum in cap. Excommunicamus 1. De hæreticis: fautores verò, tum ibidem, tum in cap. Nouerit De sententia excommunicationis: receptoris demum & defensores, tum in ipsidem locis, tum in cap. Sicur ait, De hæreticis

De credentibus hæreticorum.

Porro credentes hæreticorum (inquit Panorm. ad memoratum cap. Excommunicamus 1 & post eum Tabienfis in verbo Excommunicatio quinto: *ille nu. 12. & hic casu 4. §. 11.*) dupliciter dicuntur: vno modo illi, qui nullum quidem errorem habent explicitè; sed tamen implicitè assentiuntur pertinaciter erroribus aliquorum hæreticorum: siue vnus siue plures, credentes vera esse quæ ipsi docent: nempe (ex Sylu. in verbo *Hæresis 1. num. 10.*) ad eum modum, quo quidam rustici, nullum ex articulis fidei credentes explicitè, credunt implicitè quidquid Romana credit Ecclesia. Secundo modo illi, qui credunt hæreticos esse viros bonos, eisque fauent: & quamuis non credant erroribus ipsorum, exhibent tamen aliqua exteriora signa, propter quæ videantur credere eis, vt viuunt, ex Tabienfi, illis qui sæpe adeunt & visitant hæreticos, & conciones ipsorum nonnunquam audiunt, literas eorum hinc inde ferunt, ducatum eis in itinere præbent, aliaque similia faciunt scienter: ex quibus non conuincitur quidem aperte, quod credant ipsorum erroribus; suspicio tamen non leuis generatur.

Prioris autem generis credentes hæreticorum ponuntur & ipsi in numero hæreticorum; iuxta cap. Excommunicamus 2. De hæreticis: cuius verba sub finem sunt hæc: Credentes autem eorum (intellige hæreticorum) erroribus, hæreticos similiter iudicamus. Quod etiam ratio ostendit: quia sicut is qui suscepto baptismo implicitè credit omnibus quæ tanquam de fide tenet Romana Ecclesia, est verè Catholicus quia elicit actum positum credendi in confuso omnibus articulis fidei, sique aliquis eorum in particulari proponeret illi, tanquam aliquid quod Romana Ecclesia tenet esse de fide, statim assentiretur: ita etiam ille qui implicitè credit ijs omnibus, quæ tenet aliquis hæreticus, ipse quoque pari ratione est hæreticus. Vnde Nauar. in *Enchir. cap. 27. num. 56.* ait tales in hoc canone contineri sub nomine hæreticorum, tantumque in eodem illos exprimi ad declarationem: adeoque si ommitterentur, *sicut omittentur in Bulla Pij V. dicendi nihilominus essent in hac excommunicationem incurtere.* Credentes verò posterioris generis, non sunt hæretici; quia non intendunt approbare hæreticorum doctrinam; immo putant illam esse falsam: quoties illis in particulari aliquis articulus ex hæreticorum doctrina proponeretur, dissentirent aperte: alioquin enim iam non essent credentes huius, sed prioris generis.

Cæterum sicut hæresis purè mentalis, qua quis explicitè assentitur alicui errori: ita & illa, quæ quis implicitè assentitur omnibus erroribus alicuius sectæ, non est sufficiens ad incurtendam hanc excommunicationem; nisi aliquo signo,

id est, verbo, gestu, vel opere externo ea exprimat. De quo signo quale debeat esse ex præced. sect. intelligitur. Deinde quamuis legum pœnæ non sint interpretatione dilatandæ, sed potius restringendæ iuxta regulam 49. iuris in sexto; ideoque videtur non extendendam hanc excommunicationem ad credentes secundi generis: sed de solis primi generis intelligendam esse sicut loco cit. intellexit Nauar. Attamen neque hi sunt ab ea immunes omnino, cum plerumque accipiant conditionem, induantque rationem fautorum hæreticorum; inter quos iuxta Nauar. *ibidem*, ponendi sunt illi qui scientes aliquem esse hæreticum, fauorem ei exhibent: puta mittendo munera, associando, &c. absque aliqua circumstantia; quæ possit illos excusare in foro exteriori, ne præsumantur hæresi fauere: cuiusmodi circumstantiæ possunt esse timoris, cognationis, necessitatis, vel vilitatis in pace aut in bello. Cum igitur secundi generis credentes hæreticorum, nonnunquam taliter hæreticis ipsis fauere contingat, in hanc excommunicationem quoque incurtere continget.

De receptoribus hæreticorum.

Receptorès hæreticorum (vt iuxta Archid. ad ea. Qui cumque De hæret. in sexto habet Sylu. in verbo *Hæresis primo num. 10. versu Receptor*) dicuntur illi qui hæreticum scienter recipiunt in terris vel domibus suis: siue plures, siue semel siue: siue occulte, siue publice. Nam vt idem, *post Angelum in eod. verb. nu. 23.* argumentatur: etiam si receptandi verbum Grammaticis sit frequentatiuum, tamen in iure vsus obtinuit, vt in significatione sui primitiuo, hoc est, verbi recipiendi vsurpetur: quod illi probant ex lege vlt. ff. De receptoribus. Licet itè secundum ius civile receptor sit, qui latenter aliquid recipit & celat, vt conseruatus euadat mansus Iudicis, ff. De receptoribus. leg. 1. & ff. De officio præfidi, lege Congruit & Cod. De his qui latrones occultarunt lege vlt. Attamen in casu hæreticorum, inquit Angelus, omnis receptio prohibetur, vt deducitur ex cap. Sicut ait, De hæreticis: cum dicitur. Sub anathemate prohibemus ne quis eos in domo, vel in terra sua teneat, vel fouere aut negotiationem cum eis exercere præsumat. His enim verbis indicatur, qui debeant intelligi per hæreticorum receptores, in quos ibidem excommunicatio decernitur: nempe illi absolute qui vel in domo vel in terra sua hæreticos ipsos tenent, quantumuis non faciant eo fine, vt manum Iudicis euadant.

Aduerte autem esse intelligenda de ijs qui hæreticos scienter recipiunt: quia illi quid ignoranter faciunt, excusantur, vt à peccato, sic ab hac censura: nempe quia nesciunt errores ipsorum nec vnq̄ aliquid sinistra de eis audierunt nec suspicati sunt; sique ipsos scienter tales esse, parati essent eos prodere si quaerentur à ministris iustitiæ. Sed aduertè etiam, quod ex Caietano adhuc habet Nauar. *in eod. num. 56.* iam dicta intelligi debere de ijs, qui hæreticos recipiunt eo respectu, quo sunt hæretici. Nam recipere eo respectu, quo sunt homines, inquit Nauar. nullo canone prohibitum est. Immo eis quatenus tales sunt extremè indigentibus subuenire tenemur ex cap. Pasce, dist. 86. Adeoque potest quis ijsdem non extremè indigentibus subuenire humanitas respectu, iuxta illud D. Augustini *relatus 23. quæst. 4. cap. Duo sunt ista nomina.* Quia peccator est, cotripes: quia homo, miserere. *Et infra:* Ita nulli homini claudenda est misericordia, sicut nulli peccatori impunitas est relaxanda.

Cæterum quoad eos qui recipiunt hæreticos dum quaeruntur vt ob hæresim puniantur, distinctione in hac re vtendum est. Si enim tantum recipiant eos vt hospites, ignorando quod petant hospitio excipi ad occultandum se, ne in manus Iudicis veniant puniendi ob hæresim, paratque essent ipsos prodere si id scirent: non incurtunt in hanc excommunicationem, nisi recipiant eo respectu quo sunt hæretici. Sin autem vt eos conseruent ne capiantur & puniantur ob hæresim, existimandum est incurtere iuxta paulo antedicta.

Adde, esse quoque probabile, quod incurtant quamuis non recipiant quidem animo illos conseruandi, sed aliqua alia de causa sciunt tamen eos quaerere & accipere hospitium ipsius, vt in eo recepti euadere possint pœnam quæ ob hæresim illis paratur. Ratio est, quia conditio receptoris

ris hæreticorum in ipsis locum habet, sicut & in illis, qui existentes in domo in qua latet hæreticus, à ministris iustitiæ questus ad pœnam inferendam el ob hæresim; cooperantur ipsius occultationi: ducendo eum in locum secretiorem, includendo in arca, operiendo illum vestibus, vel alius supelletilibus, ne possit inueniri, & conseruatus euadat.

De fautoribus hæreticorum.

246. **F**autores hæreticorum dicuntur, qui fauore & gratia hæreticos defendunt. Quod fieri potest duobus modis vt ex Archid. tradunt locis cit. Sylu. & Angelus: ille versus fautores, & hic num. 24. nempe omissione & commissione. Nam, in quibus illi, persona quæ publica auctoritate funguntur, ex sola omissione dicuntur hæreticorum fautores: omnium si ab Ecclesia de hæresi damnatos non fugent, vel non puniant: prout tenentur ex præcepto expresso capitulo Ad abolendam §. Statuimus: & cap. Excommunicamus 1. §. Moneantur De hæreticis: Et ratio est: quia qui potest obuiare, & perturbare peruersos, & non facit: nihil est aliud quam fauere impietati eorum vt habetur 23. quest. 3. cap. Qui potest.

Pari ratione Prælati Ecclesiarum qui non faciunt carceres ad certam custodiam hæreticorum, vel alia similia ad officium ipsorum spectantia, propterea quod volunt eis indulgere, censentur fautores hæreticorum. Neque possunt paternæ misericordiz prætextu excusari, quia vt habetur in cap. Qui vitis 23. quest. 3. Qui vitis nutriendis parit, & fauet ne contristet peccantium voluntatem; tam non est misericors, quæ qui non vult cultum rapere puero, ne audiat plorantem, & non timet ne vulneratum doceat vel extinctum. Quod si iudex Prælati sumptibus parcentes ex paupertate, vel ex aliquo alio impedimento legitimo, talia non faciunt, non sunt censendi fautores hæreticorum: quia non ideo omittunt facere, quod velint hæreticis fauere.

Denique omissione eorum quæ quis potest & tenetur præstare ad punitionem hæretici, ipse constituitur hæreticorum fautor: non item omissione eorum quæ non potest aut non tenetur. Itaque ij qui ex officio, vel iuramento possunt & tenentur hæreticos denunciare, vel accusare, habentur fautores hæreticorum non denunciando nec accusando, sed celando, et si sint personæ priuatae. Similiter quicumque legitime examinantur à Iudice, super aliorum hæresim, si eo modo sciant quo testari & denunciare teneantur (de quo modo Nauar. in Enchir. cap. 25. num. 40.) tacendo vel negando ea quæ dicere tenentur, sunt fautores hæreticorum. Sunt etiam Aduocati qui suscepta prouincia dicendi contra hæreticos, negligenter eam sustinent illorum gratia. Sunt item Notarii, qui aliquid minus quam debent in processu scribunt, vt alleuiet crimen. Sunt denique illi qui ratione officij tenentur hæreticos capere, incarcerare, testes examinare, &c. omittentes talia facere, maxime cum in mandatis habent vt faciant. In his enim omnibus cernitur ante memorata ratio fautoris hæreticorum.

247. Commissione autem fautores hæreticorum sunt, vt iudex auctores tradunt, qui fauent ipsis, aut verbis aut factis. Verbis autem fauent qui causam ipsorum excusant, vel mendaciis colorant, vel pollicitationibus, aut alia ratione suadet Iudici, alius iustitiæ ministris, vt acta contra illos dissimulent, aut falsificent. Item qui falsum testimonium pro eis ferunt, vel retelant illis accusatores seu denuntiatores accersentes, vt deponant se habere illos suspectos, aut dant illis consilium ad euadendum; aut queruntur ipsos iniuste damnatos; quos tamen constat de suo crimine esse conuictos: aut quid aliud simile de industria (alia ratio est, vt mouent Angelus & Sylu. si per lubricum linguæ) dixerint quo simplices ad ipsorum hæreticorum amorem prouocent, & deuotionem quam erga Ecclesiam Catholicam habent diminuant.

Factis autem fauent, qui eos liberant, vel certe ea per quæ liberari possunt suppeditant, vt arma, funes, instrumenta, quibus effringant carceres, vel se per fenestras demittant vel occidant custodes. Immo vt Nauar. addit in citato num. 56. qui scientes ipsos esse hæreticos, quoduis genus fauoris illis exhibent, absque aliqua circumstantia exteriori timoris aut cogitationis, aut alterius necessitatis quæ ipsos excusare possit, ne fautores hæreticorum esse conuincantur.

Valerij tom. I. Pars II.

De defensoribus hæreticorum.

248. **D**efensores hæreticorum, vt consequenter in locis citatis post Archid. notam Syluest. & Angelus sunt in duplici differentia. Quidam enim sunt qui defendunt hæreticorum errores: qui quoniam magistri sunt erroris, non modo hæretici, sed etiam hæresiarchæ habendi sunt, iuxta cap. Qui aliorum 34. quest. 3. Quidam vero sunt, qui non defendunt errores, sed personas hæreticorum. Et generaliter quidem tales dicuntur, quotquot quocumque modo defendunt eiusmodi personas: vt eo nomine comprehendantur quoque receptatores & fautores, de quibus iam dictum est. Specialiter verò dicuntur qui personas hæreticorum defendunt resistendo vitibus, vel potentia, ne ad manus Iudicis veniant puniendi vel examinandi. Atque sumi generaliter in hac Bulla Cœna Domini hæreticorum defensores, etiam si in ea sit expressa mentio receptatorum & fautorum, patet ex his illius verbis: Receptatores, fautores, & generaliter quoslibet eorum defensores.

Porro ista, sicut & illa quæ ante dicta sunt de hæreticorum receptatoribus & fautoribus specialiter, debent intelligi, vt post Caiet. notat Nauar. in Ench. cap. 27. num. 56. de iis qui hæreticos defendunt quatenus hæreticos. Si queras, an omnis qui sic defendit hæreticos incurrat in hanc excommunicationem. Respondetur, quamuis post Cardinalem ad Clemen. 1. De pœnis, Angelus & Sylu. locis citatis, verè dicant, si quis defendat hæreticum ne laedatur ab homine priuato, non incurrit; nec item si in iudicio patrocinetur ei nondum conuicto de hæresi, credendo bona fide ipsum iustam habere causam (secus esset si contra conscientiam patrocinaretur, vt iudex auctores mouent) etiam si appareat postea, quod causa non sit iusta, nec denique si illi extremè indigenti ministret ad victum & sustentationem necessaria, ne ipse ex egestate moriatur: nihilominus tamen, si talia præstentur hæretico quia hæreticus est, videri incurrit: quia talis defensio ex intentione qua fit, & qua mala est, verè defensio est hæretici, vt hæreticus est.

De legendis libris hæreticorum.

SECTIO III.

249. **D**vplex habetur excommunicatio lata in legentes huiusmodi libros; altera in Indice librorum prohibitorum à Pio 4. lata his verbis: Iis quidem qui hæreticorum libros, vel cuiusvis auctoris scripta propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita, legerit, habuerit: ipso iure in excommunicationis pœnam incidat. Altera in hoc primo canone Bullæ Cœna Domini his verbis: Accorudem, hæreticorum intellige, libros hæresim continentes, vel de religione tractantes: sine auctoritate nostra & Sedis Apostolicæ scienter legentes. Quibus indicantur tres condiciones requisitæ ad incurrendam hanc Bullæ excommunicationem. Prima ex parte legentis, vt scienter legat. Secunda ex parte auctoris libri, vt sit hæreticus: Tertia ex parte ipsius libri, vt vel contineat hæresim vel tractet de religione. Intellige autem de continente hæresim; tractando eam ex professo: vt excludantur ij libri quorum argumentum est indifferens quidem, sed obiter in eis pauca quedam hæreses ponuntur: quando quidem ex secunda memorati Indicis regula examinationem horum, & per consequens lectionem, Episcopi & Inquisitores fidei committere possunt Theologis. Liber vero continens hæresim, de quo Bulla hæc loquitur, non nisi auctoritate Papæ potest scienter legi, vt patet ex verbis ante propositis.

Iam vna ex illis conditionibus deficiente, non incurritur istiusmodi excommunicatio; vt v. g. si liber hæresim quidem contineat, & scienter legatur, sed auctor non sit hæreticus, & ita de cæteris. Vnde multo facilius, quam ista (sicut & facilius tollitur, cum non sit reueruata) incurritur excommunicatio Indicis librorum prohibitorum: siquid ad eam incurritur, vt patet ex ante propositis verbis, satis est vt liber qui legitur sit damnatus, & prohibitus propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, etiam si auctor non sit hæreticus: aut certe, vt auctor hæreticus sit, etiam si liber hæresim, falsumque dogma minime contineat, atque de rebus tantum in differentibus tractet.

Gg 2

Quod

Quod aduerte intelligendum esse, iuxta secundam regulam prædicti Indici, de hæretico hæresiarca, qui post annum Domini 1517, hæresim inuenit aut suscitauit, aut hæreticorum caput ac dux est, vel fuit: talium enim hæreticorum libri cuiuscumque nominis, tituli, aut argumenti existant, prohibentur omnino in eadem regula. Non est verò intelligendum de aliis hæreticis: quia ipsorum libri quidem, qui de religione ex professo tractant, damnantur omnino: sed qui de religione non tractant, à Theologis Catholicis iussu Episcoporum aut Inquisitorum examinati probatique, permittuntur; vt & ex sequenti regula tertia, versiones scriptorum Ecclesiasticorum, editi à damnatis authoribus: dummodo nihil contra sanam doctrinam contineant; itemque ex regula 8. libri quorum principale argumentum bonum est: sed in his obiter aliqua inserta sunt, quæ à hæresim, seu impietatem; diuinationem seu superstitionem spectant: cū à Catholicis Theologis fuerint purgati Inquisitoris generalis autoritate.

250. Aduerte autem in talium librorum prohibitorum numero, non videri ponendos illos, qui, vt habet regula 5. eiusdem Indici, hæreticorum aut horum operã interdum prodeunt, in quibus nulla aut pauca de suo apponunt: sed aliorum dicta colligunt: cuiusmodi sunt lexica, concordantia, apophthegmata, similitudines, indices, & eiusmodi: quia hæretici ipsi non sunt propriè talium auctores, sed solum compilatores: quandoquidem doctrina contenta in illis, est ex hypothesis, hominum non hæreticorum. Et quamuis hæretici possint in ea recitari auctores operis & locis; non tamen doctrinæ, & librorum. Quæ causa esse potest cur non dicantur libri hæreticorum (sicut illi de quibus in 2. reg. eiusdem Indici) sed libri qui hæreticorum auctorum operã interdum prodeant. Hos igitur legendo non incurritur excommunicatio. Nec est quod quis dicat incurri alio nomine: nempe quod sint libri damnati & prohibiti propter hæresim aut falsi dogmatis suspicionem: quæ altera causa est incurrendæ excommunicationis lætæ à Pio 4. Nam id quod in eadem regula 5. dicitur, *Si quæ habeant admixta quæ expurgatione indigeant, illis Episcopi & Inquisitori, vnâ cum Theologorum Catholicorum consilio sublatis, aut emendatis, permitti.* Id inquam non habet formam damnationis, sed potius approbationis eorum, quæ in illis expurgatione non indigent. Quod tamen caue sic accipere, vt putes ante expurgationem licitam esse eorum lectionem. Nam antedicta regula non permittit illam, nisi sublatis & emendatis his, quæ expurgatione indigent: ne que vlla scripta cuiuscumque generis sint, quæ iuxta regulas dicti Indici improbantur: (sive vt hæretica, sive vt de hæretica prauitate suspecta, sive vt pietati, & morum honestati inutilia, aut aliqua saltem correctione indigentia) licitum esse legere: patet ex Bulla ipsius Pij Quarti eidem Indici præfixa, quæ talem lectionem discretis verbis prohibet.

Solutio aliquot dubiorum.

251. **H**ic occurrunt aliquot dubia. Primum est, an audiendo legi libros hæreticorum, perinde ac legendo, incurrantur dictæ excommunicationes Bullæ Cœnæ Domini, & Indici librorum prohibitorum. Cui occurritur distinctione. Si enim quis ita audiat vt nullo modo dici possit lege, e. pro ut accidit cum ad legendum non inducitur consilio, pretio, præcepto, aut alia aliqua huiusmodi ratione, nec ille alius autoritate intuituque ipsius legit: ita vt solum præter simpliciter attentionem alio legente; licet ad eum peccet plerumque mortaliter, dum exponit periculo fidem suam, & quodammodo consentit legenti: non incurrit tamen in memoratas excommunicationes: quia feruntur tantum contra legentes nulla penitus facta mentione eorum qui audiunt: vnde non sunt ad hos extendendæ, cum audire & legere sint actiones valdè diuersæ: nec extendenda sit excommunicatio ad aliam actionem quam ad eam propter quam decernitur: vt habitum est in præcedenti cap. 12. sub initium. Si verò quis audiat alium, quem ad legendum inducit suis precibus, aut consilio, aut pretio & sollicitationibus, aut mandato, & autoritate sua: non modo peccat audiendo, sed etiam in excommunicationem incurrit. Nam ea ratione dici potest legere, quia concurre principaliter ad lectionem; in ea exercenda vtens alio, tanquam instrumento. Et certè si non in-

curreret, facilè talis censura fieret inanis, quia pauci admodum sunt qui non possunt habere aliquem seu famulum, seu filium, seu nepotem, seu amicum per quem ei legantur tales libri; vnde tam facilè inducitur in opinionem alienam à fide Catholica, quam si per se legeret; sicque memorata censura frustraretur suo fine: qui est amoliri à Catholicis periculum aberrandi à veritate fidei. Cū igitur certum sit mentem Summi Pontificis esse, vt talis censura non sit frustra; probabilius sane præsumitur de mente ipsius esse, vt ea comprehendat quoque facta, quibus exclusis, vel omnino vel plurimum frustra esset.

Secundum dubium est; an qui aliquid memoriâ retinet de libris hæreticorum: vt v. g. qui sciunt Catechismum Caluini, aut Psalmos Maroti vel Bezae memoriter illud recitando, aut cantillando, incurrant in has excommunicationes. Ad quod respondendum est non videri incurritur: quia non legunt librum hæreticum. Neque refert, id quod recitant haberi in libro hæretico; quia legere in libris Catholicorum ea quæ ex libris hæreticorum ad verbum referuntur, vt commodius falsitas ipsorum ostendatur, est legere quæ habentur in libris hæreticorum, nec tamen excommunicatio inde incurritur, vt paulò post ostendetur. Oppones, si id ipsum quod quis memoriter recitat, legeret in libro hæretico, vnde sumptum est, in excommunicationem incurreret. At legendo in libro nihil amplius facere videtur, quam id ipsum quod facit memoriter recitando. Respondetur censeri plus facere hoc nomine, quod lectio sit magis libera quam recitatio, quæ sit memoriter: quandoquidem homo communiter solet esse maxime proclius ad recitandum illud quod memoriâ retinet. Deinde legendo, memoria integra semper renouatur: non item memoriter tantum recitando, vnde experimur, eorum quæ tantum memoriter recitamus, nos paulatim obliuisci.

Cæterum tales non sunt immunes à peccato, sicut sunt ab excommunicatione: peccant enim grauius, quia talia dicta ipsorum, communiter sunt blasphemia contra Deum, & diuina: ipsi que exponunt se graui periculo errandi in fide, cum occupant se in his, quæ illis sinceritati aduersantur. Peccant, inquam, grauius exceptis certis casibus, in quibus est locus excusationis; vt cum talis recitatio sit ex aliqua indeliberatione. Sæpe enim contingit, vt absque vlla, aut saltem absque completa cogitatione & aduertentia, recitemus non pauca eorum quæ memoria tenemus, vt integram orationem Dominicam. Item cum quis in bonum finem recitat, vt cupiens seruare memoriam eorumdem verborum, quibus hæreni vtuntur ad confundendos ipsos; & ad veritatem fidei contra ipsorum blasphemias propugnandum, vbi se occasio obtulerit: & si quid est aliud huiusmodi.

Tertium dubium est: num ille incurrat in hanc Bullæ excommunicationem, qui dicta hæreticorum etiam continentia expressas hæreses legit in libris Catholicorum, in quibus ad verbum & ad longam referuntur, vt sit non modo in his, qui contra recentiores hæreticos, sed etiam in his qui à patribus contra antiquiores conscribuntur; & in conciliis antiquis quæ de verbo ad verbum referre solent articulos hæreticorum, quos damnant. Cui dubio respondet Nauarrus in Ench. cap. 27. num. 56. sub finem: non incurritur, etiam si legeret tantum ad sciendum dicta & rationes hæreticorum. Ratio est, quia non legit vere libros hæreticorum, sed tantum libros referentes scripto, dicta & rationes hæreticorum: sicut concionator illa refert verbo: vt tam videatur alienum, quod excommunicatio incurritur propter illam lectionem, quam propter hanc auditionem.

Opponeri aliquis ad incurrendam excommunicationem Indici, non requiritur vt author libri in quo hæreses aut falsa dogmata continentur, sit hæreticus. Respondeo id quidem verum esse, sed cum author non est hæreticus, requiritur vt liber sit datus propter hæresim, aut falsi dogmatis suspicionem: quod nõ vsuuenit his de quibus agimus; sicut nec antiquis Conciliis in quibus articuli hæreticorum proponuntur. Illos enim Ecclesia non modo non damnat, sed & approbat eorum vsum: quia proponunt hæreses non quidè afferendo, sed referendo & refellendo. Quæ ratio vtilissima est, ut toti Ecclesie, vt calumniam hæreticorum, quibus eam onerant, innotescant, cõserueturque in illa hæresim memoria, vt si in futurum re-

nouentur, constet iam ante fuisse damnatas, & à Catholicis doctoribus confutatas: tum etiam personis priuatis, maxime illis, quæ inter hæreticos morantur, ut eorumdem hæreticorum mendacia, calumnias, & blasphemias plenius intelligant; & simul quid singulis respondere debeant in promptu habeant, & aduersus tales fallacias muniti, in fide firmi maneant.

Cum igitur hæc ita sint, si totus liber hæreticus ad verbum inferretur libro Catholico per quem refutatur (quod fieri debet concisum, hoc est, sic ut statim atque propofita est vna ratio, ea refutetur, ne plurium talium lectione, rudiorum animi imbuantur praua aliqua persuasione) is qui illum etiam totum in hoc legeret, non incurreret in excommunicationem, quantumuis incurreret legens eumdem per se, aut partem ipsius sufficientem ad constituendum peccatum mortale: etiam si id faceret ad videndum an omnia illius, in ipso libro catholico essent fideliter relata. Aduerte tamen eam lectionem quam dicimus non inducere excommunicationem, peccatum esse mortale, si fiat animo imbibendi hæresim, aut aliter cum probabili periculo in legente, faciendi iacturam aliquam fidei.

Quartum dubium est: An ex quavis lectione librorum hæreticorum incurrat excommunicatio. Ad quod respondendum est: cum excommunicatio non incurritur nisi ob peccatum mortale, ut ostensum est in præcedentibus, cap. 9. quæst. 4. quando legendum non peccat mortaliter, nec incurrit excommunicationem. A peccato vero mortali legentis excusat, tum ignorantia, tum paruitas materiæ: ignorantia quidem, si probabiliter ignoret, siue librum esse damnatum & prohibitum propter hæresim, aut falsi dogmatis suspicionem, siue auctorem illius esse hæreticum, siue in eo hæreses contineri. Dixi probabiliter: quia illum non excusat ignorantia crassa aut affectata, qualis est in eo qui ingressus museum ministri Calviniani absque circumspessione & delectu, legit in ipsius libris. Paruitas vero materiæ, ut si ex curiositate pauculas lineas eiusmodi librorum, scienter etiam, legeret. De qua paruitate non potest tradi certa regula, ut nec de paruitate materiæ facti, ex qua ipsum est solummodo peccatum veniale. Quod autem aliqui definiunt in hoc negotio, tunc posse censeri paucas lineas, cum plures non sunt quam decem aut duodecim: ita temperandum est, ut sicut in furto paruitas materiæ non excusat à mortali, quando fuerit cum graui damno proximi: sic neque in hære excuset, si habeat adiunctum notabile periculum perdendæ fidei: ad quod declinandum facta est talis lectionis prohibitio. Nam si quis legat sex lineas, in quibus contineri putat summam & fundamentum doctrinæ hæreticæ, quæ toto libro tractatur, non video cur non tam contraueniat intentioni prohibentis, quam legendum integrum folium, in cuius lectione non est tantum periculi.

Quintum dubium est: Quis dare possit facultatem legendi libros prohibitos? Respondendum est, facultatem legendi libros qui per Bullam Cœna Domini legi prohibentur, posse à Summo tantum Pontifice dari, ut constat ex illis verbis eiusdem Bullæ, *Sine auctoritate nostra & Sedis Apostolicæ scienter legentes.* Legendi vero libros qui prohibentur tantum per Indicem Concilij Tridentini facultatem concedi posse ab Episcopo & generali Inquisitore; quia Summus Pontifex illam sibi non reseruat, & per eiusdem Indicis regulas, illi possunt vitis doctis tales libros dare examinandos & purgandos, & per consequens legendos. Vbi aduerte quod si eam darent vitis indoctis, peccarent: nisi forte traderent eis exemplar correctam, iuxta quod corrigent aliud suum. Immo si quis haberet exemplar, de quo ei constaret esse bene & diligenter correctum: ut si esset ei subscriptum ab Inquisitore, posset auctoritate propria secundum illud, corrigere aliud. In qua tamen correctione faciendâ, cauere debet à lectione eorum, quæ delere debet, si enim legat in quantitate quæ peccatum mortale constituere possit, in excommunicationem incurret.

Aduerte etiam ex Nauarr. in lib. 5. Consiliorum tit. 24. consil. 1. eum qui licentiam habet ab Episcopo legendi aliquem librum prohibitum, posse eadem licentiâ vi extra territorium concedentis, sicut is qui à Parochiali licentiam habet confitendi alteri, potest confiteri tam extra, quam in-

tra, parochiam. Aduerte postremò, non videri quidem huius Canonis excommunicationem incurtere eum qui legerit Bibliorum versionem factam ab hæretico: cum non nisi extensione sit liber hæretici, hæresim continens, vel de religione tractans (si quidem sententiam solummodo exprimit alio idiomate, etsi nonnunquam peruersè) atque pœnæ non sunt interpretatione extendendæ ex cap. Pœnæ De penitent. distinct. 1. Excipe, nisi casus contingeret in quo per omnia esset eadem ratio illius versionis; & librorum hæreticorum: quia tunc idem quoque ius esset, iuxta glossam ad cap. 1. de temporibus ordinationum in sexto, ad verbum *Italiæ*. Is autem qui talem versionem legerit, incurret in excommunicationem Iudicis. Etenim cum in huius regula tertia, talis lectio seuere prohibeatur, censenda est damnari ut suspecta de hæresi, aut falso dogmate.

Dereinentibus, imprimentibus & defendentibus libros hæreticorum

S E C T I O IV.

DE illis qui libros hæreticorum retinent, id est, qui siue apud se, in propriaque domo vel in arca illos habeant, siue apud alterum cui illos dederint suo nomine conferuandos, eadem annotanda sunt; distinguenda, ac statuenda quæ de legentibus ante annotata, distincta, statutaque sunt; nempe ad incurrendam excommunicationem Bullæ Cœna Domini requiritur, tum vt scienter retineant, tum vt libri quos retinent hæresim contineant, vel de religione tractent; tum demum vt author illos tam sit hæreticus. Ad incurrendam vero excommunicationem Iudicis (quæ in legentes pariter & in seruantes statuitur tum in Bulla Pij 4. tum sub finem regulæ decimæ eiusdem Iudicis) requiritur vel vt auctores librorum sint hæretici, vel vt libri sint propter hæresim aut falsi dogmatis suspicionem damnati.

Aduerte tamen quod cum paruitas materiæ, quæ in lectione excusat à peccato mortali, consistat in paucitate linearum: in ea de qua agimus retentione, illam spectari ex paucitate temporis: vt qui modico tempore retinuerit, nimirum per aliquot horas, aut paucos admodum dies: sicut non peccat mortaliter, ita nec incurrit in excommunicationem. Aduerte quoque in Concil. Trident. sess. 4. in decreto de editione & vsu sacrorum librorum, statui vt sub pœna anathematis & pecuniæ, appositâ in Concil. Later. sub Leone X. sess. 10. nulli liceat quosuis libros de rebus sacris, sine nomine auctoris, vendere aut apud se retinere; nisi primum examinati probatique fuerint ab Ordinario. Quod intellige congruenter ei, quod in præfatione Indicis librorum prohibitorum sub finem habetur, non damnari omnes libros qui nomen auctoris non præferunt: (quando quidem constat saepe viros doctos: vt Christiana quidem respub. ex ipsorum vigilis fructum caperet, ipsi vero inanem gloriam euitarent, libros optimos sine nomine edidisse) sed eos qui liquidò prauam aut dubiam fidei doctrinam, aut moribus perniciosam continerent. Qui autem tales censeri debeant, Episcoporum est & Inquisitorum, adhibito Theologorum consilio, iudicare.

De imprimentibus, vt ante de retinentibus & de legentibus, monendum est; non quosuis in hoc canone excommunicari; sed tantum illos qui scienter imprimunt libros hæreticorum, hæresim continentes vel de religione tractantes. Aduerte aut quod cum ad impressionem necessaria sit multorum cooperatio; hic imprimentium nomine non comprehendunt illos qui remotè cooperantur impressioni: vt qui faciunt typos, vel torcularia, vel alia instrumenta: nam quæuis mortaliter peccent vendendo hæc eis quos sciunt male vfuros: vt impressoribus hæreticis, qui communitè imprimunt libros hæreticos: tamè non incurrit in hæc excommunicationem: quia neque ut inde vocari impressores. Igitur imprimetium nomine hic intelligendi sunt illi qui impressioni propinquè cooperantur; vt primò quidem Dominus typographus. Secundo vero illi qui typos simul componunt. Tertio qui eosdem tingunt a rameto. Quarto, qui mæ faciunt papyrum ad impressionem. Quinto, qui papyrum ipsam supponunt torculari, vel eam inde subtrahunt. Sexto qui premunt torcular. Septimò, qui corrigunt impressionem, & alij si qui sint eiusdem generis. Nam isti omnes simul imprimunt, perficientes totâ impressione cooperando ei propinquè. Cui aut excommuni-

catione lata a Pio IV. non sit expressa mentio imprimentii, ea non est ad illos extendenda: nisi cooperatione sua induat rationem legendum, *vt illi qui corrigunt: vel rationem tales libros tenentium, vt Domini typographia, in quos eadem excommunicatio decernitur.*

Vt autem ex citata sess. 4. Concil. Trid. sub pena excommunicationis & pecuniæ, nulli licet retinere aut vendere libros editos de rebus factis sine nomine authoris: ita nec licet imprimere. Vbi etiã additur, eos qui tales libros scripto communicant vel euulgant, nisi antea examinati, probati que fuerint, eisdem penis subiacerent quibus impressores. Quod aduerte non esse extendendum ad eos qui communicant aliis aliquot conciones, vel lectiones in Ecclesia vel schola exceptas, quæ non sunt adhuc in modum libri digestæ: quia id communiter fit, nec quisquam est qui de ea re faciat, aut iniciat sermulum: nec a Prælati tanquam illicitum vnquam reprehenditur. Nec item extendendum esse ad eos qui manu scriptos libros, etiam digestos in ordinem & absolutos, amicis legendos, aut etiam transcribendos tradunt in propriam & particularem ipsorum utilitatem: ita vt debeat intelligi solum de iis qui eo animo communicant, vt tali ratione liber euulgetur, & ad omnium perueniat notitiam. Hoc enim est quod sonant verba Conellij. *Qui autem scripto eos communicant vel euulgant, &c.* alioqui tradita a Magistro in schola si formã libri haberent, non liceret ea commodare amico legenda vel describenda: quod est contra communem vsum a nemine improbatum.

De defendente demum, tantum occurrit monendum: in hanc censuram incidere illos, qui quomodolibet, id est, quocumque genere defensionis, ex quavis causa, publicè vel occultè, quouis ingenio vel colore defendunt libros hæreticorum, hæresim ex professo continentes aut de religione tractantes.

De Schismaticis & iis qui se pertinaciter ab obedientia Romani Pontificis subtrahunt.

SECTIO VLTIMA.

258. **C**um Schisma prout habetur in cap. Schisma 24. quæst. 7. sit nomen Græcum sonans scissuram, & scissura significet quãdam separationem partis a suo toto: vt tribus modis potest aliquis separari ab Ecclesia, cuius est membrum: scilicet tribus modis potest dici schismaticus ex Panor. ad rubricã de schismaticis, & Tabiena verbo Schisma in principio. Primum enim separari potest per peccatum mortale, quo extinguitur charitas vnians animam cum Deo & proximo, tanquam perfectionis vinculum, ad Coloss. 3. vers. 14. Deinde per excommunicationem, qua quis ita separatur à cæteris fidelibus; vt his cum illo, neque orate, neque loqui, neque vesci liceat ex cap. Cum excommunicato 11. quæst. 3. Postremò per propriam voluntatem qua renuit subesse Romano Pontifici, vt Christi in terris Vicario; scindens seu subducens se ab ea Ecclesiæ vnione, qua vnium corpus in Christo sumus, dum sub ipso, & ipsius in terris Vicario Romano Pontifice, vt sub vno capite, nolimus esse partes & membra Catholice collectionis, quæ in symbolo Niceno, vna, sancta, Catholica & Apostolica Ecclesia dicitur.

Tam peccator autem quam excommunicatus potest lata tantum significatione schismaticus dici, vt iidem authores admonent: quoniam tales non intendunt per se separationem prædictam. Qui verò non vult se Pontifici Romano subiacere, dicitur schismaticus propriè: quia cum Catholicorum vnio, per quam vna Catholica Ecclesia constituitur, consistat in eorumdem subordinatione, seu subiectionis relatione ad vnũ caput, Christum, inquam, cuius vices Romanus Pontifex gerit in terris: is qui non vult huic subiacere, scindit se subtrahitque ab eadem vnione, & ideo propriè dicitur schismaticus. Qui si præter actualement rebellionem voluntatis, qua non vult Papæ subesse, habeat errorem in mente, negando esse in Ecclesia dictam vnionem, aut non esse tantum vnã Christianorum omnium Ecclesiam: aut quamuis vna tantum sit, ad eam tamen vnitatem non pertinere subiectionem & subordinationem ad vnũ Christum in terris Vicarium Pontificem Romanum; cum schismate habeat admixtam hæresim: purum enim schisma consistit in sola iam dicta voluntatis rebellionem.

259. Quæ ex Tabiena loco cit. contingere potest, tum consti-

tuendo Ecclesiam aliam ab Ecclesia Romana: tum se in debito modo coniungendo Ecclesiæ Romanæ. Quorum illud ex Caiet. 2.2. quæst. 39. art. 1. dub. 3. fieri potest dupliciter; vno modo, secundum intentionem; altero secundum effectum. Atque fecundum intentionem vel directum, quia quis nõ vult communicare Summo Pontifici, quatenus est summus Pontifex: renuendo scilicet illi tanquam Ecclesiæ capiti, Christi in terris Vicario se subiacere: vel etiam ab eadem communicatione quantum potest, alios auocat. Vel indirectam, qua quis renuit communicare al' quibus membris Ecclesiæ, hæc solum de causa, quod Papæ tanquam Ecclesiæ capiti subiacent: aut quod nolit eadem membra subiecta esse Papæ vt Papa est. Quia reduplicacione ideo vitur, quod vt notat Syl. in verbo Schisma sub inisium, si ex alia causa eam communicationem declinet, quam quod nolit Papæ vt Papa est, se vel alios subesse, vt ratione offensa, non diceretur schismaticus.

Secundum effectum verò, censetur quis sibi Ecclesiam aliam à Romana tunc constituere, cum etsi non habeat intentionem faciendi scissuram in illa; maull tamen se gerere ac si eiusdem Ecclesiæ pars non esse; quam de scissure, ab eo exequendo quod habet in voluntate, in animoq; propositum: sicut vsuuenit, inquit Caietan. in verbo Schisma, qui vniuersales Synodos, contempto capite celebrant, aut celebrare volunt. Inde enim consequitur vt voluntate sua non sint partes Ecclesiæ Romanæ, seu collectionis Catholicorum sub Romano Pontifice tanquam capite: atque adeo vt sibi aliam à Romana constituent Ecclesiam; vnde sicut præcedentes, de quibus non est dubitatio, pennis schismaticorum, adeoque censuræ huic subiiciuntur. Id quod à simili, vt idem Caietanus innuat, probari potest; quia vt reus homicidij est, non solum qui occidere intendit, ac occidit: sed etiam ille qui intendit opus ex quo homicidium facit, aut necessariò sequi potest: vt qui vult dispendere bombardam in platea vbi solet esse hominum frequentia: sic etiam verè schismaticus est, non solum qui ex intentione schisma committit: sed etiam qui vult illud opus, cum quo schisma necessariò committitur.

Quod attinet ad modum indebitum coniungendi se Ecclesiæ Romanæ; ex quo etiam dicitur quis schismaticus; is contingit, quando plures simul electi fuerint in Summo Pontifice, sicut aliquando duo, aliquando tres simul electi fuerunt. Cum igitur verè constet aliquid eorum esse canonicè electum, & alium non canonicè; tam ille qui non est canonicè electus, quam sequaces ipsius sunt schismatici: præsertim viri docti, & ij quibus constat, aut constare debet non esse canonicam electionem. Etenim satis est vulgo, viros doctos & pios consulere, quorum consilijs possunt turò acquiescere. Cum autem res est verè dubia, quia vtriusque electio ex æquo legitima apparet: tuncambo vel plures, qui electi fuerint, debent se committere generali Concilio, cuius iudicio ac definitioni qui pertinaciter submittere se noluerit, habendus est schismaticus (sicut habitus est Petrus de Luna, qui depositus per sententiam Concilij Costantienis, adhuc se pro summo Pontifice gessit) cum omnibus qui partes ipsius sequuntur; quia verè scindit Ecclesiæ vnionem: cui nihil sit per quod illa melius in dubio stabiliri possit, quam per generalis Concilij sententiam: ideoque tales etiam excommunicationi huic subiaci videntur; contra quos alia specialiter fertur in cap. Licet, De electione.

Quid verò sit nobis agendum cum de vero Summo Pontifice res est dubia, docet Caiet. in memorato verbo Schisma: inquit debere teneri: quod certum est: vt nimirum quilibet se reputet & habeat tanquam vnus Ecclesiæ Catholice membrum, sub vno ipsius capite Christo: atque huius in terris Vicarios dubios, habeat vt dubios: nulli tanquam certo & indubitato adherens, quia temere ageret, habendo dubia pro certis.

De iis qui se pertinaciter à Romani Pontificis obedientia subtrahunt, observandum est ex Caietano 2.2. quæst. 39. art. 1. dubio 2. tribus modis contingere posse, vt quis recuset præceptum Papæ: primò ex parte rei præcepti: vt cum quis pertinaciter quæ Papa præcipit non vult exequi, propter ipsam rem: quia scilicet sibi grauis, aut incommoda est: in quo peccare quidem potest, non ideo tamen est schismaticus. Secundò, ex parte personæ ipsius Papæ præcipientis: vt cum quis renuit obedire Papæ præcipienti, quia ipsius personam

habet suspensam: qui nec deo schismaticus est. Tertio, ex parte officij Papæ, vt cum quis non vult obedire Papæ vt Papa est: id est, quantumuis intelligat, ipsum esse Superiorem suum & caput Ecclesiæ; voluntate tamen non submittit se ei: Superiorem, renuens pertinaciter obedire mandatis ipsius, tāquā sui omniumque fidelium patris: & talis est schismaticus; de quo intelligendus est D. Thomas in cit. art. 1. cum ait non obedire præceptis cum rebellione, seu pertinaciter præcepta cōtemnere, quandam schismaticis rationem cōstitueret. Et videntur intelligendi huius Canonis verba quibus excommunicantur, se ab obedientia Romani Pontificis pertinaciter subtrahentes. Durum enim valde esset, omnes qui quoquo modo renuunt obedire Summo Pontifici, alia ratione quam officij ipsius, seu quam quia Summus Pontifex est, hac omnium severissimā pœnā affici.

CAPVT XV.

De secunda excommunicatione in appellantes à Papa ad futurum Concilium: ac in dantes eis auxilium vel fauorem. Item de tertia in piratas, cursarios, & latrunculos maritimos, ac in eorum receptatores, fautores & defensores; atque de quarta in surripientes bona naufragorum Christianorum. Quæ feruntur his verbis.

2. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes & singulos, cuiuscumque status, gradus seu conditionis fuerint. Vniuersitates verò, Collegia, & Capitula quocumque nomine nuncupentur, interdicimus ab ordinationibus seu mandatis nostris, ac Romanorum Pontificum pro tempore existentium, ad vniuersale futurum Concilium appellantes, nec non eos quorum auxilio vel fauore appellatum fuerit.

3. Item excommunicamus & anathematizamus omnes piratas, cursarios, ac latrunculos maritimos discurrentes mare nostrum, præcipuè à monte Argentario vsque ad Terracenam: ac omnes eorum fautores, receptatores defensores.

4. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes & singulos, qui Christianorum quorumcumque nauibus, tempestate seu in transuersum, vt dicitur, iactatis; vel quoquo modo naufragium passis, siue in ipsis nauibus, siue ex eisdem eiecta in mari, vel in litore inuenta, cuiuscumque generis bona, tam in nostris Thyreni & Adriatici, quam in ceteris cuiusque maris regionibus, & litoribus, surripuerint. Ita vt nec ob quodcumque priuilegium, consuetudinem, aut longissimi, etiam immemorabilis temporis possessionem, seu alium quemcumque prætextum excusari possint.

S V M M A R I V M.

- 262 Peccata ob quæ, & persona in quas feruntur secunda, tertia & quarta excommunicatio Bullæ Cœna Domini.
- 263 Qui incurrant in secundam, latam in appellantes à sententia Papæ ad futurum Concilium.
- 264 Qui significentur nomine piratarum, in quos fertur tertia excommunicatio Bullæ Cœna Domini.
- 265 Significatur etiam, qui mare ingreditur animo nocendi, quantumcumque actu non nocet: & quomodo is etiam qui nocet simul nauiganti.
- 266 Quomodo item is qui predictio animo prædatur in terra, aut in flumine.
- 267 An incurrant in hanc excommunicationem qui bona fidelium in nauibus infidelium, aut bona infidelium in nauibus fidelium prædantur.
- 268 Notanda circa quartam excommunicationem.
- 269 An in eam incurrant qui naufragorum bona accipiunt quidem animo restituendis; sed non restitunt statim.
- 270 Quid tenendum sit de is qui bona fidelium ex nauibus infidelium, vel bona infidelium ex nauibus infidelium eiecta in mari aut in flumine surripiant.
- 271 Quando in eandem excommunicationem incurrant qui accipiunt ex nauibus à nauis proiecta ob tempestatem.
- 272 Quando item qui reperta in nauibus quos nauis deseruerunt metu submersionis, aut que sunt reipsa submersa.
- 273 Quando ex acceptione alium bonorum non incurratur istiusmodi excommunicatio.

Secundæ excommunicationis materia proxima, est crimen contra Primatum Romani Pontificis, palliatum nomine appellationis; remota verò materia sunt personæ singulares, cuiuscumque status; quæ excommunicantur, principaliter quidem cum appellant: ac efforice verò, cum auxilium dant aut fauorem ad appellandum. Quibus adduntur Vniuersitates, Collegia, & Capitula quocumque nomine nuncupentur, quæ interdiciuntur.

Materia verò seu peccatum propter quod tertia excommunicatio fertur, est latrocinium maritimum. Personæ in quas fertur, principales quidem, sunt piratæ, cursarij ac latrunculi maritimi discurrentes mare nostrum id est Christianum: minus principales autem sunt; tum eorundem receptatores, tum etiam eisdem sciētes dantes auxilium vel fauorem.

Materia autem seu peccatum propter quod quarta excommunicatio fertur, est factum seu rapina bonorum naufragorum; & personæ in quas fertur, sunt surripientes seu usurpantes sibi talia bona in ipsorum nauibus reperta, siue ex eis dilapla, & in mari vel in litore vbicumque reperta.

Notanda circa secundam excommunicationem.

SECTIO I.

Primum est, quod etsi Nauar. in Enchir. cap. 27. num. 59. 265. putat hic quoque excommunicari consulentes, eo quod comprehendantur nomine auxiliantium, & fautorum; cum negari non possit eum qui consulit auxiliari & fauere; videtur tamen distinctione vtendum. Nam etiam si id verum esse possit de is, qui dant consilium, quod virtute cōtinet aliquid fauoris, vel auxilij: vt accidit cum quis dat consilium non solum de re faciendâ, nempe vt appellet quis à sententia Papæ, ad futurum Concilium: sed etiam inuitit, cuius fauore nititur; quâ viâ talem fauorem captare possit; vnde petat auxilium, & quâ viâ illud obtineat; de is tamen qui dant purum consilium, quale esset eius qui quando Papa mandat aliquid, diceret alteri Appella ad futurum Concilium: videtur aliter sentiendum. Nam in materia pœnali & odiosa nomina sunt accipiendâ in propria significatione, neque extendendâ. Nudum autem consilium; nec fauor, nec auxilium propriè dici potest. Nā fauor & auxilium significant exterius datam opem: consilium verò, opem interius dirigentem ex parte intellectus. Vnde consilium rem faciliat tantummodo ab intrinseco: nempe faciendâ animû promptiorem; vt argumento est, quod homo post acceptum consilium, quæ potens aut impotens maneat ad talem rem faciendâ. Fauor autem & auxilium faciunt rem ab extrinseco, resistendo contrariis, aut tollendo impedimenta. Adde quod in cæteris clausulis Bullæ, quando Papa intendit comprehendere dantes consilium, eos exprimat.

Notandum est secundò, non incurrere in ipsam excommunicationem secundam eum, qui à sententia Papæ appellauit ad Concilium provinciale; aut ad Concilium generale præsens. Tum quia verba Bullæ tantum valent quantum sonant, præsertim in materia odiosa: in qua restringenda sunt potius quam amplianda. At verba aperta sunt de appellationibus ad futurum Concilium generale: Tum quia prouocatio à sententia Superioris, non est ad Inferiorem. Concilium autem provinciale est infra Papam. Item quod potest Papam mouere ad hanc sententiam ferendam, est ne deprimatur summa ipsius potestas: dum vel ipsius sententia subicitur alterius iudicio, vel appellationis prætextu eadem sententia eliditur & contemnitur. Id quod non habet locum, si appelletur ad Concilium generale præsens, in quo Papa ipse, si legitimum sit, præest; statimque veritas examinari potest.

Notandum est tertio, eandem excommunicationem ferri tantum in eos qui appellant à sententia Papæ in causis spiritalibus, aut in is quæ sunt spiritalibus annexæ, quoniam ex solâ spectant ad Papam vt Papa est. Nam merè temporales ad illum pertinent vt est princeps quidam temporalis in terris sibi subiectis, ab Imperatore aliove sæculari Principe eidem donatis.

Notandum est quarto, talem prohibitionem appellandi, cum facta sit vniuersaliter, & absque vlla limitatione, comprehendere illam etiam appellationem à sententia Papæ, qua mortis ira vel aliqua alia animi perturbatione, videatur committere iniustitiâ. Nā quamuis iure naturæ cuique liceat iura, bonaque sua tueri: quia tamen debet quisque eodem naturæ

iure, præferre bonum animæ suæ aliis bonis: vixque potest talis appellatio fieri absque aliqua scissura, & diuisione à capite Ecclesiæ. *unde mors animæ incurritur*, debet illi iuri cedere. Adde quod talis possit cum animi summisione instare & rogare vt causa cognitio ad aliquod tribunal deferatur: vel ab ipsomet Papa malè informato ad bene informatum appellare cum debita humilitate, & reuerentia: aut certè habere debeat patientiam, & suam causam Deo committere tuendam, perinde ac si iniuste pateretur à summo suo temporali Principe. Cæterum si iniustitia esset euidēs, posset aliqua excusatio esse ab obedientia.

Duo notanda circa tertiam excommunicationem cum solutione aliquot dubiorum.

SECTIO II.

PRIUS est, cum nauigantes possint offendi tum periculis piratarum, tum periculis tempestatis & procellarum, priori periculo subueniri per tertiam excommunicationem, & posteriori per quartam. Ratio autem quæ mouet Pontificem ad consulendum nauigantibus tam fenerā sententiā, esse potest; tum magna utilitas nauigationis, per quam ex longissimis, & remotissimis terræ partibus, suppeditatur copia necessariorum ad vitam: tum miseria nauigantium, qui tempestatum periculis obnoxii, aduersus ea, neque aduersus aggressores se facile tueri possunt, carentes non tantum Magistratum præsidio, sed etiam vicinorum amicorumque ope.

264.

Posterior est: piratam à Sylu. *verbo Pirata* definitur eum qui mari prædatur. Cui definitioni, ad iudicandum eum qui hæc excommunicatione irretitur, debet ex *Angelo excommunicatio 5. casu 18. addi cōditio*, sine titulo belli, & ex ipso Sylu. *excommunic. 7. nu. 56.* & Tabiena *excommunicatio 5. casu 25. num. 5.* adhuc debent duæ aliæ addi: nempe vt habeant principale intentionem prædandi & spoliandi; & vt indifferenter quosque prædēt ad modum ignis huc illucque discurrētis grassando; *unde acceptum est nomen piratae*. Quartam quoque conditionem insinuat Cater. cum in verbo *Excommunicatio cap. 18.* ait latrunculos marinos in eo à piratis distingui, quod illi sint parui piratæ: quasi piratæ sint maiores latrones, qui nauibus, triremibus, aut biremibus vtuntur in agendis prædis; & latrunculi qui paruis scaphis paruoque apparatu.

Cæterum sine his conditionibus, absoluteque accipiendum esse hęc nomen piratæ, pater. Prima enim cōditio reicitur: quia etiam tempore belli, naues omnes quæ extra classem vagantur ad prædandum, & occidendum, neque sunt classis partes, aut classi incorporate: & sunt & vocantur naues piraticæ. Atque verè piratæ sunt illi, qui tempore belli (vt frequenter fit; quia tunc tutius & commodius est) egressiuntur ad prædandum. Vnde in hanc excommunicationem incurunt: & maxime cum in sententiā qua fertur, cum nomine piratæ, nomen cursarij ponatur, quod certum est illis conuenire. Secunda quoque reicitur: quia ad talem excommunicationem incurrendam, sufficit intentio contraria ei, quam Summus Pontifex habet subueniendi nauigantibus; qualis est quæcumque siue primaria, siue secūdaria hos mutulandi, occidendi, aut bonis suis spoliandi in ipsa nauigatione: quandoquidem ex secūdaria perinde ac ex primaria eiusmodi intentione, natum est sequi tale damnum. Tertia cōditio adhuc reicitur: quia piratæ nomen, verè dicitur de illis omnibus, qui in mari prædicta intentione deprædantur: ideoque in illos verè quadrant verba Papæ anathematizantis omnes piratas: quod est argumentum Nauarri in *Enchiridio cap. 27. nu. 59. in fine*. Quarta demum cōditio reicitur, quia siue in ea re consistat piratæ, & latrunculi differentia, siue omnino idem sint, quod putat Syluester in *preced. nu. 55.* nihil pertinet ad rem propositam: quoniam certum est, quod quicumque in mari prædatur, occidit, mutulat, aut spoliat nauigantes bonis ac rebus suis, incidat in hanc excommunicationem: si non vt pirata, saltem vt latrunculus maritimus. Ratio est, quia verè committit maritimum latrocinium. Ergo saltem est latrunculus maritimus.

265.

PRIVM DVBIVM EST, An eo ipso, quod quis mare ingreditur animo exercendi piraticam ac spoliandi, in hanc excommunicationem incurrat antequam spoliet, occidat vel mutilet. Cui respondendum videtur affirmatiuè: quia is verè pirata est, qui armatus in mari versatur animo nocendi

quibus poterit. Atque vt patet pōderanti verba Bullæ, piratæ in ea excommunicantur absolute, nulla attenda actione consecuta occidendi, mutulandi, aut spoliandi bonis alios.

SECVNDVM DVBIVM EST de iis qui versantur in eadem nauis, An si inter ipsos occisio, mutulatio, vel deprædatio contingat, incurrat hæc excommunicatio. Quod explicatur distinctiōne. Nam id potest duobus modis contingere. Primum, ita vt aliquis priuatus in nauis existēs, vel clam aliquis foretur, vel exorta rixā aliquem mutilet vel occidat: sicque non incurrit hæc excommunicatio: quia talis, neque est pirata, neque latrunculus maritimus, cum non vtatur mari ad suum maleficium: ad quod in perficiendum siue in mari, siue in terra, indifferens est.

Secundo modo potest ita contingere, vt admittat quis aliquem in nauem, vel scapham suam, vt cum ipse in altum duxerit, occidat illum: & bona quæ defert prædatur: cuiusmodi perfidum in excommunicationem incurtere patet: quia vtitur mari ad suum peccatum, vbi aliter est omni ope destitutus. Idem iudicium est, si prius sincerè admiserit nauem, sed postea muta à sententiā occidat, aut spoliet illi suis bonis; quia tunc quoque ille verè vtitur mari ad suum maleficium, & ideo verè est pirata, aut latrunculus maritimus.

TERTIVM DVBIVM EST, An in hanc excommunicationem incurrant piratæ & latrunculi maritimi, qui occidunt & prædantur in terra. Sæpe enim ad littora descendunt, vt possint in terra prædari. Cui quoque satis sit distinctiōne. Nam illi qui incidunt in piratas: vel sunt in terra per modum transeuntis; nempe quia nauigantes descendunt in terram, vel ad euadendum manus ipsorum piratarum insequētium, vel ad sumendum cibum, aut aliquod leuè negotium perficiendum: vel sunt in terra per modum permanentis; nempe quia terrā iter faciunt, vel in terra commorantur. Quia igitur occidere, mutulare, vel spoliare existentes in terra priore modo, non item existentes posteriore modo; latrocinium est maritimum; quo scilicet vexantur nauigantes in mari, quibus *providetur fulminatioe istius excommunicationis*, hæc ipsa incurrit, ob occisionem & prædationem prioris, non item posterioris modi.

QUARTVM DVBIVM EST, An incurrant eandem excommunicationem qui in fluminibus prædantur. Cui etiam satis sit distinctiōne. Nam vel in flumine deprædatur homines nauigantes in mari iam ingressos flumen, & tunc si latrones sint maritimi, qui vel ingressi sunt flumen insequēdo fugientes: vel abdidit se in flumine vt facilius caperet: in talem excommunicationem incurunt quoniam eorum est eadem ratio; ac illorum qui prædantur commorantes in terra per modum transeuntis. Si verò sint latrones flumiales qui nauem quam in flumine insecuti sunt eadem in mari capiunt, & spoliant, incurunt etiam: quia verè prædantur in mari homines in eo nauigantes: vel prædantur tantum in flumine, ibique versantur in agendis prædis, & sic non incurunt, quia ista excommunicatio fertur expressè contra eos qui discurrunt mare, & latrocinium exercent maritimum.

QINTVM DVBIVM EST, de illis infidelium nauibus, quæ sunt onusta fidelium bonis aut mercibus; aut de illis fidelium nauibus quæ onustæ sunt bonis aut mercibus infidelium hostium, An per illarum spoliationem incurrat hæc excommunicatio. Pro cuius explanatione dicendum est primò, Christianos absq; hac censura, infidelium nauem inuadere posse, eaque & infideles cōs, atque eorū bona, si quæ ibi sint, sibi capere, dummodo nō prædantur bona fidelium, sed ea suis dominis relinquāt, quādo illi sua esse probauerint. Secūdo si nauis sit fidelium, bona verò quæ vel hñtur sine infidelium, neque incurtere in hanc excommunicationem infideles inuadentes eandem & spoliates bona infidelium reperta in ea, fidelibus relicta sua nauis. Tertio, si nauis infidelium onusta est bonis fidelium quæ infideles deprædati sint, neque in hanc excommunicationem incidere fideles, qui illā adorti, eam deprædatur. Nam ipsi verè nō deprædatur fideles, sed infideles de quorum manibus & potestate, nauis & bona quæ ipsa cōtinet, capiuntur. Accedit qd sit de se licitum recuperare fidelium bona, quæ venerūt in manus infidelium; malitque proprij domini talia bona haberi à fidelibus, quam ab infidelibus, à quibus ea recuperare aliqua viā non est situm in ipsorum potestate. Adde quod est de iur in aliquo forte casu fidelis

fideles teneri bona sic accepta restituere suis dominis: ideoque peccare illa retinendo: atamen quia non tenentur ratione mala acceptationis, sed solum ratione rei male acceptæ, ipsos nullo modo incidere in hanc censuram, quæ malam acceptationem propriè respicit.

Notanda circa quartam excommunicationem, cum aliquos dubiorum explanatione.

SECTIO III.

268. **C**irca quartam excommunicationem Bullæ Cœnæ, notandum est primò, in clausula per quã fulminatur, nomen *Nautis* generaliter sumi pro quocunque nauigio; & nomine bonorum comprehendenda quæque nauigia, & eorũ instrumenta, funes, anchoras, remos, &c. ac etiam partes, si ea distulsi coniungatã ut talium surreptione in hanc excommunicationem incuratur.

Notandum est secundo, quod per eandem clausulam reuocentur privilegia omnia communitati alicui aut Principi, vel personæ priuata concessa de usurpandis sibi huiusmodi bonis: abrogenturque omnis consuetudo, ac inuoluitur usurpacio, quæ est rerum mobilium præscriptio, ex longissimi & immemorialis temporis possessione: ita ut neque ob eandem, neque ob aliud vñ receptum, excusatio sit ab istiusmodi censura: vt nec est à peccato, nec ab obligatione ad restitutionem.

Notandum est tertio: in rapientes bona naufragiorum adhuc ferri excommunicationem in cap. Excommunicationi. De raptoribus. Ad quam incurrendam duas actiones concurrere oportet: vt annotant *Cæter.* in verbo *Excommunicatio*, & *Nauar.* in *Enchir.* ille cap. 23. & hic cap. 27. num. 117. nempe accipere, & retinere talia bona. Vnde non incurritur ob solam acceptationem; sed ob eam coniunctam cum mora voluntaria in non restituendo. Quare si quis statim restituerit accepta; vel acceptis animo restituendi, nullo modo incurrit. Nec item si accepit animo non restituendi, & postea mutata sententiã statim restituerit. Id quod non videtur patiter dicendum (quid quid loco cit. contradicat *Navar.*) de præfenti excommunicatione quarta: quia in Bullæ clausula, qua fertur, nulla fit mentio retentionis sed simpliciter excommunicaturis, qui dicta bona rapit. Quicumque ergo talia bona rapuerit, saluo melliori iudicio, etiam si postea restituar, excommunicatus est, & eget Papali absolutione.

Adnerere tamen, ad hoc requiri duas condiciones, ex quibus acceptio, quæ de se indifferens est, malitiam contrahat: Altera est vt accipiat animo & intentione sibi retinendi: vnde si acciperet animo conseruandi suo domino, vel mittendi ad ipsum, non incurret. Ratio est quia excommunicatio hæc in eos fertur qui surripuerint: ille autem dicitur surripere, qui animo sibi retinendi, & in vsus suos conuertendi sibi accipit alienum. Altera conditio est vt sciens accipiat, hoc est, sciens bona illa quæ accipit esse bona naufragantium. Nam si accipere, etiam cum peccato (vt v. g. sciens esse aliena) nesciens ea esse naufragantium, non incurret. Cæterum si quis accipit animo qui de m restituendi, sed postea statim retinere, statim atque consentit voluntati retinendi, incurrit in hanc excommunicationem: quia acceptio rei alienæ per voluntatem retinendi acceptam, rationem habet surreptionis, atque adeo facit obnoxium excommunicationi impositæ surripient.

269. **P**rimum dicitur, An incurrit in hanc excommunicationem, qui scienter accipit bona naufragorum, animo quidem restituendi, non tamen statim, sed post aliquod tempus: quia vult illis, vel eorum pretio vt. Ad quod respondendum est, si dominus ignoretur, & is qui accipit sperat se intra breue tempus posse restituere, bona que fide accipit, putans se inde non allaturum domino damnum notabile, nõ videri incurrit, quia non surripit verè; cum non ita in propriam, quin in ipsius domini quoque vtilitatem accipiat: secus effect verò, si restituere non posset, nisi post longum tempus, & notitia domini statim haberi posse; & multo magis si ea iam haberetur, illeque præfens esset, aut valde prope. Nam probabile est si sine ipsius permissione & consensu, res eius tunc accipiat, incurrit in hanc censuram: quia talis acceptio, qua quis rem alterius conuertit in proprium vsum contra domini voluntatem, surreptio est; nisi fortè valde cito restitui posset, neque domino ex acceptione sequatur notabile damnum.

270. **S**ECUNDUM DUBIUM EST, An si naufragium faciant naues infidelium onusta fidelium mercibus, vel contra naues fidelium onusta mercibus infidelium, illi qui depredantur talia bona in hanc excommunicationem incidant. Cui occurrendum est, videri probabile, quod naufragante aliqua naue infidelium onusta fidelium mercibus, si quis deprædetur ipsam nudam nauim, vel eius lignamina & instrumenta, non incidere: quia hæc sunt infidelium. Si verò depræderit ipsas merces quæ sunt fidelium, incidere: nisi ea securitate essent per aliquem infidelem mercatorem. Quo casu, cum totum periculum rei assuretur incumbit assurenti, fidelibus tuta essent sua bona penes assurentem: vnde antedictus, bona potius infidelis, quam fidelis rapere videretur: Naufragante autem fidelium naue onusta bonis infidelium, incidere deprædantem nudam nauim, non autem deprædantem bona, quibus illa est onusta: nisi eadem bona essent ab aliquo fidelis assurenti fidelibus ipsis, quia tunc totum damnum redundaret in fidelem; adeoque fidelium potius, quam infidelium bona raperentur. Cuius responsionis fundamentum est, quod Summus Pontifex expressè loquatur de Christianis naufragium passis: nec probabile sit Ecclesiam curare de indemnitate infidelium: qui sua felicitate maximè ei aduersantur.

Si quæras, An infidelium nomine hic sint comprehendendi hæretici, ita vt surripientes bona ipsorum naufragantium etiam si fortè aliunde peccent, & teneantur ad restitutionem, non incurrant tamen in hanc excommunicationem, nec sint pro absolutione ad Papam remittendi. Respondetur, quod etsi videri possint incurrit propter illa verba clausulæ *Christianorum quorumcumque*, siquidem & hæretici inter Christianos numerantur, propter doctrinam Christianam, quam se tenere profitentur, ac baptismalem characterem. Contrarium tamen videtur probabilius: quia cum perinde aduersentur Ecclesiæ; & extra gremium illius sint, ac cæteri in fideles; non est præsumendum Ecclesiam ipsam, illos velle indemnes seruare, potius quam ex teros suos hostes: cum illi, sicut & hi, perniciem ipsius molantur.

TERTIUM DUBIUM EST, An prædantes bona eorum qui in flumine naufragium faciunt, & quorum bona in flumine, vel in fluminis ripis inueniuntur, in hanc excommunicationem incurrant. Cui occurrendum est non incurrit: quia verba illa generalia, *Christianorum quorumcumque nauibus*: quibus videntur indifferenter indicari bona Christianorum quomodocumque naufragantium: restringuntur per sequentiã, *Cuiusque maris regionibus & litoribus*: ita vt in hanc excommunicationem illi tantum incurrant, qui surripiunt bona Christianorum naufragantium, in mari, aut in litoribus ipsius inuenta.

Notanda in ordine ad proiecta à nauis in mare, aut alter in hoc relicta.

SECTIO IV.

271. **P**rimum est, illos in hanc excommunicationem incurrit, re, qui capiunt proiecta à nauis in naufragio, aut alias leuãde nauis causa. Ratio est, quia talis acceptio est surreptio: cū de natura illius projectionis non sit, vt res eiusmodi proiciens, intendat eas derelinquere, & à se alienare: sed solè modo eas delectat quo quis onere pressus, illud abiicit in via, mox cum focus reuertitur ad illud sibi accipiendum vt dicitur ff. ad legem Rhodiam, de iactu, lege Qui leuãda. Quare nisi aliquo signo manifestet se abiicere derelinquendi animo; ita vt in numero rerum suarum esse nolit, furtum committitur eas accipiendi; iuxta textum expressum. Institutis, de rerum diuisione in fine.

Huiusmodi autem signum duplex præfertim potest esse. Alterum, de quo Angelus in verbo inuentum, sub initium, si dominus rei proiectæ tacet, nec per se nec per alios eam requirit: tunc enim præsumitur eam nolle. Alterum, si tali modo proicit vt verosimile sit, quod eam habeat pro derelicta. Exemplum est, si quis librum derelictum proiciat in mare, merito enim putatur proicere animo derelinquendi, cū statim periturus sit, nisi ab aliquo capiatur: secus verò effect, si proiceret in uolutu panno cerato, quia quantumuis nõ capere tui statim, nõ ideo periturus esset: vnde nõ debet putari abiectus animo derelinquendi. Idè iudicandum est, si in litore vel

in mari aliquid tallum rerum inueniam, quod nisi acciperem, statim periret: nisi constaret mihi quod dominus quare diligenter, nisi que accipiam, probabiliter is inueniet antequam pereat.

Secundum est: eum qui videns nautas proijcentes in mare merces stetit perituras, occurrit praeueniendo periculum detrimenti, & eas sibi accipit, non incurrere in hanc excommunicationem, si accipiat vidente & taceante Domino. Ratio est, quia non peccat accipiendo, cum accipiat vel titulo derelicti, vel titulo donationis. Sin autem accipiat contradicente domino, sicut peccat, ita in hanc censuram incurrit. Id quod accidit, cum ipse dominus contradicit: siue quia videt accipientes absque vitae suae periculo posse, prout ex charitate tenentur, ipsum iuuare, miseriamque ipsius subleuare, saltem pro iusto pretio operam suam locatam: vel quia alia via se recuperare posse credit sic proleat; nempe quia aliquos habet qui suas operas in illis extrahendis & recuperandis ei locent, etiam cum vitae suae periculo; vel quia non videntur ita facile periturae, quin spes sit recuperationis earum, sed at tempore. In quibus casibus illa accipere est surripere; neque enim haberi possunt pro derelictis, cum ad id requiratur ut dominus sic illas se abtecerit, ut in rerum suarum numero esse nolit; prout habetur expresse Instituti. De rerum diuisione §. final. Quod si dominus nullum habeat, qui pro pretio quod offert modico, suam operam ei locare, seque periculo exponere velit: excusari potest à mortali, & per consequens ab hac excommunicatione, is qui cum vitae suae periculo aliquid acciperet, quod alioqui domino suo omnino periret. Nam nec peccaret contra charitatem; secundum quam propria vita antefertur bonis imo & vitae proximi. Nec contra iustitiam, quia nullam iniuriam in eo infert proximo.

272. Tertium est: si metu submerfionis, nautae omnes in mediis fluctibus nauem profus relinquant, neque eam, neque bona quae in ea sunt, neque illa quae sunt dilapsa ex ea, haberi pro derelictis. Non enim deserunt illam animo derelinquendi, sed ut saluti suae consulant, sique ea euaserit, illam sibi recipiant. Vnde nec à peccato, nec ab hac censura iij excusantur, qui cum euidentissimo etiam vitae periculo, aut speciali sua diligenter à vel industria, saluam talem nauem & bona reperia in ea sibi retinerint; ex: cepto solario debito pro labore & periculo suscepto.

Quartum est: quando mergitur nauis simul cum mercibus, expectandum esse, donec dominus vel adhibitis machinis illa extrahat, vel natatores mitrat, qui nauim ingressi inde extrahant merces: neque eam haberi pro derelicta, donec dominus circa illam nihil amplius procuret: qua procuratone domini omnino cessante, & re ab ipso desperata, excusabitur qui suam industriam aliquid sibi ex naufragio capere poterit, nisi postea contingeret in profundo maris frangi nauem, & merces enatae: quia non posset accepta amplius sibi retinere, sed restituere teneretur; nisi tales essent, quae nullo modo enatarent, ut ferrum, plumbum, &c. Ratio est, quia merces quae poterat enatare, licet pro derelictis haberi praesumptae sint: non sunt tamen pro derelictis habitae verè. Deinde quantumuis tales essent quae enatare non possent: si tamen cõperta nauis fractiõne dominus mittat natatores, qui eius generis merces extrahant, tenebitur antedictus ad restitutionem, cepto salario pro labore suo: quia dominus non habet illa pro derelictis. Neque obstat quod cum periculo vitae suae extraxerit, quia id sibi non domino ipsarum mercium, debet imputari.

273. Quintum est: non videri incurrere in hanc excommunicationem (etsi forte possit ad restitutionem teneri) eos qui sibi accipiunt bona quae à nautis leuandae nauis gratia proficiuntur, quando nulla fere est tempestas, sed ab ea illi sibi metuunt aut absque tempestate mergi posse timent: huius ratio ducitur ex verbis clausulae *Nauibus tempestate, seu in transuersum iactatis, vel quoquo modo naufragium passis*: quae indicant hanc censuram requirere tantam tempestatem, quae in transuersam agat naues: aut naufragium pati faciat: quod non accidit in casu proposito.

Sextum est: verba illa, *ex eisdem electa in mari*, significare quidquid prius fuerat in nauis, & postea extra eam est: siue ex ea inclinata dilapsum, siue tempestaris vi ab illa ablatum, & quasi diuisum, siue sponte ex ea proiectum à nautis: quia haec omnia sunt bona ex naufragio, pieccta part; est dñm omnium.

Septimum est: eum qui bona fide putans sibi licere accipere, non accipitur si se peccare putaret; non incurrere in hanc censuram: quia talis fides eum à mortali excusat. Quod annotat à Graphis lib. 4. de cõsuetudinibus cap. 18. num. 6. r.

Postremum est: non incurrere in hanc censuram (quamuis peccet & ad restitutionem teneatur) eum qui accipit sibi naufragiorum bona, postquam ex mari vel litore extracta sunt, & in terra alicubi posita; quia expressè in clausula Bullae dicitur: *In nauibus inuenta vel ex eis dilapsa, & inuenta in mari vel in litore*. Deinde in terram iam posita facilius possunt custodiri & seruari, ac difficiliter à quopiam accipi, quam cum sunt in mari dispersa: ubi vix possunt colligi.

CAPVT XVI.

De quinta excommunicatione in imponentes noua pedagia seu gabellas, vel eas augentes, iuxta his verbis.

5. Item excommunicamus & anathematizamus omnes qui in terris suis noua pedagia seu gabellas, praeterquam in casibus sibi à iure, seu ex speciali Sedis Apostolicae licentia permisis, imponunt, vel augent, seu imponi vel augeri prohibita exigunt.

S V M M A R I V M.

274. *Causa ob quam, & persona quibus imponitur talis excommunicatione: de quarum personarum numero non sunt qui habentes potestatem, imponunt iniusta pedagia. De eodem vero sunt illi, qui non habentes potestatem, augent vetera.*
 275. *Communitates quomodo subiiciantur huic excommunicationi.*
 276. *Qui gabellarum exactores in hanc excommunicationem incurram.*
 277. *Quid sit gabella & pedagium: ad quod plenè intelligendum proponitur varietas onerum publicorum.*
 278. *Onera personalia triplicia sunt generis.*
 279. *Sunt similiter & realia: & de quo illorum sint pedagia & gabella.*
 280. *Vfus collectarum & taliarum.*
 281. *Noua imponere, aut vetera augere pedagia possunt Imperator & Reges.*
 282. *Possunt & Principes in ijs terris in quibus imperialia iura sibi praescripserunt.*
 283. *Quomodo consuetudine, talis potestas acquiritur.*
 284. *Imponentes nouas collectas, seu realias sine potestate, in hanc excommunicationem incurrun.*
 285. *Rationes quibus id probatur cum solutione contrariarum.*

274. **C**ausa ob quam imponitur haec excommunicatione, est imponendi. Persona vero quae in illam incurram, sunt imponentes noua & augentes antiqua pedagia, seu gabellas: cui non habeant ad id potestatem; deinde exigentes imponi vel augeri prohibita pedagia seu gabellas.

Notanda circa eandem excommunicationem.

SECTIO I.

Circa eam autem, notandum est primò, cum feratur expressè in eos qui noua pedagia imponunt extra casus sibi concessos; ipsam non incurri ab eo qui imponit pedagia iniusta, si imponat in casibus sibi concessis: quia non fertur generaliter contra imponentes pedagia iniusta, sed contra imponentes noua in casibus sibi non concessis. Ceterum pedagia allaque id genus dicuntur noua, quae imposita sunt à tempore de cuius initio extat memoria: sicut antiqua dicuntur illa, quae sunt imposita à tempore de cuius initio non extat memoria, ut notat Sylu. in verbo *Gabella* 3. num. 6. deduciq; potest ex ea. Super quibusdam. De verb. significatione §. Praeterea.

Notandum est secundo, ut noua imponentes, sic augentes vetera pedagia in casibus sibi non concessis, incurrere in hanc excommunicationem. Hoc patet, tum ex verbis Bullae quae facit expressam mentionem de augentibus; tum quia quando de realia est eadè ratio in toto & in parte, lex quae prohibet illam fieri in toto, prohibet etiam fieri in parte: sed in gabellis & datus imponendis de nouo, eadem ratio est, si tota aliqua imponatur de nouo, & si pars ad veterem addatur: quandoquidem non minus potest populus vocari augmento veterum.

veterum gabbellarum, quam impositione nouarum. Deinde ex sententia contraria aperitur via dolis, & fraudibus ad transgredendas leges: quia in tantum augeri possent pedagia vetera, vt melius esset, aut saltem minus malum, noua imponi: sicque leges ipsæ essent frustratorie: vt pote quæ in leuamen subditorum factæ, non impèdissent eorum grauamen.

Notandum est tertio, per illa verba, *omnes qui in terris suis*, &c. non tantum intelligi dominos temporales, qui sunt personæ singulares: sed etiam communitates, seu Magistratus, qui habent aliquam potestatem supra populum. Rectè enim dici potest de illis, quod imponant in terris suis; id est, in terris quibus præpositi sunt, ad procurandum comune populi bonum. Neque est quod quis opponat communitatè esse ipsammet totum populum, aut saltem ipsum repræsentare; proindeque si imponat gabellam, quia sibi ipsi imponit, nõ facere alteri iniuriam illam, pro qua amolenda, lata est præsens excommunicatio. Item quod Papa communitatès non puniat excommunicatione ex *ca. Romana, De sentent. excomm. in 6. §. In vniuersitate*, sed interdicit: vt fit in præcedenti clausula 2. huius Bullæ; & in cap. *Quantum De censibus in 6.* Non est, inquam, quod quis hoc opponat: quia quantumuis communitas repræsentet totum populum, ea tamen non est populus, vnde sæpe contingit populum ab ea discrepare, & aliquando contra eam tumultus excitare.

Quod si populus attentæ necessitate, consentiret & sponte se subiceret gabellæ, non videretur esse locus huius censure: quia tunc gabella non imponeretur sine autoritate: quandoquidem populus illam daret magistratui, subiciendo se ei in tali re, prout potest, sicut & in alia, quæ nec damnum adfert præiudicaturæ proximo, nec diuinum honorem ledit. Atque licet tota communitas non excommunicetur collectiue, sed tantum interdicitur; excommunicatur tamen secundum vnumquemque eorum qui rei sunt criminis, pro quo excommunicatio imponitur: vt v. g. excommunicatio hæc fertur illi omnibus de communitate, qui dederint votum ad imponendam nouam gabellam; non item innocentes, seu illi qui tale votum non dederunt.

Notandum est quinto, verba istius clausulæ *imponi & augeri prohibita, exigunt*: non intelligi de exigentibus quascumque gabellas seu pedagia prohibita, quæ dicitur *Caier. in verbo Excommunicatio cap. 71.* sed de illis qui exigunt gabellas in præfenti Bullæ clausulâ imponi & augeri prohibitas non habentibus ad id potestatem. Cum enim *vt ante habitum est*, imponētēs iniustas, si potestatem habeant imponendi, in hanc censuram non incurrunt, multo certè minus incurrunt illi qui tales exigunt: præsertim cum Pontifex prohibeat eas exigi, quas prohibuit imponi, vel augeri. Namque loquens de exactione, repetit illa verba, *imponi vel augeri prohibita*, vnde loquitur de iustis impostis vel auctis, quas prius prohibuerat imponi vel augeri; alioquin in paucissimis verbis vteretur æquiuocatione: quod non est consentaneum.

Notandum est sexto, coactores vocari tam eos quorum autoritate exiguntur gabellæ; nempe magistratus & dominos: quam eos qui exigunt ad portas ciuitatis, vel aliis locis. Vnde si quis Princeps aut Magistratus posuit nouam gabellam, vel auxit veterem sine potestate; successores ipsius, eo ipso quod faciunt eam exigi, incidunt in hanc excommunicationem, tanquam exactores. Incidunt quoque non solum illi qui conducunt, vel emunt tales gabellas exigendas: sed etiam famuli ipsorum, & ministri qui exactioni cooperantur: vt qui recipiunt pecunias, qui scribunt, qui explorant ea quæ feruntur, &c. Quamquam facillimè omnium iidem famuli excusantur, quando non constat ipsis nec rumor est impostas esse sine autoritate. Conducutores verò & emptores; quia debent inquirere, diffidillius excusantur. Omnium autem diffidillimè Magistratus & domini locantes aut vendentes tales gabellas: quoniam examinare debent qua autoritate sint impostas; & videre an sint de num. eorum quæ in hac Bulla prohibentur exigi; vt censentur esse quæ non apparent impostas autoritate Imperatorum vel Regum, vel aliorum dominorum qui non agnoscunt superiorem, vel Concilij generalis largitione, aut Romani Pontificis autoritate concessas; vel ex antiqua consuetudine; à tempore cuius non extrahitur memoria locis introductas, prout habetur ex cap. *Super quibusdam, de verborum signific. §. Præsertim.*

Notandum est septimo, exigere solutionem; esse inuito & nolente eam extorquere: atque illos dici nolentes soluere & inuitos. 1. qui impetio. 2. qui minis; qui arrestatione rerum vel personarum, ad soluendum inducuntur. Immo & qui rogantur soluere tanquam rem debitam ex *Caier. in verbo Excommunicatio cap. 39. & Nauarr. in Enchir. cap. 27. num. 61.* quia talis rogatio habet vim imperij & coactionis. Vnde patet, eum non soluere inuitum, qui rogatus soluit ex amore vel liberalitate, & multo minus eum qui, nec rogatus sponte soluit; nec item illum qui accipit talem solutionem; propriè dici exigentem: vt in hac excommunicationem minime incidat, latam in exigentes. Id quod attigerunt Syluester Excommunicatio 7. & Tabienfis Excomm. §. *ille num. 54. & hic in casu 19. num. 3.*

Quid sint gabella & pedagium.

SECTIO II.

Notandum est primo, gabellam & pedagium esse onera quædam subditis imponi solita à dominis, vel Communitatibus, super rebus ipsorum vel ratione rerum. Aduerte autè pro maiore intelligentia: originè istiusmodi onerum fuisse defensionem & conseruationem boni communis: quod vel Princeps vel communitas in rebus conseruare tenetur, nec potest nisi à subditis ciuibus adiuetur. Inde enim promanauit potestas in Superioribus, talia onera imponendi, & in inferioribus, obligatio subeundi illa. Quæ in vniuersum triplicis generis (quod notat Tabiena Excommunicatio §. casu 18. n. 1.) quædam personalia, quæ imponuntur personis, solo vsu seu labore personæ exequenda, absque vlla impensâ rei propriæ legè vit. ff. de muneribus & honoribus, in initio: quædam realia quæ contra, rebus imponuntur; perfoluunturque rerum sumptu & impensâ, sine labore personæ; quædam denique mixta, quæ personæ simul & rebus imponuntur: atque personæ labore ac rerum sumptu perfoluuntur, hæcque vocantur perangarie.

Ac rursum personalia sunt triplicia: quædam honesta, & perse digna, quæ vulgo honores vocantur, & habent cum onere honorem & commodum: vt consulatus, prætura, præfectura, potestas, & similia: quædam contra sunt vilia & laboriosa ac sordida; vt metalla vel arenam fodere, secare marmor, cadere syluam, calcem coquere: & his similia: quæ onera communiter dicuntur angariæ ab angendo, propterea quod angunt eos quibus imponuntur: quædam demum sunt inter hæc media: vt pote quæ nec perse vilia sunt, nec honorata vel villia: vt curatorem agere vel turorem; mediaque sunt, non per participationem, sed per negationem extremorum: quia neque sunt hoc neque illud. Quorum trium generum primum, non pertinet ad hunc locum; quia gratiosum est, & amabile, communiterque queritur & desideratur potius, quam subrefugatur; neque etiam vltimum, quia ipsum nõ imponitur à Principe vel à Magistratu, sed à quouis priuato in priuatum filiorum & hæredum bonum, ad quod perse, directeque ordinatur.

Realia quoque onera sunt in triplici differentia: nam quædam ipsius rebus imponuntur exequenda per ipsas; vt quod equus, vel nauis, vel currus vadat ad seruitium reip. quædam verò ratione rerum, quas quis habet, imponuntur in parte fructuum, qui ex eisdem rebus percipiuntur: vt cum imponitur soluenda Principi tertia, vel sexta, vel decima pars fructuum, quos quis perceperit quotannis; vel etiam si nihil habeat, aliqua tamen pecunia soluenda imponitur ei: vt in illa exactione quæ pro singulis hominibus singuli aurei soluuntur. Quædam insuper imponuntur rebus quatenus emuntur vel venduntur, aut mercaturæ causâ, ex vno loco in alium transferuntur. Atque onera secundi generis sortuntur varia nomina: dicuntur enim tum tributa, quatenus seipublicæ aut Principi præstantur ex fundis vel prædiis: tum census, quatenus præstantur ex annuis redditibus possessionum: tum etiâ collectæ, aut præstantiæ, aut impositiones, aut talliæ, quatenus soluenda imponuntur ad tempus, ob necessitatè aliquâ occurrentem. Sortiuntur quoque onera tertij generis: vocantur enim tum gabellæ, quatenus imponuntur mercibus, rebusque venduntur, & emuntur, aut ex loco in locum ad humanos vsus transferuntur; tum pedagia, quatenus soluuntur locis constitutis à Principe ob transitum viarum: tum portoria, quatenus soluuntur ex iis que portantur: tum teloneæ, quatenus sol-

tuntur

vuntur ex mercibus marinis ad portum aduectis; tum de-
mum vectigalia, quatenus soluuntur pro rebus ciuitati aut
provincia inuectis vel euectis.

Adhuc onera realia, quaedam sunt ordinaria: vt primò
quidem, ea quae sunt ab antiquo pacta & conuenta inter Prin-
cipem vel Magistratum, & subditos vel ciues. Secundò verò,
ea quae ex statuto determinata sunt. Tertio, ea quae ex lege.
Quarto, ea quae ex antiqua consuetudine vel imposita inue-
niuntur vel consueta sunt imponi aut exigi. Quedam verò
sunt extraordinaria: quae à Principe vel Magistratu secundum
ipsius voluntatem imponuntur: quae nonnunquam dicuntur
Indicta: nempe quando Princeps ea imponit per legem, vel
statutum: sic vt sunt ordinaria, ex extraordinariis: nonnun-
quam verò dicuntur superindicta, nimirum quando impo-
nuntur sine statuto: propter occurrentem necessitatem: quae
distinctionem Tabiena habet in cit. num. 2.

280. Porro collectae & talliae, seu praestantiae originem duxerunt
ex grauius reip. necessitatibus, pro defensione patriae ab ir-
ruentibus in eam hostibus, vel iusto bello, vel magno a re-
lieno soluendo. Pedagia verò & gabellae ex communibus vti-
litatibus viatorum & mercatorum merces afferentium:
nempe vt pecuniis inde conquisitis pontes ad commodita-
tem ipsorum reparantur, vel sternantur viae, vel sustententur
nautae cum scaphis, vel seruentur viae tutae à latronibus.

Hic aduerte in multis locis iam conuictum esse ab anti-
quissimo & immemorabili tempore, imponere gabellas &
& pedagia loco talliarum & collectarum, hoc est: pro expen-
sis illis in rep. faciendis pro quibus talliae & collectae erant
instituta ad subueniendum reip. necessitatibus aut consul-
dam publicis utilitatibus: sicque exigi gabellas non solum pro
rebus, quae negotiationis gratia inuehantur, aut euehantur:
sed etiam pro iis quae ad vsum proprium, & vitae sustentatio-
nem sunt necessariae: vt pro frumento, farina, pane, sale, vino,
oleo, carnibus & similibus. Id quod D. Anton. attingit in
2. part. tit. 1. cap. 13. sub finem.

Qua possit imponere pedagia seu gabellas.

SECTIO III.

281. **N**Ondum est, eum qui potest noua pedagia imponere,
posse quoque vetera augere, & contra. Poterit autem
Imperator & ipsius autoritate seu concessione Principes &
ciuitates ipsi subiectae: ex cap. Super quibusdam De verbo-
rum signific. §. Praeterea. Possunt secundò Reges, ex eodem
ca. & ex cap. Innovamus De censibus: ita vt audiendus non sit
Hostiensis cum dixit solos Reges Romanos qui designati sunt
Imperatores, id posse: quod in verbo Gabella 3. nu. 2. Syluest.
reciit: quia receptus usus est in contrarium. Et fauet, quod
Pontifex in cit. cap. Super quibusdam absolute loquatur de
Regibus: quasi id sequatur ex natura regiae potestatis: ratione
cuius Rex non cognoscit superiorem in temporalibus ex ca.
Per venerabilem §. Videatur Qui filii sunt legitimi: id est, tanquam
summus Princeps nullum habet supra se, ad quem eius sen-
tentia appellatur. Hinc fit vt ex Regum, sicut ex Imperatorum
concessione, inferiores Domini & Magistratus, qui Regibus
ipsis subsunt in temporalibus, possint imponere nouas ga-
bellas: quia qui potest per se imponere, potest quoque aliis
imponendi potestatem dare.

282. Tertio, possunt alij summi Principes quocumque titulo
& nomine vocentur, qui supra se non habent in temporali-
bus superiorem ad quem ab ipsorum sententia appellatur.
Id quod Nauarr. notat in explicatione huius excommunicationis
in Enchir. cap. 27. num. 61. Et aperte probatur ex cit. cap.
Inuocamus: ponderatis verbis Regum & Principum. Nomen
enim Principis post nomen Regis positum significat domi-
nos qui sunt inferiores Regibus, id est, minus sunt quam Re-
ges quodque dicuntur posse imponere gabellas non potest
intelligi de Principibus, qui subsunt Regibus, cum tales ne-
queant imponere, nisi ex Regis sui concessione. Debet igitur
intelligi de illis Principibus qui nulli subsunt: quorum
etiam concessione possunt domini inferiores communitati
imponere nouas gabellas, & veteres augere.

Vbi aduerte ex D. Anton. 2. parte tit. 1. cap. 13. in principio,
dictos Reges & summos Principes, si in loca in quibus im-
ponunt pedagia, dominium habeant nullo iure usurpatum,
teneri ad restitutionem eorum quae sic capiunt. Adde & in-
currere in hanc excommunicationem; quia, vt patet, impo-

nunt non habentes potestatem: quandoquidem si talia loca
suo legitimo domino reliquissent, non potuissent imponere
vt certum est: atque ex eo, quod illa sibi illicite usurpauerint
non sunt effecti melioris conditionis: quia nemo ex malefi-
cio reportat lucrum.

Quarto potest ciuitas libera habens merum & mixtum
imperium: cuiusmodi est, quae nulli Regi, aut supremo do-
mino subest, sicut Venetiae & quaedam aliae ciuitates Italiae,
quae ex quo post factam pacem Constantiae, habent praedi-
ctum imperium: obtinueruntque de facto vt possint peda-
gia imponere: pro vt ex Ioanne Andrea habet Sylu. in citatio-
num. 2. Ratioque in promptu est: quia ciuitas quae talis est,
tantum potest, quantum Princeps non habens supra se do-
minium; ac qui illam gubernant vicem obeunt Principis.

Postremò, consuetudo praescripta tam longo tempore,
vt eius initium non extet memoria, dat potestatem imponendi
nouas gabellas: ita vt omnis dominus & ciuitas, quae à tali
tempore consuevit imponere gabellas ipsas, vnde habeat po-
testatem imponendi, quantumuis subdit alteri Superioci
domino. Hoc à D. Antonino annotatum in 2. part. tit. 1. cap.
13. §. 1. colligitur ex cap. Super quibusdam, De verb. signific.
§. Praeterea. Et probatur, quia vt gabella ipsa, cuius initium non
extat memoria, habetur legitima: sic etiam habenda est legi-
tima potestas eandem imponendi: siquidem hoc modo
Reges omnes talem potestatem habent: nempe quia illam
praescripserunt, sicut & multa alia iura imperatoria. Eiusdem
initio tam fuit Imperatoris propria, quam alia iura. Iam si
Reges potuerunt illam praescribere, potuerunt similiter &
alii Domini.

Veruntamen duo requiruntur in tali praescriptione, vnum
est bona fides in imponente gabellas: alterum, vt consueuerit
solum sibi vi & coactione. De prioribus patet: quia bona fi-
des adeo necessaria est in omni praescriptione, vt existente
mala fide, praescriptio nulla valeat, ex cap. vlt. De praescrip-
tione. De posteriori quoque probatur: quia si semper vel frequen-
ter populus resistat impositioni, ita vt opus sit vi & coactione;
argumento est, quod sine auctoritate gabella sit imposi-
ta: vel quod consuetudo, per quam imponitur est, iniqua sit
& irrationabilis: Ideoque seruanda non fit, ex cap. Si con-
suetudo distinctione octaua.

An imponentes nouas collectas seu tallias, incidant
in hanc censuram.

SECTIO IV.

284. **N**Orandum est postremò: quia in hac clausula tantum fit
mentio pedagiorum & gabellarum, dubitari, an incur-
tant in hanc excommunicationem, qui tallias seu collectas,
aut taxas nouas imponunt, vel antiquas augment sine autho-
ritate, cum haec sint aliud genus impositionis; nempe factae
super propriis cuiusque bonis, pro variis Principis aut Reip.
necessitatibus: pedaggi verò imponantur pro transitu perso-
narum per pontem, aut aliam viam, & gabella pro transportati-
one mercium. Ad cuius dubii explicationem statuitur pri-
mò, quod cum ex ante habitis gabellis dicantur: tum proprie
quae imponuntur pro mercibus; tum minus proprie; quae
in locum taxarum constitutae sunt, & ad eundem finem or-
dinantur, ad quem taxae: cuiusmodi sunt ea, quas ante dixi-
mus imponi rebus necessariis ad proprium vel familiae vsum:
Statuitur, inquam, non tantum imponentes priores, sed et-
iam posterioris modi gabellas, in hanc excommunicationem
incurrere: quia & ea iam absolute vocantur gabellae, &
eodem modo exiguuntur quo aliae, suntque grauiores. Sta-
uitur secundò, quod etsi taxae, quae per modum taxae impo-
nuntur, videri possint non contineri in hac Bullae clausula
(sicut visum est Caetano in verbo Excommunicatione cap. 71.) cum
quia non est in ea de illis mentio; neque poenae sunt inter-
pretatione extendendae: tum quia in communi sermone ne-
mo tales taxas nomine gabellae solet intelligere.

Attamen contrarium censei potest probabilius: si quia
haec Bullae clausula non respicit modum imponendi, sed o-
nus ipsum quod imponitur. Nam in ea Pontificis intentio
est, liberare pauperes subditos ab indebitis oneribus & ex-
actionibus. Idem autem onus: siue imponatur per modum
taxae, siue per modum gabellae. Tum quia lex non debet frustra
tori esse: adeo vt (etiam si fuerit poenalis) possit & debeat
extendi ad omnes illos casus, ad quos nisi extenderetur, ipsa
esset

esset frustratoria: vt patet ex cap. Si ciuitas De senen. excommunic. vbi hæc sola ratio afferretur, cur interdicitur ciuitate, suburbia interdicitur cen'eri debeant, quia lex esset alioquin frustratoria. At si hæc Bulla clausula prohiberetur solum gabella, frustratoria esset, lex quamcumque enim summam pecuniam, quam Domini exigere nequeunt impositione gabella, exigerent impositione nouæ taxæ. Immo ea esset perniciofa: quia cupiditatem habendi dominorum prouocaret, vt relicto mitiori exigendi modo, dariores sequerentur: si quidem minus onerosum est subditis, pluribus vicibus modicum soluere, vt fit in gabella: quam semel multum vt fit in taxa.

Tum demum, quia omnes ferrè gabella quæ modo sunt in vfu, quæque exiguntur pro illis rebus quæ ad vsum proprium deferuntur, licet modo exigendi, ac etiam nomine sint gabella: essentialiter tamen & ex fine sunt vere taxæ. Ergo si illæ sunt ista Bulla clausula prohibita, hæc quoque censeri debent ea sem prohibita. Ad prius autem contrarium argumentum responderetur: non valere consequentiam, propterea quod etiam illa quorum non fit expressa mentio, pro expressis habenda sunt, quando line illis lex est frustratoria: vt in hac re contingit iuxta antedicta. Ad posterius verò: hoc loco nomen gabella non extendi quidem ad taxas ex communi vfu loquendi: extendi tamen ex legis necessitate; ne ipsa sit frustratoria.

CAPVT XVII.

De sexta excommunicatione in falsificantem literas Apostolicas, iuxta his verbis.

6. Item excommunicamus (& anat' hermatizamus omnes falsarios literarum Apostolicarum, etiam in forma Breuis ac Supplicationum, gratiam vel iustitiam concernentium, per Romanum Pontificem vel S. R. E. Vicecanc. cu gerentes vices eorum; aut de mandato eiusdem Romani Pontificis signatarum; nec non falso fabricantes literas Apostolicas, etiam in forma Breuis, & etiam falso signantes Supplicationes huiusmodi, sub nomine Romani Pontificis, seu Vicecancellarij aut gerentium vices prædictorum.

S V M M A R I V M.

- 286 Ob quam causam, & in quas personas feratur ista excommunicatio.
 287 Quis dicatur falsare literas Apostolicas, & que sit harum differentia.
 288 Dne excusationes eiusdem excommunicationis.
 289 Quinque eiusdem restrictiones.
 290 Quod subreptè, aut obreptè impetrantes literas Apostolicas in hac excommunicationem incurrunt.
 291 Quomodo incurratur ista excommunicatio ob mutationem factam in literis Apostolicis ad corrigendum errorem, qui in illis reperitur.

286. **M**ateria seu peccatum propter quod ista excommunicatio fertur; est falsitas commissa circa literas Apostolicas. Personæ verò in quas fertur; sunt primo falsarij earumdem literarum; etiam illarum quæ sunt in forma breuis ac supplicationum, gratiam vel iustitiam concernentium, per Romanum Pontificem aut per S. R. E. Vicecancell. seu gerentes vices ipsorum, aut de mandato eiusdem Romani Pontificis signatarum. Secundo falso fabricantes literas Apostolicas, etiam in forma breuis. Tertio falso signantes supplicationes huiusmodi, sub nomine Romani Pontificis, Vicecancell. aut gerentium vices eorum.

Notandum est primò, in hac clausula Paulum V. vt aliquot prædecesores ipsius ex Bulla Gregorij XIII. quam Nauarr. habet in Ench. cap. 27. dempsisse extensionem capituli Ad falsarium, De crimine falsi, in quo excommunicantur primo falsificantes per se vel alios literas Apostolicas: secundo viuentes scienter literis Apostolicis falsis: tertio impetrantes literas falsas, id est, inter præse Tolero in expositione in huius Bulla, excommunicatione quarta, dubio 2. ab alijs falsificatas, postquam emisse sunt de manu Papæ: quarto defensores & fautores falsariorum. Præterea apponitur pœna; vt Clerici qui per alios falsificant, priuandi sint omnibus beneficijs. Qui vero per se falsificant sint degradandi: & tradendi brachio iaculandi, vt legitimis pœnis afficiantur.

287. Notandum est secundo, eum falsitatis erimen circa literas Apostolicas, dici committere, qui sinceram ve itatem illarum immutat; aut vero sigillo earum vitur ad falsas literas signandas ex cap. Licet De crimine falsi. Committi potest verò erimen falsi multis modis: pura addendo, demendo, mutando, radendo, lacerando, comburendo, sigillum adhiberando, & alijs quibus substantia literarum Apostolicarum ita variatur, vt in ipsis plus vel minus contineatur, quam antea.

Notandum est tertio, literas Apostolicas communiter dici P. illas, id est, literas plumbeo sigillo signatas, quæ à Datario seu Romano Ecclesiæ Notario expediuntur nomine Summi pontificis, cum sigillo & subscriptionibus solitis. Breuis vero dici rescripta sub nomine Papæ expedita; in hoc differentia à literis Apostolicis, quod in cera tubæ signatur anulo piscatoris, id est sigillo quo beatus Petrus, qui piscator erat, vero similiter creditur vsus: hæc vero sigillo plumbeo bullentur. Supplicationes demum dici petitiones in scriptis Summo pontifici, vel Vicecancellario vel eorum vices, & tribus oblatas ad obtinendam aliquam gratiam: vt v. g. dispensationem, indulgentias; vel iustitiam, quibus quando Summus Pontifex acquiescit, & subseribitur, dicuntur signaturæ.

288. Notandum est quarto, & pro ducendo tenendum, falsificantes literas Apostolicas, Breuis, vel Supplicationes per Bullam Cœnæ excommunicari; tum extensionem, tum restrictionem admittere. Extenditur enim ad scienter literis iam signatis addentes, vel minuentes aliquam substantiam veritatis; etiam si pœnitentia ducti non viantur illis. Talis enim excommunicatio fertur in falsificantes dictas literas, non autem in viuentes falsis. Secus esset verò in eo qui raderet aliquam dictionem animo addendi nonam, sed postea ductus pœnitentia eamdem iterum scriberet: quia talis sicut nihil ad substantiam addidit, ita nec eam mutauit.

Sed dubium est, An qui eum modi literis corrigunt vnam literam aut errorem in grammatica, vel pro clariori distinctione & intelligentia addunt aut minuunt aliquid, non mutantes sensum, incurrant in hanc excommunicationem. De quo Toletus in seq. dub. 3. in vtramque partem authores referre, sequens parte in negatiua: sicut etiam à Graphijs sequitur 4. decis. aurearum cap. 18. num. 78. cum Nauarr. in cit. cap. 27. num. 62. vbi id ex eo probat: quod si fiat sine dolo & absque alterius iniuria, non videatur esse peccatum mortale: & ideo, nec si sciens materia excommunicationis. Quod si dicas sufficientem esse ex intentione Papæ excommunicationem. Respondecitur id non esse probabile, cum nihil videatur in eo fieri contra iustitiam aut charitatem, aut reuerentiam Papæ debitam. Immo verò prospici decetia literarum ipsius.

Id autem procedere quando mutaretur sensus à Papa intentus; asserendo vel negando quod ipse non intendit: aut tacendo, seu omittendo quod ipse exprimit intendit; etiam si talis mutatio per vnus tantum punctum aut apicis mutationem fieret. Alias verò, vt habetur x. cap. Ex consensu De crimine falsi, propter paucarum literarum rasuram in loco non suspecto, rescriptum non probatur falsum: unde sequitur eum qui rasit, non esse ideo censendum falsarium, neque incurrere in hanc excommunicationem.

Extenditur quoque propositum documentum, iuxta cap. Licet De crimine falsi, ad eos omnes, qui verum Papæ sigillum siue plumbeum, siue cereum tradunt translegendum in falsas literas: illi enim pœnitentia efficienter concurrunt ad falsificationem literarum, ac ille concurrat ad furum, qui scienter alteri clauem dat per quam arca aperiat ad furandum. Attamen si id ita fieret, vt nemo vnquam eiusmodi literis vteretur, locus esse posset excusationi ab hac excommunicatione. Exemplum esse potest in eo, qui tantummodo pericam tale quæ faceret sine vilo cuiusquam scandalo.

289. Id ipsum autem, quod dictis modis extenditur, restringitur primò, vt non procedat in fautoribus & in defensoribus, aut præstantibus auctoritatem huiusmodi falsificationi. Nam de talibus non fit mentio in Bulla: quæ cum sit pœnalis, non est interpretandæ amplianda. De tradente autem, non aulim idem dicere; quandoquidem lex esset alioquin frustratoria. Incurrunt tamen iidem fautores & defen-

fores in excommunicationem, cap. Ad falsarium De crimine falsi.

Secundò, vt nec procedat in falsificantibus literas Episcopali, aut Nuntij Apostolici, aut Sacre pœnitentiariæ vt habet Nauarr. in citat. numero 62. quibus à Graphiis addit in sequentium 82. nec Datarij aut Legati à latere aut Congregationis Cardinalium, quia non sunt literæ Papæ, sed commissariorum ipsius.

Tertiò, nec procedat in falsificantibus literas Papæ, quæ iam euauerunt, nec amplius valent, vt ex Richardo habet Nauarr. in præced. c. 17. n. 169. Quod intellige cum Alphonso à Viualdo in sua explicatione huius Bullæ n. 52. dummodo tales literas non reddant ipsa mutatione viles sibi aut aliis, cum intentione abutendi illis; vt fieri potest si darentur valituræ ad triennium & transacto triennio pro eo mutaretur quinquennium: tunc enim locus esset huic excommunicationi iuxta D. Anton. 3. part. tit. 24. c. 16.

290. Quartò, nec procedat in impetrantibus surreptitiè, vel obreptitiè literas à Papa; prout notant Nauarr. in supra cit. nu. 62. & ex Richardo Sylu. habet Excommunicatio 7. num. 9. Ad idem id procedere quantumcumque Papa alioqui non annuisset; & rationem reddit; quia tales impetrant literas veras seu verè à Papa expeditas, etiam si falsâ suggestionem. Cæterum surreptitiè impetrari dicuntur literæ Apostolicæ, quando pro illarum impetratione exprimitur falsitas, aut taceatur veritas: obreptitiè verò quando sub involucrio verborum sic supplicatur, vt Papa non intelligat veritatem. Peccat autem grauius sic impetrans, faciendo fraudem ipsi Papæ & aliis quorum interest; caretque impetratis ex cap. Super literis De scriptis.

Quintò (quod idem authores addunt) vt nec procedat in iis qui habent apud se literas falsas, etiam si iis vtantur. Nam tales non sunt de se falsarij, cum nihil immutant in literis Apostolicis; si tamen scienter, aut ex ignorantia culpabili illis vtantur, incurrunt in excommunicationem supra citati cap. Ad falsarium. Atque ex cap. Dura §. Adicientes De crimine falsi: nisi intra viginti dies postquam scierint eas esse falsas, lacerauerint, vel resignauerint (subintellige ex glossa, verbo resignet, tali qui possit prodesse & non obesse) sunt excommunicandi per Ordinatum, semelque excommunicati, possunt tantum absolui à Papa. Aduerte autem obiter ex citato cap. Licet & sequenti, De crimine falsi, literarum Apostolicarum falsificationem deprehēdi ex quatuor nimirum ex Bulla seu sigillo, ex charta, ex filo, & ex stylo.

291. Postremo nec in illis procedit, quemadmodum à Graphiis notat in citat. cap. 18. num. 83. qui mutat in literis Apostolicis ea, quæ erant in suis supplicationibus prius expressa: si per errorem Notarij vel scriptoris fuerint variata: v. g. Obtinisti à Summo Pontifice dispensationem in tertio gradu consanguinitatis, & Notarius scripsit in Bulla affirmatiuè: si in hoc mutaueris ponendo in Bulla, sicut habebatur in supplicatione, non incurris in hanc excommunicationem. Et ratio esse potest: quia id non est falsificare sed potius verificare Bullam. Quod tamen leuiter faciendum non est, propter scandalum & præsumptiones forti exterioris, ex quibus talis corrector posset condemnari de crimine falsi. Quia si quis commodè posset ad Summum Pontificem, vel Officiales ipsius pro correctione recurrere, ea per illos fieri deberet. Immo per illos tantum potest fieri, cum error fuerit non solum in bulla sed etiam in minuta manibus Summi Pontificis oblatis; quia Pontifex ipse intendit tantum concedere, illud quod ei expressum est in supplicatione: vnde corrigere mutando sensum tam supplicationis quam bullæ esset pro concessio habere, quod non est concessum: quod quidem est falsificare literas Apostolicas: & per consequens dare sufficientem causam incurrēdæ huius excommunicationis.

De falso fabricantibus, aut falso signantibus literas Apostolicas nihil occurrit ad antedicta addendum, quam quod cum mortaliter peccent tali falsificatione, posse in hanc excommunicationem incurrere.

CAPVT XVIII.

De septima excommunicatione contra ferentes arma infidelibus, lata his verbis.

7 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, & alios Christiani nominis hostes, & inimicos, vel hæreticos per nostras, siue huius Sanctæ Sedis sententias expressè vel nominatim, declaratos, deferunt seu transmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, stannum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, lignamina, canapem, funes tam ex ipso canape, quam alia quacumque materia, & ipsam materiam, aliaque huiusmodi quibus Christianos & Catholicos impugnant, nec non illos qui per se vel per alios, de rebus statum Christianæ reip. concernentibus in Christianorum perniciem & damnum ipsos Turcas, & Christianæ religionis inimicos, nec non hæreticos, in damnum Catholice Religionis certiores faciunt; illisque ad id auxilium, consilium, vel fauorem quomodo libet præstant. Non obstantibus quibuscumque priuilegijs, quibuslibet personis, Principibus, Rebus publicis per nos & Sedem prædictam hæcenus concessis, de huiusmodi prohibitione expressam mentionem non faciētib.

S V M M A R I V M.

- 292 Causa ob quam, & persone à quibus excommunicatio hæc incurritur.
 293 Non incurritur eam, iuuantes in bello infido.
 294 Ne: qui Mulos & Asinos transmittunt.
 295 Que in hac re significentur armorum nomine.
 296 Que nomine ferri & cuiuscumque metalli.
 297 Que nomine lignaminum & funium.
 298 Quatenus ferentes aut transmittentes arma ad Christianæ Religionis hostes, incurrunt in hac excommunicatione.
 299 Quatenus metus grauis ab hac excommunicatione excuset.
 300 Quando transportantes in suis nauibus Saracenos, in eam incurram.
 301 Duo casus in quibus suppeditando arma infidelibus, non incurritur hæc excommunicatio.
 302 Quid tenendum sit de vendentibus arma infidelibus qui in terra Christianorum degunt.
 303 Conditio rerum, que infidelibus deferuntur, notanda.
 304 Quando incurrat hæc excommunicatio, reddendo infideles certiores de reb. Christianorum, aut consilium eis dādo.

Causa ob quam hæc excommunicatio imponitur, est crimen quod committitur contra Remp. Christianam iuuando infideles illam impugnantes. Personæ in quas fertur sunt primò, illi qui ad hostes, & inimicos nominis Christiani, quales sunt Mahometani, vel ad hæreticos, cum sint per Sedem Apostolicæ sententiam expressè ac nominatim declarati, deferunt seu transmittunt equos, arma, & quodcumque metalli genus, atque instrumenta bellica, lignamina, funes, ex quacumque materia, aut ipsam materiam; atque alia, quibus Christianos & Catholicos impugnant. Secundò, illi qui prædictos per se, vel per alios de rebus statum Reip. Christianæ concernentibus, in Christianorum, aut Catholice Religionis damnum certiores faciunt. Tertiò, illi qui ad id auxilium, consilium, vel fauorem quomodo libet præstant. Ad idem etiam reuocatio omnium priuilegiarum, quibuslibet personis etiam Principibus aut Reip. super hoc concessorum à Sede Apostolica. De hac quoque materia in iure antiquo extat cap. Ita quorundam cap. Quod olim & cap. Ad liberandam, De Iudæis, & Extrauagans. Multa mentis, eod. tit. inter communes: lateque Nauarr. eam persèquitur in comment. ad cit. cap. Ita quorundam tomo 2. suorum operum: ex quo & ex Ench. cap. 27. n. 63. quædam perstringemus sciendâ à Confessario.

Primum est: in hac Bullæ clausula per Turcas & Saracenos non intelligi omnes Mahometanæ perfidiæ sectatores, neque per alios Christiani nominis hostes & inimicos, intelligi omnes Paganos, Iudæos prædicto nomini infensos; sed tantum eos quibus est bellum cum Christianis ob Christianissimum. Non enim comprehenduntur illi quibus est iustum bellum contra Christianos, neque occupant, neque occu-

pare curant res Ecclesiæ Christianæ, neque pugnant odio Religionis sed ob aliam causam quæ iusta fit per tradita ab ipso Nauarr. in memorato commentario, notabili quarto numero 13. quia mens Pontificis tantum est debilitare potentiam infidelium, fideles in iustis impugnantium.

394. Secundum est: in hac clausula sub nomine equorum ex Nauarr. in Enchir. cap. 27. num. 63. versu. 3. comprehendi eos etiam, quos debiles, claudos, vel in morbosos à memoratis Christiani vel Catholici nominis hostibus acceperint, ipsorumque operâ curatos, iisdem hostibus restituerint. Nomen enim illud, cum sit generale, nullam excludit. Immo iudicio Iacobi à Graphis lib. 4. decis. aurearum cap. 18. num. 87. includit aliud quoddamque inuentum, quod deseruire potest defendendis sarcinis & aliis bello necessariis: ut Mulum, Asinum, &c. Sed in materia pecuniali non videtur esse locus tali extensioni. Neque pro ipso facit Nauarrus quem citat; cum is in memorato Comment. notabili 5. num. 27. contrarium aperte dicat: facta tantum modo exceptione casus in quo mala mente actuali, aut virtuali, talia inuenta traderentur ad bellum contra Christianos: sic enim illa possunt comprehendere nomine equorum, sicut nomine armorum comprehendit si posse multa instrumenta agricolarum aut artificum, paulo post dicemus.

395. Tertium est armorum nomen (cuius latè partem significacionem Nauarr. in dicto notabili 5. bene declarat) hic restringi ad bellica, id est (ex eodem Nauarr. ibid. num. 10.) ad ea, quæ principaliter ac vere instituta sunt ad præliandum: siue offendendo, siue defendendo ut gladij, sclopi, haste lanceæ, clypei, lorice & huiusmodi alia quæ Nauarr. in seq. num. 13. vocat bellica ex intentione fabricantis, eò quod fabricari soleant in usum belli ad impugnantium hostem aut defendendum se ab eo. Adit verò idem in seq. num. 15. ex intentione assumentis ea censeri non bellica, dum referuntur in alium usum: ut si Religiosus pugione parulo amici, apud se derelicto, defecta cultelli utatur ad apertos calamos suos, aut machæ à ad secandum suum panem: sicut ex adverso alie res, ut cultelli instituti ad sciendos calamos, vel panem; & instrumenta agricolarum, vel artificum, ut ligones, falces, securæ, mallei, currei, & huiusmodi alia, in alios usus quam prælii principaliter, & ex intentione fabricantis comparata, ex intentione assumentis ea ad præliandum, censetur arma bellica. Quæ proinde, si quis ad Turcas aut hæreticos à Sede Apostolica denunciatos deserat, sciens futurum ut eis utatur ad præliandum contra Christianos, incurret in hanc excommunicationem.

In summa cum Nauarr. ipso in eod. notab. 5. num. 25. tenendum est, armorum nomine hic prohiberi omnia & sola bellica arma, tam ad defensionem quam ad offensionem comparata: quæ sua fabricatio, vel intentio deferentis ea ad nostræ religionis inimicos, in prælium destinat, siue actu, siue etiam virtute: ut sit, cum etiam si lucri tantum causa ea deserat, scit tamen vel scire debet, eodem inimicos illis ad pugnam vsuros.

396. Quartum est: appellacione ferri & cuiuscumque metalli, quod ad hostes nostræ Religionis deseri prohibetur, intelligitiam factum, id est, ex quo aliquid formatum est quam infectum, seu ex quo nihil formatum est; quatenus mediare vel immediate utile est bello, ex Nauarr. in memorato comment. notab. 6. num. 8. ita ut ex eodem in Enchir. cap. 27. num. 63. versu. 6. eadem appellacione comprehendatur etiam pecunia figurata, seu nummi siue aurei siue argentei, siue alterius materiæ: quia ut alia, sic & pecuniæ sunt instrumenta bello maxime necessaria. Mineræ autem, seu terræ ex quibus metalla conficiuntur, non comprehenduntur tali appellacione: quia non sunt ferrum factum vel infectum ut est in sequenti numero 9. argumentatur Nauarr. Addens, in n. 12. neque comprehendit clauiculos, neque gladiolos, aut cætellos quibus est usus in aptandis calamis aut secandis in mensis: quia quantumvis sint ferrum factum: non sunt tamen ferrum mediate vel immediate utile bello; nec quo Religionis nostræ inimici credi delectant vsuri in bello: nisi quis tantam multitudinem talium rerum deferret, ut merito verendum esset ne illi eis in vera arma confisat, uterentur in bello: tunc enim talis ob intentionem malam virtutalem & tactam, etiam si non haberet formalem & expressam, incidere in hanc excommunicationem. Quod idem iudicandum est,

si ante memorata terra sciatur in usum belli à Religionis nostræ hostibus expectari: nimirum ut abundant metallis, quæ ipsi norunt conflare; ita ut illis eis suppetare idem valeat ac suppeditare ipsa metalla, cum adferat idem incommo- dum.

Aduerte obiter, quod bene declarat idem Nauarr. notab. 10. num. 6. malam intentionem expressam in hacre contingere, cum quis verè & expresse antedicta subministrat Christianæ Religionis hostibus: eo fine ut illis sint vsui ad bellum contra Christianos. Malam verò tacitam & virtutalem præcedenti æquipollentem contingere, cum quis vere quidem & expresse non subministrat in malam finem, siue ut illos adiuuet, sed in bonum ut lucrum ad suam & suorum sustentationem honestam: attentis tamen omnibus temporis, loci, rerum, ac personarum circumstantijs existimat, quod ipsi talibus rebus per ipsum subministratis, tunc vel aliquando utentur contra Christianos in bello, aut certe si non existimat, debet exstinare. Talis enim quamvis non expresse, virtualiter tamen æquiualeatque subministrat ad bellandum necessaria: cum paria sint ut quis faciat aliquid in aliam finem: & quod ita faciat in alium, ut videat vel videre debeat, & latè culpa videre omittat, suum opus tendere in illam priorem. Quæ doctrina est notatu digna pro aliis etiam materiis.

397. Quintum est quod ex Angelo refert Nauarr. in eod. comment. notab. 7. num. 12. per lignamina quorum delatio hic prohibetur, intelligi trabes, & alia ligna opportuna fabricandis nauibus, turribus, aut machinis bellicis, quibus infideles ut possunt ad impugnantium Christianos, vel defendendum se ab eis non autem alia, quæ igni tantum fouendo, aut alicui alteri simili actioni remota à bellicis. De qua tota re idem Nauarr. ibide. agit plenius. Sed sufficit monere, quod ipse habet inter cætera in num. 20. hanc excommunicationem incurere eos qui naues, vel alias machinas bellicas hostibus Christianorum subministraverint. Nam quæ talia ipsi deserat, lignamina quoque deserat: non qualescumque sed compacta in memoratas res: atque adeo utiliora ipsi Christianorum inimicis, quam si essent soluta. Ac licet prohibito eo, quod ex aliqua materia fit non censetur prohibita ipsa materia, si nihil aliud interueniat prohibitionis extensiuum: materia tamen rei artificialis prohibita, ne res ipsa habeatur, censetur à fortiori eadem res prohibita: quia propter quod vni quodque tale & illud magis. Et ita per funes de quibus adhuc mentio est in hac censura, intelligendi sunt non tantum simplices funes, sed etiam facta ex funibus ut scilicet,

398. Sextum est, per tradita à Nauarr. in eod. comment. notab. 8. num. 16. & aliquot sequentibus appellacione transmittentium seu deferentium, hic comprehendit non modo baiulantes, portantes, agentes, ducentes, trahentes; sed etiam quoslibet mala mœe efficientes ut prædicta ad ipsos Religionis hostes perueniant: siue illa vendendo, permutando, donando, aut quouis alio titulo subministrando eis sem hostibus: siue mittendo, aut permittendo inuehi in suam nauem, aut extrahi ex suis portibus: siue etiam cooperando delationi seu transmissioni: quia omnes tales censentur siue per se, siue per alios transmittere. Vnde ut ex Sylu. habet ipse Nauarr. ibid. num. 21. non excusatur ab hac excommunicatione is qui iusta aliqua de causa ad prædictos arma deserat ad sui tuitionem & ornamentum: & postea siue rogatus, siue ultro illis vendit vel permutat cum deterioribus, vel etiam donat: nisi rei paritas, aut loci, vel temporis, vel personæ circumstantia, aut iustus metus mortis, captiuitatis, vel grauium cruciatuum, aut ignorantia probabilis deferentem excusaret à peccato mortali; aut etiam penitentia, qua ductus delator, delata non tradidit hostibus, sed reportauit: non item qua postquam tradidit, se tradidisse penituit. Ratio est ex eodem auctore ibidem numero 29. quod verbum delationis seu transmissionis intelligendum sit cum effectu: eo quod solus conatus non sufficiat ad incurrendam excommunicationem quæ imponitur facienti. A Ideo ex eodem in præcedenti numero 25. quantumvis quis prohibita ad hostes nostræ religionis detulerit per ignorantiam probabilem; ipsum non excusari si ea tradidit postquam prohibita esse sciuit: quia delatio prohibetur tantum ob traditionem. Adde item ex

seq. n. 31. ratione paruitatis materia: excusari ab excommunicatione Legatum vel alium iusta negotia gerentem apud Christianam Religionis hostem, si ei offerat unum pugionem vel aliud huiusmodi armorum genus donec; quia inde nec grate damnatum Christiano exercitui fieret, nec hostili magnum adiumentum adderetur: nisi forte probabiliter præsumeretur, quod alia eiusdem generis ibi fabricarentur, aut aliunde quærerentur in notabile detrimentum Christianorum: quod semper in hac respectandum est: tanquam illud cuius gratia excommunicatio ista decreta est.

299. Septimum est, Eos qui fame, aut vi adiungunt, aliaque necessitate graui compelluntur contra suam voluntatem nec pereant, vetita tradere, aut ferre Christianorum hostibus, excusari ab hac excommunicatione. Ratio est, quam tangit Nauarr. præced. num. 26. quod vitam eripere à presenti mortis periculo, sit de iure naturæ, cui cedit ius humanum imponens excommunicationem. Quæ tamen excusatio non procederet, si prælium esset in præcinctu, & hostes fidei per arma quæ deferuntur iuandi essent in eodem prælio; tunc enim moriendum esset potius, ita exigente communi Christianorum salute, quam in illius perniciem dictos hostes iuuare. Pari ratione dici posse videtur, excusari quidem illos, qui pro redemptione captiui prædicta deferunt, non tamen in casu in quo inde tantum incommodum inuheretur Christianæ Reip. vt ad illud auertendum ratio suaderet occumbendum esse.

300. Octauum est, de quo post Angelum & Syluestrum Nauarr. ibidem numero 27. non incurrere in hanc excommunicationem eum qui transportat arma Saracenorum in terram aliorum Saracenorum; excepto casu, quo ex ea translatione sequeretur dispendium Christianis: puta quia Christiani possunt impugnari à Saracenis ad quos transferuntur; aut quia inde illi sunt Christianis ipsius formidabiliores.

Nonum, de quo idem consequenter, in hanc excommunicationem similiter incurrere transportantes Saracenos ipsos cum suis armis. Similiter incurrere transfugas qui cum suis armis ex exercitu Christianorum transiunt ad Saracenos, ex eodem in sequen. num. 33. De iis autem qui Saracenis speculam, arcem, vel oppidum armis munitum tradunt, vel traditionem consulunt, vel iuuant; aut qui arma sua ita perdunt vt in manus Saracenorum veniant, aut inualecente prælio se dedunt vel fugiunt relictis armis, aut capti, & victi, arma tradunt; idem Nauarr. ibidem num. 34. statuit omnes qui talia agendo mortaliter peccant, in hanc excommunicationem incurrere, vt ij quos nec ignorantia, nec materia paruitas, nec iustus metus mortis, captiuitatis, aut cruciatuum excusat.

301. Decimum est, probabile videri, quod non incurratur hæc censura, cum ex transportatione commodum potius nascitur Christianis, quam contra: vt si ex pecuniis armorum, multo plus iuuarent se Christiani quam inimici armis emptis. Id enim non est his, sed potius illis auxilio esse in bello.

Vndecimum est: si fideles habeant socios infideles à quibus iuuentur iusto bello contra alios siue fideles, siue infideles, & necessitas compellat; quia scilicet non sunt sufficienter armati; non incurrunt in hanc excommunicationem dando eis arma necessaria: prout Nauarr. habet notabili 4. num. 15. Et ratio est, quia ius naturæ concedit, ad nostram defensionem adhibere quæ possimus sine Dei & proximi iniuria. Secus verò esset, si fraudulenter & dolose, aut per latam culpam, arma darentur talibus infidelibus, vt fiant inde potentiores contra alios Christianos, vel siue necessitate darentur in tanta copia, vt multum obesse possint Christianis, Nam tunc non est locus excusationi.

302. Duodecimum est, iuxta eundem Nauarrum in præcedent. num. 14. non incurrere in hanc censuram dantes aut vendentes arma infidelibus, qui permittuntur morari in terris Christianorum; vt Romæ Iudæis & Venetiis Turcis: Sed videtur in eorum distinctione. Nam si talibus dent, aut vendant arma, bona fide putantes eos illa accipere ad suos vsus, procedere potest ipsius Nauarr. dictum. Si verò vendant mala fide, putantes aut putare debentes eos emere in detrimentum Christianorum, v. g. vt ad socios infideles ea transf-

mittant, videntur in hanc censuram incurrere: si non vt deferentes arma ad infideles in damnum Christianorum; saltem vt auxilium ferentes deferentibus. In mala autem fide aliquem esse vendendo (nisi forte haberet animum rem totam detegendi Magistratus, vt deportatio impediretur) his coniecturis deprehendi potest: primo, si prædicti infideles emant arma in magna quantitate; secundo, si clanculum, tertio, si bombardas, ballistas, & similia.

Decimum tertium est: verba illa (aliaque huiusmodi quibus Christianos & Catholicos impugnant comprehendere iuxta Nauarr. in sequen. notab. 10. nu. 2. & 3. tam ea quæ sunt necessaria ad pugnandum, aut ad commode pugnandum, quam quæ sint vtilia, vnde ex eodem in seq. n. 42. in hanc excommunicationem incurrunt, qui arma deferunt hostibus nostræ religionis, iam habentibus plura quam indigeant de præfenti; quia non habent plura, quam quæ sunt eis vtilia, aut quam quibus breui tempore egere possint, vti aliquo prælio.

Postremum est: secundum genus personarum in quas hæc excommunicatio fertur, non comprehendere omnes qui certiores faciunt infideles de quibuslibet rebus Christianorum: sed eos tantum qui de rebus, quæ eiusmodi sunt, vt concernant statum communem alicuius reip. Christianæ; in cuius damnum & perniciem tale quid cedat. Similiter tertium genus personarum, non comprehendere quoscumque dantes consilium infidelibus; sed solummodo cum tale consilium cedit in damnum & perniciem Christianorum.

CAPVT XIX.

De 8. excommunicatione in impedientes eos qui victualia ad Romanam curiam conuehunt. Et de 9. in ledentes eos qui ad eandem curiam recurrunt. Et de 10. in eos qui ledunt Romipetas, qua feruntur his verbis.

8. Item excommunicamus & anathematizamus omnes impedientes, seu inuadentes eos, qui victualia, seu alia ad vsus Romanæ curiæ necessaria adducunt; ac etiam eos, qui ne ad Romanam curiam adducantur vel afferantur prohibent, impediunt seu perturbant; seu hæc facientes defendunt, per se, vel per alios cuiuscumque fuerint ordinis, præminentie, conditionis, & status: etiam si Pontificiali, seu Regali, aut alia quavis Ecclesiastica vel mundana præfulgeant dignitate.

9. Item excommunicamus & anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apostolicam venientes, & recedentes ab ea dem; sua vel aliorum operâ, interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, detinent; nec non illos omnes qui iurisdictionem ordinariam vel delegatam à nobis vel nostris Iudicibus non habentes, illam sibi temere vendicantes, similia contra morantes in eadem curia audent perpetrare.

10. Item excommunicamus & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu depradantes Romipetas, seu peregrinos ad vrbem causâ deuotionis, seu peregrinationis accedentes, & in eam morantes, vel ab ipsa recedentes, & in his, dantes auxilium, consilium, vel fauorem.

S V M M A R I V M.

305. De causis ob quas, & personis in quas feruntur ista excommunicationes.

306. Octaua excommunicationi subiiciuntur non modo qui quæ ad victum, sed etiam qui quæ ad alias vias necessitates spectant, impediunt deferri ad Romanam curiam, nisi iusta causa vel bona fide excuset.

307. Non subiiciuntur verò exigentes pedagia à talibus deferentibus, nec ipsi detrabentes id, quod deferunt pro aliqua particulari persona: aut tantummodo pecuniam quam habent in crumenis: nec nolentes sua vendere volentibus ea deferre ad Romanam curiam.

308. De personis, quarum vexatione nona excommunicatio incurratur.

309. Non est Necessarium vexationem inferri odio religionis vel Papæ, sed sufficit vt sciantur ire vel redire aut commorari apud Sedem Apostolicam.

310 Vexans tales pro criminibus qua commiserim in terra sua iurisdictionis, non incurrit.

311 Quis dicitur Romipeta, & qua requirantur ut ipsum ledendo decima excommunicatio incurritur: quæque non sufficiant.

305. **O**crava excommunicatio fertur in sex genera personarum: quæ sunt i. impediens eos qui victualia, aliaue ad Romanæ curiæ usum necessaria deferunt, 2. inuadentes eosdem, 3. prohibentes ne talia ad Romanam curiam adducantur vel afferantur. 4. idem impediens, 5. perturbantes, ad eundem finem: nempe ut non sit qui talia deferat: postremò defensores talia facientium. Extenditur verò excommunicatio hæc, tam ad eos qui per se, quam qui per alios impediunt, inuadunt, &c. quacumque præfulgeant Ecclesiastica aut laicali dignitate.

304. Nona autem excommunicatio incurritur ob quinque actiones circa tria personarum genera. Imponitur enim illis, qui suâ, vel aliorum operâ interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, aut detinent venientes ad Sedem Apostolicam: item illis qui similia perpétrant in eos qui ab eadem Sede recedunt: ac demum illis, qui audent contra morantes in curia Romanâ, perpetrare similia, non habentes ad id iurisdictionem ordinariam vel delegatam.

Decima verò excommunicatio lata est in fauorem vrbis Romæ, ut ad eam liber sit accessus omnibus volentibus, visitare limina Sanctorum Apostolorum, Et principaliter incurritur ob quinque actiones: accessorice verò, ob tres. Imponitur enim primariò omnibus interficientibus, vulnerantibus, detinentibus, capientibus, seu deprædantibus Romipetas, seu peregrinos ad Romanam urbem deuotionis causa accedentes, aut in ea morantes, vel ab ipsa recedentes. Secundariò verò illis, qui dederint auxilium, cõsiliũ, vel fauorem, huiusmodi iniuriis inferendis.

Notanda circa 8. Excommunicationem.

SECTIO I.

306. **N**otandum est autem primò circa excommunicationem octauam: in illam incurrit non modo illos, qui prohibent aut impediunt ad Romanam curiam deferri vinum, frumentum, oleum; animalia seu viua seu mortua; sed etiam qui fructus, ligna, telam, pannum, papyrus & similia: hoc enim indicant verba illa, seu alia ad usum Romanæ curiæ necessaria. Modicitas tamen in hac, sicut in aliis excusat ab hac excommunicatione, ut & à peccato mortali: quod intellige de temporis etiam modicitate: ut ne deferantur per vnã horam: id quod à Graphiis notat in l. 4. decis. auresarum c. 8. num. 56. in fine.

Notandum est secundo, ex Caietan. in verbo Excommunicatione. 19. Armil. eodem verbo casu 15. & Nauarr. in Enchir. cap. 27. num. 64. neque in hac excommunicationem incurritur eum qui suis consulens, contrauenit prædictis. Maleficia enim proposito & voluntate distinguuntur: atque in eo voluntas illius est, suis consulere iusta de causa: non item, agere contra hanc prohibitionem. Exemplum est, si Dominus ne ciues proprii patiantur defectum notabilem in victualibus, prohibeat illa extrahi ex sua ditone, vel si Romana curia peste laboret, prohibeat ne quis se eo conferat volens reuerti: ne fellicet reuertens suos ciues postea inficiat. Idem tenent à Graphiis loco citat. & Georgius Sayrus alios recentiores citans in lib. 3. resauri casuum conscientia cap. 12. num. 4.

Notandum est tertio, quod cum per Romanam curiam non intelligatur Roma vel Romanus populus (quod etiam habet à Graphiis in præcedent. num. 95.) sed locus vbi est Sedes Apostolica, ac Summum Ecclesiæ tribunal, vbi agitantur lites auctoritate Papæ, ut Papa est; non comprehendit hæc censura, impediens, inuadentes, aut prohibentes eos, qui deferunt victualia non ad Romanam curiam, sed ad Romanum populum.

307. Notandum est quartò, quod in sua expositione Bullæ Cænae habet Alfonso à Vualdo numer. 70. neque in hac excommunicationem incurritur cogentem deferentes victualia ad usum curiæ Romanæ necessaria, soluere pedagã, & alia onera quæ ab aliis ita simili modo facientibus, soluuntur.

Valerij Tom. I. Pars II.

Ratio est: quia talis nullo antè memoratarum personarum genere propriè continetur. Adem dicendum est de eo qui molestia afficeret deferentem aliquid pertinens ad usum alicuius certæ personæ: quia talis quid non dicitur esse ad usum Romanæ curiæ. Id quod à Vualdo num. 74. etiam notat. Neque incurritur (prout idem consequenter num. 75. addit) illum qui prædicta victualia deferentem spoliaret tantum pecuniis quas habet in crumena: quia, ut supponimus, relinquit intacta ipsa victualia. Causa autem propter quam excommunicatio hæc incurritur, est sacrilegium quò offenditur Sedes Apostolica in suis victualibus, ut loco cit. monet Caiet. idem sequitur Sayrus in cit. n. 4. Addit verò Suarez ad 3. partem D. Thom. 10. 5. disput. 21. n. 64. eum qui non vult res suas vendere Romam deferendas, etiam si forte desint aliæ, non incurritur in hanc excommunicationem: quia illud in rigore, & ex proprietate vocis, non est impedire, ne ad Romanam curiam victualia deferantur. Neque lex prohibens tale impedimentum, cuiquam tollit libertatem vendi pro arbitrio re sua. Idem iudicium est de eo, qui res alienas emerit nisi id faceret intentione impediendi, ne ad Romanam curiam transmitterentur.

Notanda circa nonam excommunicationem.

SECTIO II.

308. **C**irca nonam excommunicationem verò notandum est primò, cum Tolto in sua expositione, excommunicatione 7. dub. 1. per venientes ad Sedem Apostolicam, intelligi eos qui Summum Pontificem ad eum, siue sit Romæ siue alibi, habentes negotium, quidue aliud, quod mediante seu interueniente Papali auctoritate perficiendum est. Vnde etiam patet qui per recedentes à Sede Apostolica sint intelligendi. Per illos autem qui in Papali curia morantur, intelliguntur, ut idem author in sequenti dubio habet, ex Caiet. in verbo Excommunic. cap. 14. qui in Pontificia curia inseruiunt Papæ; siue immediata, siue etiam mediata, ut inseruientes Cardinalibus, aut Episcopis, qui in curia tanquam ministri seu officarij spirituales ad sunt ipsi Papæ, quatenus Papa est. Quæ reduplicatio additur ad distinctionem eorum qui sunt Papæ ministri seu officarij temporales, quatenus is est Rex. Papa enim, ut habet Nauarr. in commentario de datis & promissis pro iustitia vel gratia obtinendis, qui est vltimus secundum romi, dupliciter considerari potest: vno modo, quatenus est Summus Christi Vicarius in spiritualibus, & habet summam iurisdictionem spiritalem ab ipso Christo immediate datam & receptam iuxta cap. Nouit, De iudiciis, cuius explanationem proprio commentario idem author persequitur: altero modo, quatenus est Rex habens actu iurisdictionem laicam seu temporalem supremam Romanæ vrbis, & aliquot terrarum, adeptam donatione Sedi Apostolicæ facta à Constantino magno & aliis Imperatoribus aut Regibus. Ex quibus consequens est, esse ita accipiendam hanc censuram, ut per eam protegantur non quotquot sunt de familia Papæ, aut Cardinalium vel Episcoporum, qui illi in spiritualibus seruiunt in curia Romana: sed tantum illos qui officium aliquod in eadem curia habent, per quod eisdem Prælati seruiunt, ipsi quoque in spiritualibus Papæ mediatè seruire censeantur. Nam ceteri qui seruiunt illis in temporalibus tanquam dominis, non tribuitur hæc protectio, quæ nec seruientibus Papæ vi Regi, conceditur.

309. Notandum est secundo quod à Vualdo in sua expositione num. 81. attingit: cum Summus Pontifex hanc excommunicationem absolute & indistinctè ferat in eos qui interficiunt, mutilant, spoliant, &c. ad eam incurritur necessarium non esse ut talis interfectio, mutilatio, spoliatio, &c. fiat in odium Christianæ religionis vel Papæ, vel recursus ad Sedem Apostolicam: sed sufficere ut is qui interficitur, mutilatur, spoliatur, capitur, aut detinetur, cognoscatur ex suo habitu aut colloquio, aut alia viâ; de his esse qui Sedem Apostolicam ad eum aut ab ea recedunt, aut in ea morantur, causa negotiorum auctoritate eiusdem Sedis perficiendorum; ad quos ab iniuriis protegendos, non item alios etiam si euntes aut redeuntes, aut commorantes, vbi est Pontificia curia, lata hæc est censura, ut ex Caiet. Nauarrus notat in Enchir. cap. 27. num. 65. versu 1. Qui non est audiendus dum ibidem consequenter relict ab eodem Caiet. traditum in verbo Excommuni-

Hh 3

cat.

cat. cap. 14. non omnem qui in Romana curia morantem interficit, mutilat, spoliat, capit, aut detinet innodari hanc excommunicatione: sed tantum eum qui talia facit authoritativè: seu in talibus actionibus gerendo se pro Iudice, cum non sit. Non est inquam audiendus ob verba quæ habentur in posteriore parte huius clausulæ: cum dicitur. Nec non illos omnes qui iurisdictionem ordinariam vel delegatam à nobis vel à nostris Iudicibus non habentes, illam temere sibi vendicantes; familia contra morantes in eadem curia, audent perpetrare.

310. Notandum est tertio, quod à Vitaldo habet in seq. nu. 82. non incurere in hanc excommunicationem eum, qui in terra suæ ditionis iter agentem, vel commorantem negotiorum causam apud Sedem Apostolicam, cepit, detinuit &c. ob delictum ab ipso in eadem terra commissum. Ratio est quia talis tunc nec capitur, aut detinetur, nisi ut est delinquens & malefactor, cui Summus Pontifex non est censendus favere, sicut nec delicta fouere velle.

Notanda circa decimam excommunicationem.

SECTIO III.

311. Notandum est primò, Romipetam hic dici de omni eo, qui siue eques, siue pedes: & siue cum habitu peregrini, siue absque eo, Romam petit devotionis seu peregrinationis causa, atque tanquam peregrinus. Quod addo; quia, ut bene notat Caiet. in verbo Excommunic. cap. 13. Romæ habitans, etiam devotionis causa non est proprie Romipeta, aut peregrinus; & ideo in excommunicationem hanc non incurritis qui illum offenderit actionibus expressis in Bullæ clausula, quæ fulminatur.

Notandum est secundo, cum Iacob à Crapibus in cit. cap. 18. num. 100. ad excommunicationem hanc incurrendam quatuor requiri: primum est, ut offensus sit Romipeta seu peregrinus, qualem proposuimus: secundum, ut talis non accedat Romam causâ litis, vel curiositatis, & postea incidenter visitet limina Sanctorum Apostolorum: tertium, ut ipse qui offenditur, eam Romam vel ab ea recedat vel in eam moretur causa peregrinationis: quartum ut offendens probabiliter sciat offensum Romipetam esse seu peregrinum qualem prædiximus.

Non requiritur autem affectus odij in religionem Christianam, aut urbem Romanam quia hæc excommunicatio perinde ac præcedens fertur absolute & indistinctè. Adde, ab hac excommunicatione excusari eadem ratione, quæ præcedenti, eum qui Romipetam delinquentem in sua ditione, male mulctarit.

Notandum tertio, consequens esse ex dictis quod post Caiet. loco cit. habet Navarr. in Enchir. cap. 27. num. 66. eum qui ferit aliquem ante professionem Romanam, aut post reditum, aut peregrinantem ad alium locum, quantumvis in eo sit curia aut Sedes Apostolica, aut residentem Romæ etiam devotionis causa, non incidere in hanc censuram. De cuius materia extratitiquis canon Si quis Romipetas 24. quæst. 3. editus à Galixto Papa.

CAPVT XX.

De II. Excommunicatione in eos qui nocuerint S. R. E. Cardinalibus, & Episcopis, & de 12. in eos qui ad Romanam curiam in causis & negotiis suis recurrentes, ledunt per se, vel per alios: quæ feruntur his verbis.

II. Item excommunicatus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percipientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, ac Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos Sedisque Apostolicæ Legatos vel nuncios, aut eos à suis diocesis, territorij, terris, seu dominiis eicientes: nec non ea mandantes vel rata habentes, seu præstantes eis auxilium, consilium, vel fauorem.

12. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se vel per alios, personas Ecclesiasticas quascumque, vel seculares ad Romanam curiam super eorum causis & negotiis recurrentes, ac illam in eadem curia profes-

quentes, aut procurantes, negotiorumque gestores, aduocatos; procuratores & agentes: seu etiam auditores, vel iudices super dictis causis, vel negotiis deputatos; occasione causarum vel negotiorum huiusmodi occidunt, seu quoquo modo percipiunt, bonis spoliant; seu qui per se vel per alios directè vel indirectè delicta huiusmodi committere, exequi, vel procurare; aut in eisdem auxilium, vel fauorem præstare non verentur, cuiuscumque præminentie & dignitatis fuerint.

SUMMARIVM.

312. Causa ob quas, & persone in quas feruntur vnde decima & duodecima excommunicatio.

313. Qui nomine Episcopi in priore clausula intelligantur, & quæ clausula ipsorum inducat vnde decimam excommunicationem.

314. In eadem clausula posita quomodo capienda: & illius comparatio cum quibusdam Canonibus.

315. Requisita ad incurrendam duodecimam excommunicationem.

316. Qui intelliguntur nomine recurrentium ad Romanam curiam pro suis negotiis, proteelli per eandem excommunicationem.

317. Differentia inter procurantem, & procuratorem: & quæ dicatur Romana curia ac vis verbi, non verentur.

318. Notanda de verbis per alium, aut alios: directè aut indirectè.

319. An incurratur ipsa duodecima excommunicatio cum profectio causarum aut negotiorum in curia Romana, fuerit iniusta.

Materia vnde decima excommunicationis est factilegium in quo offenditur Ecclesiâ in suis mēbris principalibus: puta Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis ac Sedis Apostolicæ Legatis vel Nunciis. Fertur autem principaliter quidem, in omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percipientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes tales personas: aut eas eicientes à suis diocesis, territorij, terris seu dominiis. Accessorie verò fertur in mandantes, aut rata habentes prædicta facta, seu præstantes ad ea auxilium, consilium, vel fauorem.

Materia verò duodecimæ excommunicationis ex Caiet. in verbo Excommunicatio cap. 15. est sacrilegium quo ex certa speciali causa, litis videlicet & negotij, offenduntur illi qui sunt sub protectione Sedis Apostolicæ. Quam offensionem, videm auctor ibidem aduertit, oportet non ex quacumque causa, sed occasione eiusmodi litium & negotiorum fieri. Personæ autem quæ ob idem sacrilegium (sive sit per se, siue per alium, siue directè siue indirectè ab eis commissum) innodantur hac excommunicatione: principales quidem sunt 1. occidentes 2. percipientes quoquo modo 3. spoliantes bonis sequentes personas, siue Ecclesiasticas, siue laicas: quæ sunt 1. recurrentes ad Romanam curiam super suis causis, & negotiis: 2. profectes in eadem curia causas suas & negotia, procurantes eadem 4. negotiorum gestores. 5. Aduocatos 6. Procuratores & agentes, 7. Auditores vel Iudices deputatos supradictis causis & negotiis. Accessorie verò personæ sunt, prædicta delicta siue per se siue per alios, & siue directè, procurantes, aut in eisdem auxilium, consilium, vel fauorem præstare non verentes, cuiuscumque dignitatis vel præminentie fuerint.

Notanda circa vnde decimam excommunicationem.

SECTIO PRIOR.

Pro pleniore intelligentia eorum quæ ad II. excommunicationem pertinent, cōsulenda erit appendix ad calcem primi libri præcedentis addita, continens explicationem cap. Si quis foedente diabolo 17. q. 4. quæ enim spectant ad ad excommunicationem illicitam ob percussione Clerici vel Monachi, pertinent quoque ad hanc ipsam vnde decimam, quæ cenferi potest illius quædam species restricta personarum respectu: tam earum pro quibus fertur, quæ sunt tantū principales Clerici: quæ carū contra quas fertur: quæ sunt non omnes iniicientes manus violentas in eosdem Clericos principales; sed interficientes, mutilantes, aut aliud antedictorum perpetrantes in illos. Addenda verò sunt nonnulla peculiaria.

Primum est, pro quo multos aut hores referunt Alphonsus à Vitaldo in

do in sua expositione, & Georgii Sæyris in lib. 4. Theſauri caſuum conſcientie: ille nu. 88. & hic cap. 15. num. 4. Episcopum dicendum quam consecratus est; non autem illum, qui solum electus, præsentatus est, firmatus, institutus, aut prouultus est, etiam si iam sit adeptus possessionem: quia ante consecrationem non dicitur quis in Episcopum promotus, neque Pontifex, ut docet Felinus ad cap. Eam te De reſcriptis in initio. Dicitur autem administrator, & Episcopus electus, non verò Pontifex & Episcopus simpliciter; prout notat Caiet. in verbo Excommunicatio cap. 12. Porro Episcopus consecratus etiã Episcopatu renunciauerit, gaudet istiusmodi protectione: tum quod dicitur & sit simpliciter Episcopus: tum quod ob consecrationem, immunitas Episcopis sit concessa.

Secundum est, verba in hac. clausula posita ad significandas sine actiones ob quas, siue personas in quas excommunicatio in ea fertur, non videri explanatione alia indigere quam ut moneamus ex Sylu. Excommunicatio. 7. num. 23. inlequi hostiliter, esse insequi ut hostem, & inimicum capitalem: aut insequi publicè & manifestè. Deinde, quod inſinuatum est à Nauarr. loco cit. & tradit à Graphiis lib. 4. decis. auarum ca. 18. num. 101. vt elicientes, quorum habetur mentio in præſenti clausula, incurrant in hanc excommunicationem, requiri vt loca à quibus memorati Prælati eliciuntur, sit ditionis ipsorum; aut ditionis aliorum quidem, sed in quibus illi debeant officij sui munus explere. Erat ex eodem Nauarro ibidem: Iudices, qui Episcopos non parentes suis iussis, nec capere possunt, nec punire: iubent expelli ex regno, ligantur hæc censurâ, & cum eis licitores iussu ipsorum exequentes, itemque ad id opem ferentes, aut id consulentes: quia talis electio coniunctum habet impedimentum explendi munus officij sui. Iubentes autem exire curiam Regis aut alium locum non pertinentem ad diocesium illorum, quantum malè facerent, non ligantur tamen hæc censura: cuius neque verba, neque ratio eis adaptantur, vt de se patet.

Tertium est, quod habet idem Nauarr. ibid. vers. 6. defensionem cum moderamine inculpatae tutelæ, & ignorantiam probabilem ab hac excommunicatione excusare: neque præstantes auxilium vel fauorem incurrere in eam, nisi seculo effecti: vt nec ratum habentes, nisi ipsorum intuitu & nomine perpetratum sit scelus. Quæquidem & nonnulla alia quæ pariter addi possent nos remorari non debent, quia satis nota esse possunt per tradita in explanatione, cuius supra meminimus cap. Si quis suadente diabolo 17. quæſtione 4.

Cæterum de præſenti materia habentur cap. Felici de penis in 6. & Clemen. Si quis suadente diabolo eodem tit. in quibus additur: (aut socius fuerit facientis: aut postea receptauerit vel defenſauerit facientem eundem, Suarez autem in tomo 5. ad 3. partem D. Thomæ dist. 21. nu. 72. admonet, socium facientis in hac materia innodari præſentis clausulæ excommunicatione, saltem vt auxilium præbentem, vel fauorem; non item illius receptorem & defensores, quando receptio & defensio contingunt postquam delictum iam omnino præterit, & solum agitur de supplicio delinquentis: tunc enim, nequeant habere rationem auxilij vel fauoris, sub quibus in hac clausula comprehendantur; quia auxilium & fauor sunt cooperationes facientis, aut continuantis cœptum, vt. g. incarcerantis Episcopum vel detinentis in carcere: quem qui defendit, tanquam in delinquendo fauorem ei præbens, censendus est in hanc excommunicationem incurrere.

Notanda circa 12. excommunicationem.

SECTIO POSTERIOR.

Caiet. in verbo excommunicatio. sub finem capite decimo quinto ad eam incurrendam requiri conditionem, vt persona omnes quibus imponitur, tam principales quam accessorias, suas illas actiones occidendi, percutiendi, &c. perperent non ex quacumque causa; sed occasione causarum & negotiorum super quibus recurritur ad Romanam curiam, aut que in eadem curia procurantur. Vnde à Graphiis habet in lib. 4. decis. auarum cap. 18. nu. 104. si quis ex ira & voluntate furandi, vel contra facta aliunde inimicitia, eas iniurias

inferret personis quas ante commemorauimus, non incurreret in hanc excommunicationem.

Notandum est secundò, ex Nauarr. in Enchir. cap. 27. num. 68. versu 2. ad hanc censuram incurrendam non esse necessarium, vt supra positae offensiones fiant auctoritate laica, sed sufficere posse, vt fiant priuata vel Ecclesiastica auctoritate: quia sententia per quam ea imponitur, generalis est: ideoque generaliter intelligenda iuxta cap. Si Romanorum dist. 19. versu Ne quid verò. Adde vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debeamus: argumento legis De pretio, ff. De publica in rem actione.

Notandum est tertio, requiri adhuc ad hanc excommunicationem incurrendam, vt ille qui per se aut per alium occidit vel occidi procurat aliquem, occasione negotiorum antememoratorum id faciat per viam iniustam & illicitam: adeo vt ipse, liber ab ea iudicandus sit, si per viam licitam faciat: prout accidere potest, cum quis iuste huiusmodi personam in iudicio accusat de aliquo crimine digno fustigatione, aut confiscatione bonorum; aut morte (quantumvis id faciat ea intentione vt ipsum impediat ne sua negotia in Romana curia prosequatur) atque accusatus fustigetur per sententiam Iudicis, aut spoliatur bonis, aut capite plectatur. Similiter ab ea liber censendus est Iudex, qui nocetem dignum fustigatione, spoliatione bonorum, aut morte, ad talia illum damnat ea intentione, vt negotiorum illius procuracionem in curia impediat ad suam vel amicorum vilitatem. Licet enim per talem voluntatem deprauatam, peccet in eo contra charitatem: non tamen contra iustitiam: vt pote qui auctoritate legitima poenam infligit, debet ei ob suum crimen. Et certè probabile non est mentem Papæ esse ad eiusmodi casus ex eendere istam suam tam grauem sententiam: præsertim cum instituta sit ad propulsationem iniuriæ, quæ potest inferri recurrentibus ad Romanam curiam, vel apud eam morantibus pro suis negotiis procurandis. In illis casibus verò nulla inferatur iniuria, nisi improprie dicta.

Notandum est quarto, circa verba, recurrentes ad Romanam curiam super eorum causis & negotiis, ac illa in eadem curia prosequentes: quod recurrere ad curiam pro suis negotiis dicatur, quisquis causarum, & negotiorum suorum cognitionem ad Romanam curiam quoquo modo transfert: siue ipse per se ad eandem curiam veniat in eaque tractet illa: siue procuratorem mittat, siue etiam nullo inſto, per scripturam & literas: amico, vel cuius, negotia sua in curia gerenda committat: siue quoquo alio modo suas causas & negotia ad curiam transferat. Vnde inferre licet, vbiuis gentium aut locorum quis degat, si occasione & intuitu negotiorum suorum quæ in Romana curia tractantur, occidatur, aut quoquo modo percutiatur, aut bonis spoliatur; occidentem, percutientem, aut bonis spoliantem aut non ferentem eisdem dare consilium, auxilium, vel fauorem directe, vel indirecte: per se, vel per alium; in hanc excommunicationem incurrere: adeo vt ille cuius causa & negotium in Romana curia geritur vbiq; terrarum munitus sit huius sententiæ præsidio, ne verberetur, mutiletur, occidatur, bonis spoliatur intuitu eiusdem causæ, aut negotij.

Quod idem iudicandum est de Aduocatis, Procuratoribus, gestoribus negotiorum ac Iudicibus, si quos habeat quis, negotij quod tractatur in Romana curia sollicitatores extra ipsam Curiam: vt cum aliqui constituuntur alicubi à partibus, vt si quid possint inuenire, ad eandem Curiam referant, aut transmittant: aut eos qui negotium in illa gerunt certiores faciat de iis quæ agunt & moluntur illi qui sunt partis aduersæ: aut etiam vt sollicitet per literas eos qui in Romana Curia versantur. Idem iudicium est cum ab eadè Curia commissarius vel Iudex cū Notario ad partes mittitur, vt apud eas inquirat, examinent testes, aliaque id genus faciant. Similiter & cum actor in patria sua facit examinari testes super aliquo negotio, vt in informatione factâ transmittat ad curiam. Quas & alias similes personas, protegi hac sententiâ, sicut & Romæ exiſtentes, ex eo colligitur, quod nulla appareat illius verba quæ restringant ipsam ad Aduocatos, Procuratores, negotiorum gestores, & Iudices cū sunt in Romana curia: sed in ea vniuersaliter sermo fit de Aduocatis & aliis prenomatis: si occidatur, percutiatur, bonis spoliatur, occasione negotiorum quæ tractantur

in Romana curia. Accedit quod si personæ prædictæ quæ extra Romanam Curiam existentes, in suo munere occupantur in ordine ad eandem Curiam: nimirum ut in ipsa negotium & causa rectè geratur: si non protègerentur per hanc sententiam, non esset per eam sufficienter prouisum negotiis in Romana curia gerendis: cum sepe absque iis quæ sunt in locis partium, & inde ad Curiam transmittuntur: negotium in curia expediri non possit.

317. Notandum est quintò, verba illa *procurantes & Procuratores*, ea in hoc differre, quod procurantis nomen generalius sit, nam & sollicitatores & alij, qui nomine partis principalis, operam suam quoquo modo nauant, procurantium nomine continentur. Procuratoris verò nomen tantum dicitur de iis qui publico & authentico instrumento, vel ad lites omnes vel ad aliquam determinatam, vel ad aliqua negotia peragenda instituti sunt: quique potestatem habent comparandi in iudicio nomine principalis, in eoque agendi validè.

Notandum est sextò, nomine Romanæ Curie, hic non intelligi urbem Romam, neque locum ubi est persona Papæ: sed locum in quo est audientia causarum Sedis seu auctoritatis Apostolicæ, & literarum Apostolicarum; ut colligunt Doctores ex eo quod in Clement. Ne Romani De elect. §. Sanè habetur: quod si in certo loco, causarum & literarum Apostolicarum audientia remanente; Papam alibi mori contingat: non ibi, sed ubi prædicta fuerit audientia, noui Pontificis electio celebrètur; quia scilicet is locus est Romana curia. Non igitur accipitur nomen curie in hac materia pro apparatu & splendore domestico famulorum, equitatus, & cæterorum id genus: sed pro loco prædictæ causarum audientie.

Notandum est septimò, ex verbo *Non venentur*, colligi quod ad incurrendam hanc censuram requiratur ut homo sciens ac prudens faciat ea propter quæ illam imponi antea dictum est: siue principalia sint, ut interficere, percutere, aut bonis spoliare: siue accessoria, ut dare in eisdem consilium, auxilium, aut fauorem. Idem enim est dicere, qui non venentur; ac dicere qui audent, vel qui præsumunt: ita ut exigatur actio præsumptiua, seu quæ scienter aduertenterque perficitur. Unde sequitur eum qui per lapsum lingue & inaduertenter daret consilium hoc prohibitum, aut quid cæterorum huiusmodi prohibitorum: de repente ac imprudenter faceret, non ligari hac censura.

318. Notandum est octauò, circa verbum *per alium*: ipsum in istiusmodi sententiis non semper usurpanti eodem modo: nec æquè amplè sed interdum quidem amplissimè: ita nempe ut quidquid nostro consilio, auxilio, favore, vel quacumque nostra auctoritate, mandato, aut inductione directa vel indirecta; mediata vel immediata, alius facit: id nos per illum fecisse dicamur. Interdum verò usurpanti minus amplè, ut id per alium dicatur factum, quod alterius auctoritate, & mandato fit; ut quod dominus facit per seruos; Rex per milites: pater per filios, &c. An autem hoc vel illo modo usurpetur in aliqua sententiâ Superioris, non potest aliunde colligi melius, quam ex præcedentibus in eadem sententiâ & subsequentibus. Si enim post particulam, *per alium aut alios*, addatur clausula qua exprimitur dantes consilium, auxilium, vel fauorem, ut in præsentis clausula, tunc ea ipsa particula *per alium aut alios*, videtur secundo modo intelligenda: ut solum indicet id quod fit propriè per alium, quale est id, quod nostro mandato nostraque auctoritate alius facit. Si verò memorata clausula non addatur; neque vlla fiat mentio dantium consilium, auxilium vel fauorem, tunc eadem particula, *per alium aut alios*, est ad eos omnes extendenda secundum priorum acceptionem: qua quisquis alicuius mali causa efficax fuerit: id ipse per alium fecisse dici potest.

Notandum est nonò, ad clausulam *per se vel per alium*, meritò addi clausulam directè vel indirectè; quia cum solum dictum esset: *Qui per se vel alium occidit seu quoquo modo percutiunt, aut bonis spoliunt*: dubium esse potuit; an hac sententiâ comprehenderetur, qui indirectè occideret, percuteret aut bonis spoliaret occasione negotiorum quæ tractantur in Romana curia; ut fieri potest cum pater de aliqua persona tractante eiusmodi negotia; filio ea intentione virillum occidat, dicit: Non possumus per horam quietè viuere, quam

diu iste superstes fuerit; dubitari potuisset, an si filius occideret, pater hanc censuram incurreret virtute illius particulæ, *per alium*; quæ causa dubitandi sublata est per additam clausulam, *directè & indirectè*. Idem iudicium est si quis occasione eorumdem negotiorum, personam occidit procuraret: eum per falsos testes de aliquo crimine conuincendo in iudicio capitali. Item si de eadem persona alicui alteri tam multa mala narraret, aut tam graues ei illatas iniurias, aut paratas insidias referret: ut talibus dictis permotus, eandem illam personam occideret. Similiter si quis sciens aliquem certo loco at matum expectare talem personam ut occidat: aliqua arte careret, vti illa per eum locum transeat: ibique occidatur occasione causarum & negotiorum quæ gerit in Romana curia. In his enim & multis similibus, dubium esse potest; Num qui sic per alium occidit, incurrat in hanc excommunicationem: nisi adderetur particula, *Non venentur directè vel indirectè delicta huiusmodi committere*; per quam dubitatio huiusmodi tollitur.

Supereest satis grauis difficultas. An cum ad Romanam curiam quis recurrit pro suis negotiis, si hæc sint iniusta & per iniustitiam ab Aduocatis, Procuratoribus, & cæteris defendantur, ac manifesta iniustitia in iudice appareat: adeo ut pars per iniustitiam grauitè lædatur, idque in re graui, ut in omnibus suis bonis, nec possit facile ab eadem iniustitia se protegere. An inquam, in eo casu pars læsa, si vel ex ira, vel ex odio, aut ex alia iniusta sui defensione, aliquam ex prædictis personis, per se, aut per alium, directè, vel indirectè occideret, aut bonis spoliaret, vel in eiusmodi delictis consilium auxilium, aut fauorem præstaret, incidere in hanc excommunicationem. Ratio difficultatis est, quod vna ex parte non debeat videri Summus Pontifex illos iniustos atque adeo pessimos homines tueri, huius bullæ auctoritate. Ex alia parte verò, quod in præsentis clausula loquatur absolute contra tales percussores, occisores, &c. nullà additâ restrictione. Cæterum videtur vtendum distinctione: ac dicendum duobus modis posse tales personas persequi causam iniustam: vno modo faciendo euidentem iniustitiam: puta aliquid euidenter falsum probando per falsos testes; aut quid simile: sique eum qui perpetrarit aliquam ex actionibus hæc clausula prohibitis; non videri incurrere in hanc censuram, ob rationem allatam pro parte negante propositæ difficultatis. Altero modo prosequi posse causam iniustam, non quidem euidenter agendo contra iniustitiam: sed vtendo medijs aliquibus licitis vel indifferentibus: aut etiam si licitis, non tamen directè facientibus contra aliquam ex personis quæ istius excommunicationis sententiâ protegentur: sicut fieri potest prorogando terminos, adferendo coniecturas probabiles, vtendo aliquibus cauillationibus quibus præsentis, temporis Aduocati & Procuratores abundare valent: & ita probabile est, quod occidendo, percutiendo, aut bonis spoliando aliquam ex illis personis, incurratur hæc censura: Tunc enim communiter non apparet euidentis iniustitia ob quam à Papa dictum absolute, accipi debeat cum restrictione: sæpeque passio facit parti apparete quædam euidenter iniusta esse, quæ ne probabiliter quidem sunt talia: immo nec vllam iniustitiæ speciem frequenter præ se ferunt.

CAPVT XXI.

De decimatercia excommunicatione in eos qui appellant à grauamine vel futura executione literarum Apostolicarum ad læsam potestatem: lata his verbis.

Item excommunicamus & anathematizamus omnes tam Ecclesiasticos quam seculares, cuiuscumque dignitatis; qui præterentes friuolam quandam appellationem à grauamine vel futura executione literarum Apostolicarum etiam in forma breuissimæ gratiam, quam iniustitiam concernentium: necnon citationum, inhibitionum, sequestroium, monitorioium, processuum executorialium & aliorum decretorum, à nobis & Sede prædicta, seu Legatis, Nuncijs, Præfidentibus palatii nostri & cameræ Apostolicæ auditoribus, Commissarijs, alijsque Iudicibus & Delegatis Apostolicis, emanatorum, & quæ pro tèm pore emanant, aut alias ad

Curias

Curias ſeculares, & laicam poteſtatem recurrunt: & ab ea inſtante etiam ſiſci Procuratore, vel Advocato appellationes huiusmodi admittit, ac literas, citationes, inhibitiones, ſequiſtra, monitoria, & alia prædicta capi & retineri faciunt: quive illa ſimpliciter vel ſine eorum beneplacito & conſenſu, vel examine executioni demandari; aut ne Tabelliones, & Notarij ſuper huiusmodi literarum & proceſſuum executione, inſtrumenta vel acta conficere: aut conſecta parti, cuius intereſt, tradere debeant, impediunt, vel prohibent: ac etiam partes ſeu eorum agentes conſanguineos, affines, familiares, Notarios, executores & ſubexecutores, literarum, citationum, monitoriorum & aliorum prædictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex ciuitatibus, locis & regnis eiiciunt, bonis ſpoliant, perterrefaciunt, concutiunt, & comminantur per ſe vel alium ſeu alios, publicè vel occultè; quive alias quibuſcumque perſonis in genere vel in ſpecie, ne pro quibuſvis eorum negotiis proſequentis, ſeu gratiis, vel literis impetrandis, ad Romanam Curiam accedant, aut reſuſum habeant ſeu gratiis ipſas vel literas à dicta Sede impetrent, ſeu impetratis utantur: directè vel indirectè prohibere, ſtatuerè, ſeu mandare, vel eas apud ſe aut Notarios ſeu tabelliones: vel alias quomodolibet retinere præſumunt.

S V M M A R I V M.

- 320 *Cauſa, ob quaſ, & perſona in quaſ fertur decimarum excommunicationis Bulla Cœna.*
 321 *Friuola appellatio, qua mouit Papam ad eam ferendam.*
 322 *In eam incurrit qui impediunt aut prohibent executionem propoſitam ſine Principis ſui beneplacito.*
 323 *Prohibitionem requiſitam ad eam incurramdam ſufficit quidem factam eſſe per ſtatutum; ſed ita, vt & debeat facta eſſe cum remittente, & præſumptione.*
 324 *Recuſans obedire literis Apoſtolicis eo prætextu quod non habeatur beneplacitum Principis: aut tale beneplacitum ſibi procurans, nõ incurrit in hanc excommunicationem.*
 325 *Extra eum caſum, quomodo recuſans in eamdem incurrit.*
 326 *Quando Magiſtratus aut Princeps incurrit in hanc excommunicationem ratione ſui conſenſus, aut examinis circa literas Apoſtolicas.*
 327 *De excuſatione ab hac excommunicatione ob metum Principum.*
 328 *Oſeruanda de prohibitione, impedimento, & examine ob quaſ ſua excommunicationis imponitur.*
 329 *Perſona à quibus emanare debent literæ Apoſtolicæ hinc ſub excommunicatione prohibita impediri ne mandentur executioni.*
 330 *Reſpectu ſupplicationum Apoſtolicarum non incurritur hæc excommunicationis, nec reſpectu literarum Penitentiarie.*
 331 *Idem dicendum reſpectu literarum Congregationis inſtitute pro reſponſione ad difficultates circa Concilium Tridentinum.*
 332 *Reliqua notanda circa verba præſentis clauſula.*

330. **M**ateria huius excommunicationis ex Calet. verbo Excommunicationis cap. 17. & 19. eſt ſacrilegium quo offendiſtur Sedis Apoſtolicæ authoritas, ſive in ſuis ſuorumque literis, ſive etiam in ſuis Notariis, Executoribus, & Subexecutoribus: quæ quidem literæ, ſcripturæve Apoſtolicæ ſunt Bullæ & Breuia: tam gratiam, quam iuſtitiam concernentia: ac citationes, inhibitiones, ſequiſtra, monitoria, proceſſus executoriales, & quæcumque alia decreta quæ emanant à Summo Pontifice, & Apoſtolica ipſius Sede; vel à Legatis aut à Nuntiis Apoſtolicis, vel à Præſidentibus Apoſtolicis, vel Auditoribus cameræ Apoſtolicæ, vel à Commiſſariis Apoſtolicis, vel ab aliis Iudicibus Apoſtolicis vel à delegatis Apoſtolicis. Perſonæ autem in quaſ eadem hæc excommunicationis fertur ſunt variæ: quæ reuocantur ad quinque capita: quorum primum continet primò eos, qui prætextentes friuolam appellacionem, recurrunt ad poteſtatem laicam, & prædictas literas capi & retineri faciunt. Secundò, impediennes. Tertio prohibentes, & tales Scripturæ ſimpliciter vel ſine eorum beneplacito aut examine mandentur executioni. Secundum continet primò impediennes; ſecundò, prohibentes acta conſeci ſimpliciter, aut ſine eorum beneplacito vel examine, ſuper executione earundem ſcripturarum, ſeu li-

terarum Apoſtolicarum. Tertium continet impediennes vel prohibentes acta conſecta ſuper literarum prædictarum executione parti cuius intereſt, tradi ſimpliciter à ut ſine ipſorum beneplacito vel examine. Quartum continet eos qui partes ac eorum agentes, conſanguineos, affines, familiares, Notarios, executores, & ſubexecutores ſcripturarum Apoſtolicarum capiunt, percutiunt, vulnerant, in carcerant, detinent, ex ciuitatibus vel regnis eiiciunt, bonis ſpoliant, perterrefaciunt, concutiunt, comminantur, per ſe vel alium ſeu alios: publicè, vel occultè. Quod intellige cum Toledo in expoſitione excommunicationis nonæ ſub initium: ſi talia faciunt occasione & intuitu prædictarum ſcripturarum. Quintum caput continet prohibentes directè vel indirectè, quacuſcumque perſonas pro quibuſvis negotiis proſequentis aut gratiis vel literis impetrandis ad Romanam curiam accedere, aut recurrere aut impetrari vti. Præterea præſumentes eandem literas; ut apud Notarium, aut apud Tabellionem aut apud ſe quomodolibet retinere.

Pro explicacione notandum eſt primò, iuſtam cauſam iſtius excommunicationis ferendæ indicari verbis poſitis initio propoſitæ clauſulæ quæ fertur, *Prætextentes friuolam quandam appellacionem à grauiſſime, &c.* quæ aperte inſinuant, ſic dolo & mala fide agi aduerſus Apoſtolicæ ſedis authoritatem in præſenti materia; vt ad reſiſtendum opus ſit Eccleſiaſticum gladium vi maxima vibare. Vnde conſequenter intelligitur, quod attingit à *Graphijs lib. 4. deciſ. aurearum cap. 18. num. 108.* huic cenſuræ non ſubſiſci eum qui bona fide ageret; ſciens v.g. tales literas, ſubreptias vel obreptitias eſſe: eo quod contra debitam Papæ intentionem contineant apertam iniuſtitiam, à qua nequeat aliter ſe protegere quam recurrendo ad poteſtatem laicam. Qua tamen in re diligenter retinenda eſt cautio propoſita in fine præcedentis capitis, ne forte appellacionem quæ re vera friuola eſt, appetitus inordinatus faciat apparere aliam.

Cæterum videri poteſt Pontifex iſdem verbis alludere ad illud quod contrauenientes huic decreto ſolent dicere: *Et talia facere vt conſulant propriæ Reip. vtilitati.* Quæ quidem excuſatio ideo friuola, nulliusque momenti cenſetur, quod Summo Paſtori, cui iure diuino ſubiſciuntur, reſiſtere non liceat ipſis, niſi quando ille tyrannicè ſe gereret, ipſoſque contra iuſtitiam opprimere vellet: neque proponentiſus difficultates ſuas, ac Reipublicæ ſuæ detrimenta, vellet vlla alia via prouidere; tunc enim excuſationem haberent. At neque ipſi proponunt, neque grauamen, ſeu damnum prætendunt ita magnum, quin ſcandalum quod ex ipſorum inobediencia ſequitur, ſit longè malus ac ſibi aliſiſque pernicioſus. Idipſum Toletus habet loco citato.

Notandum eſt ſecundò, diſtinctionem & coniunctiõnem quam fecimus perſonarum, quæ hinc excommunicantur, indicari diſtinctionem quidem per diſiunctiõnem, vel, quæ indicat plura ſimul poſita, ſeu ſim accipienda eſſe: atque ad eo vnum ſine aliis ad hanc excommunicationem ſufficere. Coniunctiõnem verò, per coniunctiõnem, *Et*, indicantem ſimul poſita, eſſe ſimul capienda: ideoque; vñ ſine aliis nõ ſufficere ad excommunicationem hanc incurramdam. Quamquam interdum ſubiecta materia cogit ipſam coniunctiõnem, pro diſiunctiõne ſumere: vt patebit in ſequent. notab. ſexto.

Cæterum quamuis hinc expreſſa mentio fiat tantum eorum qui literas ſeu ſcripturas Apoſtolicas ſuperius expreſſas impediunt, aut prohibent executioni mandari ſine beneplacito, & conſenſu vel examine ipſorum: probabile eſt tamen comprehendere etiam illos qui non quidem ſine ſuo, ſed ſine ſui Principis conſenſu, & beneplacito executioni mandari impediunt. Ratio eſt, quod odia & pœnæ extendi debeant interpretatione, quotieſcumque aliqui vls legis euacuarent, & eluderetur: ſicut hinc contingeret. Nam ſi quilibet magiſtratus impunè poteſt prohibere, ne ſine conſenſu ſui Principis literæ cuiusmodi mandentur executioni; quantumuis nequeat prohibere, ne ſine ſuo conſenſu id faciat, ſi quando contigerit omnes omnium Principum Magiſtratus eo modo prohibere, impediretur omnium Apoſtolicarum literarum executio; nec vlla earum mandaretur executioni abſque ſecularium hominum & potentium conſenſu; quod eſt contra ſinem & ſubſtantiam huius ſententiæ: quæ inde ſic elude-

retur vt prorsus inutilis esset. Neque his obstat regula vulgaris; quod odia restringi, & fauores ampliari debeant. Nam ea tunc solum locum habet, cum finis & substantia præcepti potest alioqui saluari. Hæc autem non potest, vt prædiximus. Neque necesse fuit expressam Principum mentionem fieri: quia Magistratum & Principum beneplacitum pro eodem accipi potuit, vnumque in alio intelligi, cum idem sit vtrorumque tribunal.

323. Notandum est tertio, circa verba *impediunt vel prohibent*, ad hanc censuram incurrendam non requiri vt qui impedit, simul prohibeat, sed sufficere vt quoque modo impediatur. Neque item vt ad factam prohibitionem sequatur reale impedimentum: quia particula disiunctiva, *vel*, satis ostendit sufficere siue impedimentum solum, siue prohibitionem solum memoratæ executionis literarum Apostolicarum. An autem sufficiat per statutum generale impedire aut prohibere, dubitari potest; cum verba impediendi vel prohibendi, neque id expriment, neque innuant: significant enim actus qui exercentur in particulari. Sed quamuis id ita sit, sentiendum est tamen sufficere: quia statuta eiusmodi magis aduersatur executioni literarum Apostolicarum, quam actuali impedimento vel actuali prohibitioni: quoniam illud est velut radix & fons, hæc velut fructus, & riuuli:posito que statuto impedimentum sit generale: quod sine statuto, contingit solummodo particulariter in aliquo singulari.

Notandum est quarto, quod quamuis in præsentia clausula non habeatur, sicut in præcedentibus, verbum *Non venentur*, quo significatur præsumptio & temeritas in agendo: sed simpliciter dicatur impediunt vel prohibent: nihilominus tamen probabile esse ad hanc censuram incurrendam requiri quoque temeritatem seu præsumptionem in impediendo, vel prohibendo executionem, de qua hic agitur, literarum Apostolicarum. Ratio est: quia cõmuniter tam graui huius Bullæ pœna non solent puniri actus, nisi sint temerarij. Hinc ab ista excommunicatione videri potest ille excusari, tanquam non agens præsumptuosè, qui nouus in aliquo Magistratu, ex repentino timore sui Principis, vel ex simplicitate aut ignorantia seu inconsideratione, prohiberet sine suo vel Principis sui consensu, aut examine, oblatas literas seu scripturas Apostolicas executioni mandari: ita vt admonitus postea ab alio, vel re apud seipsum melius considerata, reuocaret prohibitionem: diceretque id ad se nihil pertinere, vel se nolle cognoscere de scriptis Apostolicis; sed permittere, qualia sunt, mandari executioni.

324. Notandum est quinto: ipso nomine impediunt aut prohibentium non contineri, neque in hac excommunicationem incurere eos, contra quos emanatæ sunt literæ Apostolicæ, quando eisdem obedire reculant hoc titulo seu colore, quod super illis non sit obtentum beneplacitum Magistratus aut Principis permittentis eam executionem. Ratio est: quia tales nec impedire, nec prohibere dicuntur verè, ac propriè; neque datur causa cur ad eos extensio in hac resit facienda. Immo datur in contrarium, cur non sit facienda: qualis est quod obtemperantes ante obtentum beneplacitum Magistratus aut Principis permittentis eam executionem. Ratio est: quia tales nec impedire, nec prohibere dicuntur verè, ac propriè; neque datur causa cur ad eos extensio in hac resit facienda. Immo datur in contrarium, cur non sit facienda: qualis est quod obtemperantes ante obtentum beneplacitum Magistratus aut Principis permittentis eam executionem.

325. Notandum est sexto, circa verba, *Sine eorum beneplacito, consensu, vel examine*, quodcumque horum trium interueniat, sufficere ad incurrendam hanc censuram; hoc est, siue Magistratus prohibeat executioni mandari scripturas Apostolicas sine suo beneplacito & consensu, *qua duo in idem recidunt*, etiam si de examine nihil curet: siue contra prohibeat executioni mandari sine suo examine, sed ita vt nolit requiri suum consensum, sed solum velit eas examinare; & post examen reddere ita illas & immutatas, ac acceptis, nullo addito signo, vel nota sui consensu. Huius rei ratio sumitur ex particula disiunctiva, *Vel*, cuius vis est, facere vt singula seorsim valeant. In eo enim à coniunctiua distinguitur, quæ ordinariè facit, vt non nisi simul aliqua valeant. Dico au-

tem ordinariè, quoniam ea nonnunquam ad instar disiunctiua, facit vt singula seorsim valeant, quod diiudicandum est ex materia subiecta.

Notandum est septimo: cum non prohibetur hoc loco, ne Magistratus aut Principes seculares consensum suum ac beneplacitum præsentent scripturis Apostolicis, ne illas examinent; solum ne impediatur, aut prohibeatur eas executioni mandari sine ipsorum beneplacito & consensu, vel examine: posse rectè inferri: quod si quis Princeps, aut Magistratus liberè permittit sine suo consensu & examine Apostolicas literas executioni tradi; sed requisitus ab alio siue ad maiorem cautelam, siue ad maius robur earundem scripturarum, sub aliquibus temporalibus pœnis grauioribus, præcipere obtemperari illis, executorialesque literas ad id concederet: in hanc censuram non incurrit; quantumuis in pretium talis beneplaciti sui, aliquid exigi præcipere.

Inferri quoque potest quod si Princeps aliquis nulla facta prohibitione, ne executioni mandetur id quod literis Apostolicis continetur, easdem literas diligenter examinaret siue ex curiositate, vt videret aliquam iniustitiam contineri, siue bono zelo vt Pontificem de iniustitia, si quom inueniret moneat: siue quocumque alio sine: neque incidere in hanc censuram: quia non impedit neque prohibet eam de qua hic agitur, executionem. Illi aut qui sic examinant literas Apostolicas, aut sine suo beneplacito eas executioni mandari prohibent: vt ipsi sumant sibi cognitionem causarum in illis contentarum, vel intque iudicare an iniustitiam aliquam contineant, incurrunt quidem in excommunicationem: sed per sequentem Bullæ clausulam, non verò per hanc: in qua sermo tantum est de illis qui prætextu quodam consensu ad absolute iurisdictionem Principum secularium, nolunt quidquam recipi ex ordinationibus Apostolicis, nisi habita Principis approbatione. Ex quo principio facile est illos eò vique progredi, vt velint de iustitia scripturarum Apostolicarum cognoscere: quod tam est contra iustitiam, quam si vnus Rex vellet de iustitia literarum alterius Regis cognoscere; quandoquidem Papæ iurisdictionem suam Ecclesiasticam habet à Christo, non minus independentem à iurisdictione laica, quam Rex secularis suam habet independentem à quavis alia laica.

Notandum est octavo: notarios, executores, & subexecutores prædictarum literarum, si nolint conficere acta super eiusmodi executione, vel confecta nolint parè tradere, nisi prius interuenit beneplacitum, aut examen Principis, vel magistratus permittentis eandem executionem, non incidere in hanc censuram. Neque item Prælatos Ecclesiæ, ad quos frequenter tales literæ diriguntur, si eis non videntur, nec eas executioni tradant, nisi obtento prædicto beneplacito. Multo minus verò incidere inferiores Iudices, ac ministros iustitiæ, capitaneos, lictores, aliosque id genus, si inuocati ad opem ferendam pro eadem executione, recusat ferre, quousque super illis obtineatur supra dictum beneplacitum. Ratio est: quia hæc sententia excommunicationis non fulminatur aduersus eos qui non exequuntur, nisi habito beneplacito, vel qui simpliciter non sequuntur: sed aduersus eos qui impediunt vel prohibent executionem. Neque illorum est litem in seipsis suscipere aduersus Principes ac supremos magistratus, pro defensione literarum seu scripturarum Sedis Apostolicæ: sed ad eam ipsam Sedem id pertinet, quæ viâ potest. Quod si per hanc sententiam cogendo non proficiat, neque vlietius aduersus ipsorum Principum aut Magistratum reculant obedire, quousque prædictis literis accesserit eorum beneplacitum.

Si quæras an etiam excusentur à peccato. Respondeo neque virtute sententiæ qua excommunicatio hæc profertur illos peccare: quia nihil in ea præcipitur de talibus personis, neque virtute scripturarum Apostolicarum, quando non continent expressum præceptum super ea re: ad peccatum enim requiritur transgressio præcepti. Nec tamen quando in scriptis Apostolicis continetur simplex præceptum, quo alicui prædictarum personarum præcipitur literas ipsas Apostolicas executioni mandari, aut super eam e executionem

nem acta conficere: si qui lem Principis prohibitio fuerit, qua absque suo consensu & beneplacito id fiat: præceptum huiusmodi videtur intelligi si interueniat Principis beneplacitum; ita vt hoc deficiente illud non obliget: ob periculum scilicet conflandi sibi magnam ipsi inuidiam, exponendique se periculis magnis tormentorum & aliarum pœnarum. Etenim præceptum humanum tunc non obligat, cum quid cum illius obseruatione concurrat, quod metum grauem adfert, quodque vir prudens meritiò formidet. Adde quod ex tali obseruatione nasci possit in Rep. perturbatio sine fructu; & cum damni, etiam spiritualis periculo.

Notandum est nonò, ex Nauarr. in Enciclov. cap. 27. nu. 68. ver. 2. ad incidendum in hanc censuram non esse necessarium vt prædicta impedimenta fiant auctoritate iudiciali & laica sed satis esse si fiat auctoritate priuata vel Ecclesiastica: quod est, hac excommunicatione innodari omnem eum qui literarum Apostolicarum executionem impediuit, siue persona sit priuata siue publica, id est, quilibet siue Clericus sit, siue laicus priuatam degens vitam: & siue sit laicus Magistratus aut Princeps cuiuscumque præminentie & dignitatis; & siue Ecclesiasticus Prælati; Patriarcha, Primas, Archiepiscopus, Episcopus, &c. Ratio Nauarr. est, quia nulla sunt verba huius clausulæ, quæ vel priuatam personam, vel publicam: Ecclesiasticam, vel laicam excipiant aut quo quomodo innuant excipiendam. Neque deur ratio quæ id ostendat. Vnde vt est sententia generalis, sic debet generaliter intelligi. Neque Episcopus in hac re sibi potest plus sumere quam ceteri. Nam ipse Episcopus dignitas non constituit eum literarum Apostolicarum Iudicem, sed potius Apostolicæ Sedi tanquam Papæ in regimine Ecclesiæ administratum, omnino subdit. Potest tamen sine hac censura ac etiam absque peccato mortali, prohibere literas scripturasque Apostolicas executioni mandari, non habito prius consensu ipsius, vel nisi per ipsum prius examinentur: non vt iudicet de iustitia earum; neque vt circa easdem, si consisterint Apostolicas esse, seu emanatas ab aliqua personarum, de quibus in sequenti notabitur: aliquod prohibeat, mutet, impediatur, &c. sed solum vt eximinet & recognoscat, an sint literæ Apostolicæ veræ, an falsæ, aut an surreptitiæ, prout sæpe contingere obseruatum est. Ac quando Episcopus ipse inueniret aliqua signa falsitatis aut surreptionis, posset Sedem Apostolicam monere eiusque voluntatem inquirere: interea suspendendo executionem talium literarum, quo usque ab eadem Sede certior de veritate fiat. Si quæras an laico magistratu liceat illo eodem modo examinare prædictas literas, similiterque prohibere executionem earum fieri sine suo beneplacito. Respondetur, probabile esse ab hac censura, tunc excusari, cum non faciat contra Pontificis in hac clausula mentem: quandoquidem non vult cognoscere de literis, quas constat Apostolicas esse, atque legitimas.

Notandum est decimò, enumerari diuersa genera personarum à quibus emanare debent scripturæ, quarum executionem impediens, aut prohibens fieri sine suo beneplacito, vel examine, hic excommunicantur; nempe Summum Pontificem, atque Apostolicam Sedem, Legatos ipsius, Nuncios, Præsidentes cameræ Apostolicæ, Auditores, Commissarios, aliosque Iudices, & delegatos Apostolicos. Quorum personarum inæqualis est facultas: tum in ordine ad causas & negotia; quia aliis plures, aliis pauciores causæ committuntur: tum in ordine ad loca in quibus dictæ literæ debent recipi, & earum executio impediti vetatur. Alij enim potestatem habent in totum orbem Christianum; alij in particulares provincias, regna, ciuitates, aut personas: quod notare oportet ad iudicandum de plerisque, vt cum incurrat in hanc censuram.

In Summo Pontifice igitur, & in Sede Apostolica consequenter plenitudo est potestatis, à quo profectæ literæ Apostolicæ, possunt quamcumque causam spiritalem complecti: immò & temporalem, quatenus ad spiritalem ordinatur tanquam pertinens ad fidem, moremque populi Christiani. Item possunt esse ita vniuersales, vt concernant totum orbem Christianum: quod non semper contingit, sed aliquando pertinent ad certas provincias, locaque particularia. Quando autem vniuersales sunt, vbique recipi debent, & quilibet prohibet vel impedit, ne sine suo beneplacito, & ex-

amine recipiantur, & executioni mandentur, vbiuis locorum id faciat, incidit in hanc censuram. Quando verò sunt particulariores, recipi debent in illis locis ad quæ sunt directæ; seu in quibus extenore ipsarum colligitur, eas habere suas vires.

Quod idem videtur iudicandum de Auditore cameræ Apostolicæ, quantum ad locorum vniuersitatem, cum sit Iudex ordinarius Papæ: non tamen quantum ad vniuersitatem causarum & negotiorum, cum Pontifex nulli solet totam suam auctoritatem delegare. Quamquam super quascumque causas idem Auditor scripturas Apostolicas expedierit, credendum est ipsum potestatem habere id faciendi & consequenter obediendum esse. Præsidentes verò, quorum hic fit mentio, potestatem siue ordinariam siue delegatam in causis & negotiis particularibus habere solent in ordine ad quaslibet terras Christianorum, & ideo quotiescumque ad aliquem in quouis loco existentem, vel ad ciuitatem scribunt, literæ, ipsorum sunt recipiendæ. Legati autem Apostolici potestatem communiter habere solent tantum in terris sue legationis, & aliquando in omnibus quoque terris, & diocesisibus terrarum per quas transeunt: non tamen semper æqualem, quia solent Romani Pontifices aliquando maiorem, aliquando minorem concedere pro qualitate personarum. Nunciij verò habent potestatem in illis regnis ad quæ sunt destinati Nunciij: quæ potestas minor esse solet potestate legatorum. Commissarij præterea potestatem habent solum in locis sue commissionis: & cum adhuc præcedente minorem. Iudices denique in locis & causis ad eorum tribunal, & delegationem pertinetibus, & non vltra.

Difficultas autem est de nonnullis literis quarum non est in hac clausula facta mentio expressa: num earum executionem impediens incurrat in hanc censuram. Ac primò occurrunt supplicationes Apostolicæ concernentes gratiam, vel iustitiam per Romanum Pontificem vel S. R. E. vicecancellarium, seu per gerentes eorumdem vices, aut de mandato eiusdem Romani Pontificis signatas & datatas: de quibus antè egimus cum de lex a excommunicatione quæ in falsariis earum profertur. Tenendum autem videtur de talibus: quod prohibentes earum executionem, in hanc censuram minimè incurrant cum ea nullo modo contineantur hac clausula: non quidem expressè, vt manifestum est; neque tacite, quia maximè continerentur sub nomine literarum Apostolicarum: sub aliis enim, quomodo contineantur non apparet. At non continerentur sub nomine literarum Apostolicarum, vt ex eo intelligitur, quod in clausula memoratæ sextæ excommunicationis tanquam inter se distinctæ, seorsim nominentur literæ Apostolicæ, & supplicationes gratiæ vel iustitiam concernentes, per Romanum Pontificem, vel sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarium seu gerentes vices ipsorum signatas.

Occurrunt secundò literæ pœnitentiariæ, quæ expediti solent nomine Maioris pœnitentiarij; qui cum non sit legatus, neque Nuntius, neque Auditor cameræ, neque Præsidentis, neque Iudex, neque Commissarius neque delegatus; de illius literis idem videatur dicendum, ac de supplicationibus dictum est: maximè cum nec determinari possit, sub quibus verbis clausulæ, illæ dici valeant contineri.

Occurrunt tertio, literæ congregationis Concilij Trid. quibus aliquis eiusdem Concilij locus declarari solet. De quibus idem ac de præcedentibus videtur dicendum. Non enim apparet sub quibus verbis huius clausulæ possint comprehendendi. Non enim sunt literæ Apostolicæ: quia licet conficere Pontifice, vel de eius mandato scribantur: non ipsius tamen; sed congregationis nomine scribi solent, ac subscribi ab aliquo ex illustrissimis Cardinalibus: hic autem non fit mentio de literis scriptis de mandato vel consensu Papæ, sed solum de literis Apostolicis. Dices, mentionem fieri sub illis verbis Aliisque Iudicibus & delegatis Apostolicis, cum Cardinales prædictæ congregationis sint quasi Iudices à Summo Pontifice constituti ad declaranda Concilij loca, quoties circa ea occurrit difficultas. Respondetur, quod cum iidem Cardinales deputati sint ad declarandum, non ad dicendum ius, non videri Iudices esse aut delegati, de quibus in hac clausula est sermo. Vnde consequens est secularis Magistratus examinantes tales literas aut executioni

332.

mandati prohibentes, non incidere in hanc censuram.

Notandum est vnde dicitur, sicut priore parte huius clausule prouidetur executioni literarum Apostolicarum: ita posteriore prouidetur personis in ordine ad talium literarum usum, vel in pertrationem: nempe Notariis, & Tabellionibus, partibus, & agentibus ipsarum, executoribus & sub-executoribus atque accedentibus, aut recursum habentibus ad Romanam curiam. Vbi aduerte discrimen esse inter accedere, & recursum habere: quod accedere, fit per se ipsum, & in propria persona ad locum aliquem se conferre. Recursum habere verò, fit quoquo modo, siue in propria persona, siue per literas, siue per procuratorem, sua negotia ad Romanam curiam deferre, vt in ea tractentur: adeo vt recursum habere, lauius pareat, quam accedere.

Notandum est postea vnde circa vltimam clausulam particulam: illa non contineri eos qui quaesito aliquo colore, dolo, arte, & fraude, impediunt aliquem, ne ad Romanam Curiam pro causis, gratiis, vel literis accedant, aut recursum habeant; neque gratias vel literas impetrant: sed solum eos qui directe vel indirecte, ne quid eorum fiat, prohibent, statuunt, vel mandant, vel praedictas gratias aut literas apud se, aut Notarios, vel alios, quomodolibet retinere consueverunt. Quod praesumen, si verbum, aduerte indicare in hac re ad excommunicationem requiritur sic veritas, fiant per praesumptionem & temeritatem: ideoque ignorantiam & bonam fidem ab ea posse excusare.

CAPVT XII.

De decimaquarta excommunicatione: in eos qui causas spirituales aut spiritualibus annexas ab auditoribus & commissariis Apostolicis, alijsve Iudicibus ecclesiasticis auocant, lata his verbis.

14. Item excommunicamus & anathematizamus omnes & singulos, qui per se vel alios, auctoritate propria ac de facto, quorumcumque exemptionum vel aliarum gratiarum, & literarum Apostolicarum praetextu; beneficiales, & decimarum, ac alias causas spirituales, & spiritualibus annexas, ab auditoribus, & commissariis nostris aliisque Iudicibus ecclesiasticis auocant, illarumve cursum & audientiam, ac personas, capitula, conuentus, collegia, causas ipsas prosequi volentes, impediunt, ac se de illarum cognitione tanquam Iudices interponunt. Quae partes aditricas, quae illas committi fecerunt, & faciunt: ad reuocandum, & reuocari faciendum, citationes vel inhibitiones, aut alias literas in eis decretas; & ad faciendum vel consentiendum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, à censuris & poenis in illis contentis absolui; per statutum, vel alias compellunt; vel executionem literarum Apostolicarum, seu executorialium processuum, ac decretorum praedictorum, quomodolibet impediunt: vel suam ad id fauorem, consilium, aut assensum praestant, etiam praetextu violentiae prohibendae, vel aliarum praetensionum, seu etiam donec ipsi ad nos informandos, vt dicunt supplicauerint; nisi supplicationem huiusmodi coram nobis & Sede Apostolica legitime prosequantur: etiam si talia committentes, fuerint Praesidentes Cancellariorum, Consiliariorum, Parlamentorum, Cancellarij Vicecancellarij, Consiliarij, ordinarij, quorumcumque Principum saecularium: etiam si imperiales, regali, ducali vel alia quacumque praesulgeant dignitate, aut Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Commendatarij, seu Vicarij fuerint.

SVM MARI VM.

333 *Actioes ob quas, & persona in quas decimaquarta excommunicatione fertur.*

334 *Non est quidem haec excommunicatio antiqua in Bulla Cœnae est tamen in corpore iuris cap. Quoniam de immunit. Eccles. In quo, ob quas actioes, & in quas personas fertur.*

335 *Excommunicatio haec imponitur, qui ea ob qua imponitur, agunt publica auctoritate.*

336 *De triplici praetextu quo aliqui se regunt: & an necessarium sit aliquem eorum interuenire ad hanc excommunicationem incurrandam.*

337 *De praetextu prohibendae violentiae.*

338 *Explicatio dubij, an incurant in hanc excommunicationem, qui illo praetextu impediunt executionem literarum Apostolicarum post appellationem in tempore, & forma interpositam.*

339 *Explicatio alterius dubij. An Reges defendere possint eos qui colorato aliquo titulo possident ecclesiastica beneficia.*

340 *Cautio adhibenda in tali defensione.*

341 *Abusus est, quod à Laicis Iudicibus coguntur Iudices ecclesiastici processus originales ad ipsos mittere.*

342 *Nulla modo licet laicos intrinsece se in causis spiritualibus: & quid agere debeant: si in eis subditi ipsorum videntur.*

343 *Quomodo praetextus supplicandi Papae, non excuset ab haec excommunicatione.*

344 *Quis praetextus ab eadem excuset.*

345 *Collatio cap. Quoniam, de immunitate Eccles. cum hac clausula Bullae Cœnae.*

346 *Nota circa cap. vnicum De iis qui vi in 6.*

Huius excommunicationis materia ex Caetero in verbo Excommunicatio cap. 30. est sacrilegium quo offenditur Sedis Apostolicae auctoritas in cognitione causarum spiritualium & spiritualibus annexarum. Personae in quas profertur, sunt: tum generaliter ceteri, tum nominatim. Primum quidem Praesidentes Cancellariorum: secundum Praesidentes Consiliariorum, tertium Praesidentes Parlamentorum: quartum, Cancellarij: quintum, Vicecancellarij: sextum Consiliarij ordinarij vel extra, ordinarij quorumcumque Principum saecularium quacumque praesulgeant dignitate: septimum, Archiepiscopi: octauum, Episcopi: nono abbates: decimum Commendatarij: undecimum, Vicarij: quatenus eos circa certas causas eius personis commissa, quaedam agere contingit, cuiusmodi certae causae sunt: primum, causae beneficiales: secundum, causae decimarum: tertium, causae aliae spirituales; vt de matrimonio, diuortio, excommunicatione, peritio, simonia, & similibus: quartum, causae annexae spiritualibus, vt de iure patronatus, de feudo Ecclesiae, &c. Personae quibus tales commissae hic dicuntur: sunt primum, Auditores Summi Pontificis 2. eiusdem Commissarij, 3. alij Iudices ecclesiastici. Ea demum quae contingit agere circa easdem causas, hinc prohibentur sub excommunicatione; sunt principaliter quidem, 1. causas huiusmodi à praedictis Auditoribus, Commissariis vel Iudicibus auocare. 2. impedire illarum cursum & audientiam. 3. impedire personas, capitula, conuentus, collegia volentia prosequi easdem causas. 4. se de illarum cognitione tanquam Iudices interponere. 5. partes aditricas quae praedictis personis causas praedictas committi fecerunt, & faciunt: per statutum, vel aliter compellere ad renocandum, & reuocari faciendum, citationes, vel inhibitiones, vel alias literas in eis decretas. 6. easdem partes similiter per statutum, aut aliter compellere ad faciendum vel consentiendum, vt contra quos tales inhibitiones emanarunt, absoluantur à censuris & poenis quae in eisdem inhibitionibus continentur. 7. quomodolibet impedire executionem literarum Apostolicarum, seu executorialium processuum ac decretorum. Quae verò minus principaliter & tanquam accessoria actiones hic prohibentur, sunt, praestare fauorem agentibus praedictis. 2. eisdem praestare consilium. 3. praestare assensum. Neque in his ad excusationem admittitur praetextus violentiae prohibendae, vel aliarum praetensionum quae solent adferri; exemptionum, gratiarum, & literarum Apostolicarum: ac ne quidem praetextus supplicationum faciendarum ad ipsum Summum Pontificem informandum: nisi si praetextus eorum eodem Summo Pontifice & Sede Apostolica, tales supplicationes legitime prosequantur.

Notandum est primum, clausulam qua excommunicatio haec profertur, non esse integram, sed solum partem illius qua feruntur adhaerentes sequentes. ita vt maioris tantum claritatis gratia quartor diuersis numeris distincta sit: vt coniectura satis aperta est, quod omnia quae sub illis diuersis numeris continentur, ad Ecclesiasticam libertatem pertineant: nec in eis repetantur verba Excommunicamus, & anathematizamus, vt factum est in singulis alijs. Id enim iudicio est, à positis in hoc 14. numero, pendere quae ponuntur in 4. autor sequentibus. Porro licet ista excommunicatio non videatur multum antiqua esse in Bulla Cœnae Domini; cum apud Sylu. qui tempore Leonis decimi scripsit

Summam

Summam caſuum, non numeretur inter eas quæ in eadem Bulla referuntur: non ideo tamen deſinit ſuum robur habere, quod totum accipit ex iuſtitia cauſe, & ſufficienti Papæ auctoritate eam ferentis. Neque nouitas in ea re aliud arguit quam poſteriorum temporum maior eſſe quam priorum, malitiam compellentem in veteriore poena, quam neceſſarium fuerit in iſdem prioribus temporibus. Adde, quod licet noua ſit in hac Bulla, antiqua tamen ſit in corpore iuris Canonici.

Notandum eſt enim ſecundò, in cap. Quoniam de immunitate Eccleſiæ in 6. ferri excommunicationem, cuius materia eſt facilegium, quo offendiſſet eccleſiaſtica libertas, quoad cognitionem cauſarum, Pertinentium ad æternum forum eccleſiaſticum; perſonæ verò in quas fertur ſunt; principales quidem, primò, illi qui litigantes, aut litigare volentes in foro eccleſiaſtico, ſive ordinario ſive delegato, aut imperatores literarum Apoſtolicarum, à lite deſiſtere compellunt per ſe, vel alium. Secundò, illi qui imperatores literarum Apoſtolicarum, aut alios litigantes aut litigare volentes in foro eccleſiaſtico, ordinario aut delegato, per ſe aut per alios compellunt de huiusmodi quæſtione litigare in foro ſeculari. Tertio, illi qui aliquem ex prædictis faciunt per ſe aut per alios compelli ad deſiſtendum à lite. Quartò, illi qui aliquem ex eiſdem faciunt per ſe, aut per alios compelli ad litigandum in foro ſeculari. Quintò, illi qui aliquem item ex eiſdem procurant per ſe aut per alios compelli ad deſiſtendum à lite. Sextò, qui aliquem adhuc ex eiſdem procurant per ſe aut per alios compelli ad litigandum ſuper huiusmodi cauſis, in foro ſeculari. Septimò, qui per ſe aut per alios impediunt quo minus coram Iudicibus eccleſiaſticis ordinariis, aut delegatis, querelantes de cauſis pertinentibus ad eorumdem iudicium & cognitionem, poſſint iuſticiam liberè obtinere. Perſonæ autem acceſſoriæ, ſunt dantes auxilium, aut conſilium, aut fauorem ad prædicta faciendam.

Adde verò cauſas in quibus contingit memoratas perſonas peccare, atque in excommunicationem memorati capituli incurſuræ: eſſe, prout in eod. cap. exprimitur, cauſas quæ de iure, aut antiqua conſuetudine pertinent ad forum eccleſiaſticum; vel ratione perſonarum, vel ratione negotiorum, vel ratione rerum: quod poſtea exponemus. Adde etiam modos cogendi ad lupradicta, aut faciendi prohibita ante receſſita, iſtos exprimi quoque in eodem capitulo: primum quidem, per captionem Iudicium eccleſiaſticorum, cotam quibus litigatur: ſecundum, per captionem eorum qui literas Apoſtolicas ſuper prædictis cauſis impetrarunt: tertium, per captionem litigantium: quartum, per captionem volentiū litigare: quintum, per captionem propinquorum quorumlibet ſupradictarum perſonarum: nempe Iudicum, litigantium, aut litigare volentiū: ſextum, per captionem rerum, cuiuslibet prædictorum: ſeptimum, per captionem Eccleſiarum eorumdem, id eſt per captionem beneficiorum: & ad extremum quocumque alio modo compellere aut compelli facere, aut procurare, aut impedire, ne coram Iudicibus eccleſiaſticis querelantes de cauſis pertinentibus ad eorum cognitionem poſſint liberè iuſticiam obtinere. Et quæuis Pontifex talis excommunicationis abſolutionem ſibi non referuat: eam tamen obtinendam duas condiciones ponit neceſſarias; alteram, vt illà irreuerſus, prius integrè ſatisfaciat Iudici cuius cognitio fuit impedita, & iuriſdictioni vturpata; alteram, vt parti quæ fuit turbata in proſecutione ſuis iuris, integrè ſatisfaciat pro iniuria, damnis, expenſis & intereſſe.

Notandum eſt tertio, circa perſonas, in quas excommunicationem hanc Bullæ Cœnæ ferri ante diximus, eas non eſſe ita generaliter intelligendas, vt comprehendant omnes qui quocumque modo, ſive per fraudem, ſive per dolum, ſive per minas, ſive aliter quomodocumque, cognitionem cauſarum ſpiritualium aut ſpiritualibus annexarum impediunt, aut aliquid cæterorum agunt quæ in hac Bullæ clauſula prohiberi diximus; ſed ſolum eos, qui auctoritate iudiciali; id eſt, qui impediunt vel aliquid cæterorum ante dictorum faciunt; gerendo ſe pro Iudicibus, prout Nauarr. notat in Enchir. cap. 27. num. 69. Iſtudque eſt quod initio clauſulæ indicant verba (qui per ſe vel alios propria auctoritate,) ſermo eſt enim de iſis qui iudicia exercent publicè auctoritate, ſive Laicæ ſive Eccleſiaſticæ: tales enim ſunt perſonæ expreſſæ

in fine eiſdem clauſulæ: in quas ab initio diximus hanc excommunicationem proferri.

Aduerte autem obiter, quod ſi quæſ gratias, exemptiones, aut literas Apoſtolicas Romanus Pontifex non vt Pontifex & caput Eccleſiæ, ſed vt ſecularis Princeps in ſuo temporali dominio conceſſiſſet alicui; & orta ſuper eis lite, præſidens Cancellariæ, aut alius ex iſis qui ſub ſinem huius ſententiæ commemoratur, illam ab Apoſtolicis auditoribus & commiſſariis auocaret, in hanc excommunicationem non incidere; propterea quod talis cauſa neque eſt hic expreſſa ſpecialiter; neque ſub illis generalibus verbis, ac alias ſpirituales & ſpiritualibus annexas, contineri poteſt: quandoquidem contra talem cauſam neque ſpiritualis, neque ſpirituali annexam eſſe.

Notandum eſt quartò, circa verba poſita ſub initio iſtius clauſulæ, quarumcumque exemptionum vel aliarum gratiarum, & literarum Apoſtolicarum prætextu: illis exprimi triplicem prætextum, quo ſeruati ſolent perſonæ, in quas hanc excommunicationem ferri prædiximus; quorum primus eſt exemptionum, ſecundus gratiarum (ſupple vtrobique Apoſtolicarum, cum in hac re non alia valeat pretendi exemptio, aut gratia quam indulta à Sede Apoſtolica) tertius literarum Apoſtolicarum. Vnde naſcitur difficultas, An ſi eadem perſonæ, nullo ex his prætextu; ſed vel ex mera ſua voluntate, vel ex imperio, & præſcripto ſui Principis, vel ex conſuetudine generali ſuæ patriæ, vel ſpeciali ſui officij, vel quomodocumque; cauſas ſupra memoratas auocent ab Auditoribus & Commiſſariis Apoſtolicis: aut alias actiones hic prohibitas exercent, incurrat in hanc cenſuram. Et ratio dubitandi eſt: quia ex vna parte, verba iſtius clauſulæ ſunt aperta, quibus non videtur Pontifex de illis loqui aliter, quam ſi aliquo eorum prætextuum talia faciant; nihilque omnino ponitur in eadem, per quod vel leuiter contractum inſinuetur. Non enim dicitur: qui quocumque modo, aut quid ſimile, ſed continuata oratione dicitur: Qui per ſe, vel per alium ſeu alios, auctoritate propria, & de facto, quarumcumque exemptionum, gratiarum, & literarum Apoſtolicarum prætextu: vnde rectè inferri videtur, quod ſi abſque hoc prætextu faciant, non incurrant in hanc cenſuram: præſertim cum lex poſitua ſit interpretatione reſtringenda, non autem amplianda.

Ex altera parte verò ſi iſti prætextus, vel aliquis eorum neceſſariò requiratur ad hanc cenſuram: primò deterioris conditionis eſſent qui aliquo prætextu ſatis apparenti, quam qui temerè nullo proſus prætextu hæc facerent. Deinde verborum illorum, auctoritate propria, vis hæc eſt, vt indicent illos etiam comprehendere, qui ſine vilo proſus prætextu faciunt ea quæ hic prohibentur. Nam qui prætextu gratiarum, exemptionum, &c. faciunt, ij non propria, ſed iplarum gratiarum Apoſtolicarum, atque adeo ipſius Papæ, auctoritate faciunt. Quarum rationum momenta, ſic difficultatem angent, vt qui veſt partem priorem, vt mitem & benignam ſequi, ei obſtet, quod à Pontificis intentione aberrare videatur, atque adeo ſequi quod nõ eſt tutum ſed periculū plenum.

Notandum eſt quintò, circa ea verba, prætextu violentiæ prohibenda, illis indicari cauſam quæ omnium ſpecioſiſſima, honeſtiſſimaque videri poteſt inſurgentibus hoc Summi Pontificis ſtatutum. Cum enim inter cætera, maxime commendetur cura quam Superiores gerunt ſuorum ſubditorum, ne ab aliis offendantur: Principes & officiales ipſorum facile putare ſolent, licere ſibi violentiam ſuis ſubditis illatam ab Auditoribus, & Commiſſariis Apoſtolicis depellere. Immo cum de iure naturæ licitum ſit cuique innocentem defendere, ab eoque violentiam prohibere, multò fanè magis id licitum ſit Principibus, magiſtratibus, & ipſorum officialibus. Vnde comuniſſimus eſſe ſolet talis prætextus. Circa quem Nauarr. in Enchir. cap. 27. num. 69. monet tria dubia.

Primum, an qui executionem literarum Apoſtolicarum contra aliquem emanatarum, impediunt poſt appellationem, aut ſupplicationem in tempore & forma interpoſitam prætextu violentiæ prohibendæ, contineantur hac clauſula. Secundum, an Reges regulariter poſſint defendere eos qui colorato aliquo titulo poſſident beneficia Eccleſiaſtica, ne abſque iuſta cauſæ cognitione deturbentur, vel ſpolicentur virtute literarum Apoſtolicarum. Tertium an bona ſeu licita ſit

ta sit consuetudo illa recentior, qua Iudices regij non solum protegent appellantes ne quidquam contra eos post appellationem innovetur, sed etiam cogunt Iudices Ecclesiasticos mittere ad se processus originales, vt si videbitur rectè appellatum, iubeant appellationibus desistere, & à censuris absoluerent. Quibus quartum addi potest, An ordinariè, aut saltem in aliquo casu, licitum sit seculari potestati prætextu violentiæ: seu, quod idem est, iniustitiæ prohibendæ interponere causis Ecclesiasticis, earumque cursum impedire, aut executionem literarum Apostolicarum prohibere, & alia per hanc Bullæ clausulam prohibita facere, quo enim casu id licitum esset non incurreretur hæc censura.

Explicatio dubiorum de prætextu violentiæ prohibendæ.

338. **A** Tque de primo dubio, Nauarr. ibidem ait. ipsum esse questionis quotidianæ adeo magnæ, vt dignissima sit, quam summa Ecclesiæ potestas, id est Summus Pontifex determinet, auditâ summa potestate seculari: Imperatoris inquam, Regum & aliorum summorum Principum neque ipse audeat quidquam antequam, sed Summo Pontifici determinationem relinquit: requirens ad eam, vt audiat dicta summa potestas secularis: id est, Imperator, Reges & alij summi Principes vt causas, quas habent proferant, quò illis plene examinatis veritas iustiore maturioreque iudicio determinetur. Cuius tanti viri suspensio iudicij, me quidem ex vna parte prohibet mæram precipitare, sed ex altera vrget charitas indicare periculum incurrendi in hanc excommunicationem, cui exponuntur impediens executionem literarum Apostolicarum, etiam post appellationem in tempore & forma interpositam. Cum enim talis censura absoluit, & simpliciter feratur in impediens executionem talium literarum: in illam iij incurrit, qui impediunt: siue ante siue post appellationem in tempore & forma interpositam, id faciunt. Sed obijci potest, quod prædictam executionem impediens post appellationem in tempore & forma interpositam nihil agant, aut agere intendant contra iustitiam: sed potius cooperentur ad conseruationem iustitiæ & ad impediendam iniustitiam: præsertim quando iniustitia est manifesta. Vnde sequitur non contrarietate prohibitioni factæ à Summo Pontifice, qui existimandus non est velle iniustitiam, quam si nosset, nullatenus literas expediret. Quocirca videtur concludendum, impediens earum executionem, *saltem quando iniustitia est manifesta*, nullo modo offendere Sedem Apostolicam, sed potius obsequi ei, defendendo iustitiam secundum ipsius intentionem; adeoque in hanc censuram minime incurrere cum imponatur ob quoddam sacrilegium, quo læditur Sedes Apostolica vt patet ex antedictis. Cui obijctioni ne cedamus, obstant, quæ in contrarium occurrunt. Primum enim opponi potest, quod non pertineat ad seculares examinare iustitiam literarum Apostolicarum; sicut nec ad virum secularem, literas alterius secularis, cum vterque est summus Princeps. Non enim minus suprema est Papæ potestas, quam cuiuscumque Principis secularis. Opponi potest secundo, quod offendatur Sedes Apostolica, dum contra ipsius voluntatem de iustitia, vel iniustitia literarum suarum, ille cognoscit ad quem id nullo iure pertinet. Si enim iustitiam contineant, Pontifex ipse vult eam defendere; sin iniustitiam vult eam depellere: ad quod præstandum non habet opus autoritate aliena. Tertio demum opponi potest, quod cum Summus Pontifex hic excommunicet omnes facientes aliquam ex actionibus quas ipse prohibet; neque excipiat eum qui agit post appellationem in tempore & forma interpositam, non videatur locus relicti exceptioni. Si enim Papa sine exceptione loquitur, quomodo audebitus illius dictum exceptione restringere: præsertim nulla fulti peccellaria ratione.

339. De Secundo dubio Nauarr. in eod. num. 69. ait in Hispaniis & Galliis pro reindubitata haberi, quod Reges regulariter eos qui Beneficia Ecclesiastica aliquo colorato titulo possident possint defendere, ne absque iusta cognitione causæ deturbentur, vel spolientur virtute literarum Apostolicarum: quod vt vbiq; ferè, inquit, in illis regnis seruatur: multi il-

lud iure munire conantur. Neque ipse aliud addit ad dubij solutionem, sed statim ad tertium transit, sine ob reidifficultatem, siue ne loqui cogereur contra communem eam sententiam tam mulatorum Doctorum qui eruditissimi inueniuntur in vtroque regno. Aliquot eorum citans à Vivaldo in sua expositione, num. 10. addit pro sententia ipsorum, quod Reges alique Principes tanquam boni communis Procuratores, & promotores, ac Reipublicæ tutores ac defensores, possint quârum ad bonum statum, & gubernationem regni expedit, repellere vim vi, etiam manu armata; atque omnia remouere impedimenta quib. pax, tranquillitas, & bona regni gubernatio potest perturbari: vt contra secularem quâcumque potestatem, sic & contra Pontificiam: quam Christus in Evangelio non constituit, reuocando, abrogando vt in naturale quo vnicique vim vi repellere licet. Etenim, vt in re non ab simili argumentatur Sotus lib. 5. De iust. & iure quest. 1. art. 8. in solutione argumenti contra 2. conclusionem, id fuisse non solum in naturale peruertere, sed etiam ipsius Christum, quod suaue est & leue, acerbum facere & importabile.

340. **Q**ua de re pro praxi quod dicam, tantum habeo, in ead. ligenter cauendum esse ab affectu quo Clericis oppid. sunt infesti laici, vt tradidit antiquitas ex cap. Clericus, De immunit. Ecclesiarum in 6. quoniam ille sepe facit, vt vis adesse putetur cum abest; & vt in detrimentum animarum interdum participandatur Ecclesiæ maiestas. Item que moneam, quod cum omnes fideles subiiciantur Papæ quoad spiritualia, & spiritualibus annexa, ei de illis statuenti, non esse aliter resistendum, quam supplicando, ac rationes nostras & incommoda nobis inde obuenientia, exponendo. Contentaneum est enim ea ratione agere cum Superiore vntente suo iure: cui dum cedit, vt commodis nostris seruiat, tribuendum est ipsius paternæ pietati: cum ad id non teneatur ex debito iustitiæ, sed tantum charitatis. Et certè si alius modus teneri possit: is erit vt recurfus ad Superiorem, quem quoad spiritualia Summus Pontifex non habet præter Christum: vel vt iurisdictioni eiusdem Pontif. resistatur autoritate propria: quod iniquum est, nisi aperit confiteretur per illam nos opprimi, repudiatis iniustis nostris supplicationibus, & rationibus quo casu locum habere possit illud quod vim vi repellere liceat. Iniquum est inquam, cum in re proposita dici nequeat quo iure ad laicam potestatem pertineat interponere se in causis, quas constat spirituales esse, aut spiritualibus annexas; cuiusmodi beneficiales esse, sufficienter constat. Adde beneficiatum tueri ne spoliatur beneficio: spectare ad illum ad quem spectat beneficij collatio. Adde etiam laicos teneri seruare quod ipse Pontifex statuerit circa eiusmodi genus rerum: quoad quas plenissimam & independentem habet à Christo omnium Dominæ absoluto acceptam potestatem.

341. **D**e tertio dubio Nauarr. loc. cit. ait non esse facile probare, eam consuetudinem iuri consonam esse: immo verè dici posse, non consuetudinem; sed corruptelam esse seu prauam consuetudinem abusumque: cum id ipsum hac Bullæ clausulâ sit prohibitum: nec intelligi possit, quo iure ad seculares Iudices pertineat iudicare an rectè appellatum sit in causa spiritali: ac iudicare de ferri appellationi, & cogere Iudices Ecclesiasticos mittere ad se processus originales, aliaque similia. Quid enim amplius facerent si ipsimet essent Prælati & Iudices Ecclesiastici, aut ipsorum Superiores.

342. **A**d quartum dubium responderi potest, probabile videri in nullo casu licere potestati laicæ sine Sedis Apostolicæ privilegio sufficienti introuertere se in causa spiritali vel annexa spiritali, neque alienius talis causæ prosecutionem impedire, aut aliquid aliorum hinc prohibitorum agere, etiam prætextu violentiæ prohibendæ: excepto solo casu, de quo in sequenti notabili, in hac clausula concessio, nempe, quo id ita illi faciunt, vt simul ad informandum Summum Pontificem supplicent, aut supplicari faciant, legitimeque ead. supplicatione prosequantur coram Apostolica Sede. Pro qua responsione faciunt cap. Imperium & cap. Quoniam, dist. 10. cap. Imperator cum pluribus alijs dist. 96 cap. Ecclesia. De constitut. cap. Solita: De maiorit. & obediens & cap. Nouit: De iudicis.

Aduerte autem dictam esse in causa spiritali, vel annexa spiritali.

zali: quia si Summus Pontifex interponeret se in causa merè temporali, posset Princeps suum subditum contra illū tueri, ac impedire causæ executionem, absque periculo huius censuræ, aut cuiuscumque alterius, iuxta illud, quod Innoc. III. in cap. Licet 1. De foro competentis Vercellensis Episcopo præcipit; vt si quando laici in causa seculari, literas Apostolicas impetrent, eas appellatione postposita, irritas decernat. In quam sententiam adhuc alij Canones habentur eod. tit.

Iam verò probabilitas allatæ responsionis patet hinc: quia si quid sit quod in hac re faueat seculari potestati, estius naturæ, concedens innocentis defensionem, seu faciens potestatem vim repellendi: non solum cum sibi, sed etiam cum alteri inferatur. Id autem non fauet: quia quotiescumque innocens læditur, vt possit viâ iustâ relaxare suam læsionem, non potest se per vim tueri. Sicut enim is, qui viaras soluere iuramento promissit, tenetur soluere; quia potest illud quod soluerit, repetere in iudicio. Item qui latroni per vim iuravit se pecuniam ei daturum, tenetur quoque dare, quia valet datum repetere in iudicio. Præterea is cui a fure aliquid rapitur, si non sit periculum de fuga eiusdem furis, & adsint testes quibus possit furtum probari, non licet manus violentas in illum iniicere; quem tamen liceret inuadere, ac etiam occidere, si non esset probabilis spes, ablatum recuperandi alter. Cum igitur, quisquis in causa spiritali manifestam vim, aut iniustitiam patitur, liberetur, si ad Sedem Apostolicam recurrat: sanè ei non licet vi vi: nec item seculari potestati per vim & contra Canones in eiusmodi causa se intromittere.

Dices sæpe eos qui violentiam patiuntur esse pauperes, qui nequeunt recursum habere ad Sedem Apostolicam: quique postquam fuerint spoliati, non habent facultates ad litigandum & se defendendum: ideoque esse æquum à Principibus defendi ne spoliarentur. Respondetur huic malo sufficenter profuturum esse per Sedem Apostolicam in hac clausula: In qua conceditur Principibus, & Magistratibus, vt quæ per eam sunt prohibita, faciant sub vero prætextu supplicandi, vel supplicari facienda Apostolicæ Sedi: dummodo supplicationes huiusmodi coram eadem Sede legitime prosequantur. Itaque dum Principibus Apostolica Sedes concedit hanc viam defendendi, ipsi videntur inexcusabiles si aliâ viâ minus honesta id facere audeant. Alias vias autem esse minus honestas patet: quia in illis potestas secularis gerit se tanquam iudicem, & Superiorem potestate Ecclesiastica in causa Ecclesiastica: in qua non est superior sed inferior, iure etiam diuino, iuxta textum expressum in cap. Si Imperator distinet. 9. 6. Viam autem hanc à Summo Pontifice propositam honestissimam esse, patet: quia inferior nullo modo potest decentius aduersus superiorem tueri se, quam saluâ ipsius reuerentiâ, supplicando ad illum informandum. Et certè si ipsius supremæ secularis potestatis causa aliqua spiritalis tractaretur, & ab Ecclesiastica potestate suprema iniuste condēnaretur, non deberet Princeps secularis condemnatus, nec licitè posset aliâ viâ se tueri, quam supplicando ad informandam Sedem Apostolicam. Ergo neque in defensione suorum subditorum potestati, quam quæ proposita est viâ procedere. Qua de re in seq. notabili fusius.

Reliqua notanda circa propositam excommunicationem.

343. Notandum est sexidè circa verba, vel quod ad nos, vi ipsi dicunt, informandos, supplicauerint, aut supplicari fecerint, nisi supplicationes huiusmodi coram nobis & Sede Apostolica legitime prosequatur: addita esse: quia Principes, & Magistratus hoc prætextu solebant se excusare prout satis aperte indicatur per illud additum, vt ipsi dicunt. Talis verò prætextus maxime omnium honestus videtur, cum ea ratione secularis potestas recognoscendo se inferiorem Ecclesiastica potestati, appareat non auctere se illi opponere, sed humiliter supplicare ad illam informandam super iniustitiâ, vt depellatur violentia; in reera tamen dum expectatur responsio supplicationis reddita, impeditur executio literarum Apostolicarum. Non modò verò honestum, sed etiam licitum esse in iure natura huiusmodi prætextum, hinc patet: quia licet inferiori superioris, aut æqualem alterius æqualis decreta, aut manda-

ta ipso incio prohibere, seu impedire executioni mandari, videatur aliquam habere mali speciem: tamen ex quo id facit supplicando seu faciendo supplicari ad ipsum informandum (ita vt in eo illi se quodam modo subdat) purgatur omnis mali suspicio, si sincerè agatur: quandoquidem tunc executio non tam propria quam superioris, aut æqualis cui supplicatur auctoritate, impeditur; aut potius sub rati habitatione illius cui supplicatur, suspenditur. Quia igitur nonnumquam Pontifices, eorumque Auditores male informati, solent in suis literis Apostolicis iniustitiam aliquam, etiam manifestam partibus præcipere; prohibitioni in hac clausula vniuersaliter factæ Officialibus Principum, ne causis spiritalibus, vel eis annexis, auctoritate propria se intropontant, ad remedium & de defensionem innocentium: hanc viam tenere liberum relinquitur, vt tutiorem cæteris: non tamen ita tutam, quin faciliè Officiales ipsi Principum, possint illâ abuti; supplicando quidem, vel faciendo supplicari, sed non prosequendo coram Sede Apostolica supplicationes portectas: sicque eneniat, vt prætextu supplicationis portectæ impediatur executio & cursus causæ siue iustitiæ, siue iniustitiæ continentis. Ideoque vt tali abusui obuietur, Pontifex sententiam quoque prætextum esse excludendum: vt non valeat ad euadendam præsentem censuram, nisi temperetur conditione; quæ est, vt qui supplicationes portexerint, eas semel portectas legitime apud Sedem Apostolicam prosequantur: quod si non faciant in hanc censuram incurrant. Iustificatur quoque eadem temperatio, ex eo, quod alioqui non verus, sed simulatus esset prætextus supplicationum, quia frustra & fictitiè supplicatur, si portectæ supplicatione sistitur in causa, nec ad informationum proceditur: cuius tantum intuitu supplicatio portigi consuevit.

344. Notandum est septimò, circa verba Prætextu violentia prohibende vel aliarum præsentium, non solum cum ad prohibendam violentiam supplicatur, sed etiam cum nulla apparet violentia (vt quando causa est dubia, nec continet apertam iniustitiam) adeoque quoties actiones in præsentem clausula expressæ, sunt sub vero prætextu supplicandi vel faciendi supplicari Apostolicæ Sedi, ac supplicans prosequitur supplicationem suam coram eadem Sede; semper contingere executionem ab ista césura. Id enim importat particula, vel, cuius munus est efficere, vt simul posita debeant seorsim accipi, prout in præcedentibus iam annotauimus.

Aduerte autem, quod si causa tractata sit coram Auditoribus, & commissariis Apostolicis, sufficere supplicare ipsis, coramque eis supplicationem portectam prosequi. Nam ipsi agunt nomine Sedis & Curie Apostolicæ, ita vt parum referre videatur, eis an Summo Pontifici supplicationes portingantur.

345. Notanda sunt octauò nonnulla circa excommunicationem cap. Quoniam, De immunit. Ecclesiar. cuius meminimus notabili secundo. Primum est, eam non limitari quo ad personas, sed extendi vniuersaliter ad omnes, in quas ipsam proferri notauimus in eod. notabili secundo: neque requiri vt sint Magistratus seu Officiales Principum, & auctoritatiuè agant (quemadmodum requiri diximus ad incurrendam Bullæ Cænæ excommunicationem) sed sufficit ibi verita per quemcumque perfici, quomodo cumque perficiantur.

Secundum est, causas Ecclesiasticas enumeratas in eodem cap. Quoniam, fere coincidere cum causis enumeratis in hac Bullæ Cænæ clausula: numerantur enim pertinentes ad ad forum Ecclesiasticum ratione personarum, negotiorum, & rerum: siue pertineant de iure, siue de antiqua consuetudine, siue etiam, vt addit Syl. Excommunic. mono. num. 49. de impetratione à Papa. In hac verò Bullæ Cænæ clausula, numerantur causæ beneficiale, decimarum, speciales, & spiritalibus annexæ. Causæ autem omnes, quæ de iure aut consuetudine antiqua, vel impetratione à Papa ad forum ecclesiasticum pertinent ratione negotiorum, personarum, ac rerum, sunt vel spirituales, vel spiritalibus annexæ. Merè temporales enim ad illud non pertinent, quatenus tales. Quod addo quia nonnumquam ad illud referuntur: nimirum quando in ordine ad bonum spirituale fidèi, & morum, necessitas referri postulat: tunc enim Ecclesiasticus quoddam habet in merè temporalia tanquam in ea quæ in spiritalia redundant,

dum, necessitas urget illa his subseruire tanquam bona inferiora bonis superioribus. Nam vt corpus iure naturæ mancipatum est obsequio animæ, sic bona temporalia bonis spiritalibus subiciuntur, vt eis subseruire debeant dum necessitas urget. In quo casu quia temporalis causa in spiritalem seu spirituali annexam transit: probabile videtur quod impediens de tali litigare in foro ecclesiastico, incurrant in excommunicationem tum propositi cap. Quoniam; tum in eam quæ imponitur per Bullæ clausulam in qua versamur.

Tertium est, ad obtinendam absoluteionem ab excommunicatione memorati cap. Quoniam, non sufficere cautionem de satisfaciendo, sed requiri ipsam satisfactionem integram de iniuria, damnis, expensis, & interesse; quæ quidem facienda est non solum iudici ecclesiastico, cuius cognitio impedita fuerit, vel iurisdicção usurpata: sed etiam parti quæ turbata fuit in prosecutione sui iuris. Quare Confessarius cui talis Pœnitens occurrit, non solum debet respicere ad hanc nostram clausulam Bullæ Cœnæ, in qua non exigitur satisfactio; sed etiam ad ipsum cap. Quoniam, in quo ea exigitur: ita vt Confessarius quem conuigerit habere facultatem absoluedi à tali censura, non debeat absolueri Pœnitentem eâ iteritum, nisi prius satisfecerit, ad modum antepositum, vt notat glossa ad ipsum cap. Quoniam verbo Satisfactum.

Id quod loco cit. dedit Syluestro occasionem mouendi difficilem quæstionem, An hæc conditio sit ita necessaria vt ea deficiente absoluteio collata, nulli sit; An verò sit solum ita requisita vt valeat quidem absoluteio, grauer tamen qui aliter absoluit, peccet agendo eo modo, quo est lege prohibitum. Atque idem Syluester pro vtraque parte auctores citat. Illi autem satis sit responsione quam Syluester ibidem habet dicens: Pro solutione notare sufficit quando à lege sit prohibitio habenti potestatem absoluedi, ne is illa vtatur nisi stante aliqua conditione: vt in proposito cap. Quoniam nisi premissa satisfactio: etiam si is non seruet eam conditionem: absoluteio valida erit: quia potestas quam quis habet sufficiens, non amittit ex eo suam vim, quod circa illius usum, sit aliqua prohibitio; nisi id exprimat: vt censetur fieri cum dicitur, quod si quid aliter attentetur, nullius roboris sit vel momenti.

346. Notandum est non d. quod etiam debet Confessarius diligenter attendere. in cap. vnicò Deus quæ vi metus causa fuit in 6. latam esse excommunicationem istam, in cuius explicatione versamur, aliquatenus similem: quæ imponitur iis qui partes actrices compellunt ad consentiendum absoluteioni à pœnis per literas Apostolicas inflictis: latissimeque patet, vt pote quæ fertur in omnes qui per vim aut metum extorquent absoluteionem aut reuocationem excommunicationis: proceditque primò, siue vis aut metus fuerit magnus, siue paruus, vt Caiet. in verbo Excom. c. 41. probat ex eo, quod Canon ille non distinguit inter metum magnum & paruum: ideoque ad incurrendam pœnam quam imponit, & inualiditatis obtentæ absoluteionis, sufficiat qualemcumque vim aut metum intulisse: dum modo inde subsecutus sit effectus absoluteionis. Id quod Nauar. in Enchir. cap. 27. num. 125. tenendum censet quoad forum conscientie; in indicans contrariam sententiam, communiter, vt ipse ait, receptam: sequendam esse quoad forum externum, in quo præsumptio datur locus: ac metus cum paruus fuerit, pro nullo reputatur iuxta legem Metum ff. Quod metus causa Sicque sunt intelligendi D. Anton. 3. par. tit. 24. & Sylu. Excommunicatio nono, ille cap. 27. in fine, & hic num. 43. cum inquam reuocationem excommunicationis, aut absoluteionem ab ea, extortam metu vano, non inducere excommunicationem in proposito cap. vnicò latam.

Procedit secundò, tam quoad eum, qui extorquet absoluteionem excommunicationis latæ contra se, quam qui latæ contra alium. Parum enim refert an pro se, an pro alio illam extorqueat, cum Canon obfolutè, & sine restrictione loquatur.

Procedit tertio: siue excommunicatio cuius absoluteionem quis extorquet, sit à iure siue ab homine lata; item siue iusta sit, siue iniusta (vt merito monet glossa ad idem cap. verbo Excommunicat. : cum non contineat agere per vim

cum Superiore; sed potius humiliter petere quod nostra iure est; neque aliter, quam Superioris munere haberi potest.

Procedit quartò, ex Syluestro *ibid* notat. 2. non solum quoad extorcionem absoluteionis ab excommunicatione; sed etiam à quacumque suspensione; siue sit ab officio, siue à beneficio, siue ab vtroque, siue ab ingressu Ecclesiæ, siue à aliquo determinato actu officij vel ordinis. Et hoc etiam simile qui est aliquà censurâ innodatus non inferat ipsemet vim, aut metum: sed aliter, cui tamen mandauerit: vel in suo nomine factum ab eo, ratum haberit: tunc enim vtunque in eam excommunicationem incurrere: tam scilicet eum qui per vim extorsit absoluteionem, quam eum qui est absoluteus, idem Syluest. annotat per cap. Sciant, De electione in 6. & cap. Cum quis, De sententiâ excommunicationis eodem lib. Arque vt D. Anton. loco cit. addit; neuter illorum ab illa excusatur, quantumcumque postea Iudex sua sponte ratam habeat absoluteionem per vim, aut metum ab ipso præstitam. Cum igitur absoluteionem sic extorquens, noua excommunicatione statim ligetur; neque absoluteio extorta per vim sit valida: sic vt ipse sit iterum absoluedus; tam ab illa priore excommunicatione, quâ iam erat ligatus; quam ab illa posteriore quam incurrit extorquendo vi, aut metu absoluteionem.

Non habet verò locum eadem excommunicatio, vt ad ipsum cap. vni. in verbo, Extorsit, glossa notat, quando metus incussus quidem fuerit, aut vis illata: sed Iudex non ideo absoluit ab excommunicatione. Nec etiam vt habet Caiet. loco cit. quando metus est innatus, non autem illatus ab alio. Si enim Prælati meticolosus, nullo alio metu incutiente, sed ex naturali timiditate absolueret; absoluteio valida esset, nec absoluitur in censuram de qua agimus incurreret. Nec demum si absoluteio metu extorta sit tantum ab excommunicatione minore, vt docet Syluester in seq. notat. 3. argumento cap. Si quem, De sententiâ excommunicationis.

CAPVT XXIII.

De decima quinta excommunicatione in Iudices seculares, qui personas Ecclesiasticas ad sua tribunalia trahunt aut libertatem Ecclesiasticorum tollunt, vel in aliquo laedunt, lata his verbis.

15. Quique ex eorum prætenso officio vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcumque, personas Ecclesiasticas, capitula, conuentus, collegia Ecclesiarum quarumcumque, coram se ad suum tribunal, audientiam, cancellariam, consilium, vel parlamentum præter iuris Canonici dispositionem trahunt vel trahi faciunt: vel procurant directè, vel indirectè quouis quæstio colore: necnon quistuta, ordinationes, constitutiones, pragmatice seu quouis alia decretum in genere vel in specie ex quouis causa & quouis quæstio colore: ac etiam prætextu cuiusvis consuetudinis aut priuilegij: vel alias quomodolibet fecerint, ordinauerint, & publicauerint, vel factis & ordinatis vti fuerint, vnde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut alias quouis modo restringitur, seu nostris & dictæ Sedis, ac quarumcumque Ecclesiarum iuribus quomodolibet directè, vel indirectè: taciè vel expressè præiudicatur.

S V M M A R I V M.

348. Causa ob quas, & persona in quas imponitur decima quinta excommunicatio in Bulla Cœnæ.
 349. Eadem excommunicatio habetur ex iure antiquo.
 350. Non tantum laici, sed etiam Ecclesiastici possunt eam incurrere, & quomodo.
 351. Casus in quibus Ecclesiastici trahi possunt ad tribunalia iudicum secularium.
 352. Tres casus in quibus cessat reuocatio Clerici coram seculari iudice.
 353. Qui in hac Bulla clausula intelligantur nomine personarum Ecclesiasticarum.
 354. Personæ quæ quamuis non gaudeant priuilegio Canonis, gaudent

- dent tamen privilegio fori.
 355 Non est probabile tales protegi hac censura.
 356 Quando incurratur hac excommunicatio Clerico sponte subiacente se iudici laico.
 357 Quæ dicitur libertas Ecclesiastica, & quomodo ea per laicorum statuta tollatur, aut ledatur.
 358 Quid censendum sit contra libertatem Ecclesiasticam esse.
 359 Quod statutum censendum sit contra Ecclesiasticam libertatem factum.
 360 Explicatio dubij de status quo caveatur, ne expensæ in executis mortuorum excedant certam summam. An ipsum sit contra libertatem Ecclesiasticam.
 361 Quædam spectantia ad excusationem ab hac excommunicatione.
 362 Quatenus excommunicationi subiiciantur facientes statuta contra libertatem Ecclesiasticam, aut non delentes talia de suis capitularibus.
 363 Qui scriptores talium statutorum in excommunicationem incurrant.
 364 Quatenus excommunicationi subiiciantur Potestates, Consules, Rectores, & Consiliarij locorum, in quibus statuta aut consuetudines contra libertatem Ecclesiasticam referuntur.

tur tres pœnæ. i. vt actor cadat causa, 2. vt iudicatum non teneat, 3. vt Iudex ex tunc iudicandi officio priuetur. Taliterque concessa est Clericis huiusmodi exemptio à foro sæculari: vt illi nequeant ei renuntiare ex cap. Si diligenti De foro compet. nisi cum quis eorum prorsus renunciauerit clericatui; aut perdididerit Clerici priuilegia: vt fit in casibus qui postea proponuntur. Item ratione statutorum, quibus Ecclesiastica libertas offenditur (quod pertinet ad duo reliqua sacrilegia ante memorata) in ca. Nouerit De lent. excomin. excommunicantur, sine reseruatione tamen, eadem personæ quæ in hac Bullæ clausula: ad eo vt Nauarr. in Enchir. 27. num. 120. versu. 11. putet illicitam excommunicationem hic reseruati: quod tamen verum non est simpliciter: cum in illo cap. excommunicentur expressè quatuor genera personarum, quarum nullius mentio fit in hac Bullæ clausula: Excommunicantur enim scriptores talium statutorum: Delindec illi qui ea, quæ iudicata fuerint secundum illa ipsa statuta; scribunt in publicam formam. Præterea Consules, Potestates, Gubernatores, seu rectores, & consiliarij quorumlibet locorum, in quibus statuta huiusmodi edita fuerint vel obseruata. Postremò illi qui talia statuta non fecerint deleri de suis libellis: quorum quidem vel nulla prorsus fit mentio in præfenti clausula, vel certè non fit eodem modo, vt patet ex consideratione verborum:

Notandum est secundo ex Caler. in verbo excommunicatio cap. 29. quod licet clausula ista appareat Bullæ addita contra dominos sæculares, qui seipsos constituunt Iudices Ecclesiasticarum personarum, &c. secundum veritatem tamen ligare etiam Ecclesiasticos, qui alia quam Ecclesiastica, hoc est, laica autoritate contra iuris communis dispositionem præsumunt se constituere Iudices prædictarum personarum: dum à laicis huiusmodi causæ ipsi deferuntur. Nonnunquam enim Principes laici non audentes ad se, vel ad alios sæculares trahere personas Ecclesiasticas, constituunt aliquem Ecclesiasticum, qui ipsorum autoritate & nomine, eadem Ecclesiasticas personas trahat ad suum tribunal. Quam suam sententiam Caiet. ex eo probat; quod in hac clausula non fiat discretio inter laicos, & Clericos: sed absolute dicatur. *Qui ex eorum officio, &c.* Nec quidquam in ea addatur, per quod censura sit ad laicos restringi; sed absolute sermo est de omnibus.

Notandum est tertio, circa verba, *Præter iuris Canonici dispositionem*: iuris Canonici dispositione licitum esse Iudici laico cognoscere de causis Ecclesiasticorum, illos tunc ad suum tribunal trahere in tribus casibus, quos ex 2. glossa summaria ad inuicem causa 11. refert D. Anton. 3. parti. tit. 9. cap. 2. §. 3. Primus est in causa feudi: nam iuxta cap. Verum, De foro competenti, ea terminari debet per dominum immediatum feudi. Secundus est, quando persona Ecclesiastica est incorrigibilis, quem casum glossa memorata colligit ex cap. Nec licuit distinct. 17. Cui addi potest cap. De liguribus 23. quæst. 5. Dicitur verò incorrigibilis, vt Syluester habet in verbo incorrigibilis, qui postquam penitus est condemnatus, iterum fertur ad idem crimen: vt in casu cap. Vt famæ Defentent. excommunicationis, vbi incorrigibiles Clerici censentur, qui de crimine condemnati, cum non valeant in monasterio custodiri, ad similia vel peiora dilabuntur. Itaque, vt idem ait, quamuis quis de crimine non faciat penitentiam, incorrigibilis tamen non censetur nisi reuertatur ad delictum simile, vel pelus. Immo, nisi recuset facere sui præsentiam, vt Iudex possit ipsum apprehendere. Quando enim ita sui præsentia facit vt Iudex possit eum apprehendere, non est incorrigibilis: cum Ecclesia adhuc habeat quod ultra faciat. Istud enim à proposita incorrigibilitate excusare, colligitur ex cap. Cum non ab homine De iudiciis sub finem, dum dicitur, Cum Ecclesia ultra non habeat quid faciat, &c.

Tertius casus est in causa reconuentionis ciuili, iuxta cap. 1. §. Cuius in agendo. 3. quæst. 8. & cap. Prudentiam, de mutuis petitionibus; ex quibus cum habeatur ratione reconuentionis, eum posse Iudicem esse, qui alias non poterat: fit vt Clericus agens contra laicum coram Iudice sæculari, possit coram eodem reconueniri. Addit vero aliis citatis à Graphiis lib. 4. decis. aurearum cap. 18. numer. 114. quod et si Clericus possit reconueniri coram Iudice laico non pos-

348. Ictius excommunicationis materia constituitur triplex sacrilegium: primum est, illud quo Ecclesiastica libertas offenditur in Ecclesiasticis personis, capitulis, conuentibus, & collegiis Ecclesiarum quarumcumque. Secundum verò, quo eadem libertas offenditur, per statuta & quæuis alia decreta, & consuetudines quibus ea ipsa libertas tollitur, vel in aliquo læditur. Tertium, quo Romani Pontificis & Apostolicæ Sedis ac quarumcumque Ecclesiarum iuribus præiudicatur. Personæ verò quæ in prima materia peccantes, in hanc excommunicationem incurrunnt sunt; qui ex prætenso officio suo, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcumque, directe aut indirectè trahunt, item qui directe, aut indirectè trahi faciunt, ac demum qui directe vel indirectè trahi procurant Ecclesiasticas personas aut capitula, vel conuentus aut collegia quarumcumque Ecclesiarum, coram se ad suum tribunal, vel audientiam, vel cancellariam, vel consilium, vel parlamentum, præter iuris Canonici dispositionem, quouis quæsito colore. Personæ vero quæ in secunda & tertia materia peccantes incurrunnt in eadem censuram: sunt primò, qui fecerint statuta, aut ordinationes, aut constitutiones, aut pragmaticas, aut quæuis in genere vel specie, quibus libertas Ecclesiastica aut tollitur, aut in aliquo læditur, aut deprimitur, aut alias quouis modo restringitur: aut quibus Romani Pontificis vel Sedis Apostolicæ, vel quarumcumque Ecclesiarum iuribus directe, vel indirectè præiudicatur. Sunt secundo qui prædictam facta publicauerint. Sunt postremò, qui factis & publicatis vbi fuerint, ex quacumque causa, & quouis quæsito colore, ac prætextu cuiusuis consuetudinis, aut priuilegij, aut alias quomodolibet fecerint, ordinauerint, aut publicauerint aut factis, & ordinatis vbi fuerint.

Notanda sunt in communi circa propositam clausulam sum specialiter circa priorem illius partem.

SECTIO PRIOR.

349. Pro declaratione autem, notandum est primo, hanc clausulam non esse admodum antiquam in bulla Cœne, vt nec præcedentem: vnde ostenditur posteriorum temporum nequitia, quæ compulsi posteriores Summos Pontifices ista seueritate vt in re non noua, sed antiquo iure constituta. Etenim Iudicem sæcularem (quod spectat ad primum sacrilegium ex tribus propositis) nullam habere potestatem in Clericum non modo in criminali causa, sed nec in ciuili, habetur ex iure quidem Canonico per cap. Nullus primò, in quæstione prima, & per cap. Sæculares, De foro competenti in 6. vbi glossa verbo Nulla: eius rei rationem adfert: quod ex cap. primo, §. Cuiusque lecta, distinct. 96. & ex finali De rebus Ecclesiæ alienandis vel non. In disponendis rebus Ecclesiæ, obsequendi necessitas sit laicis, non imperandi autoritas. Ex iure ciuili verò, idem habetur per authenticam Saturni Cod. De Episcopis, & Clericis: vbi addun-

fit tamen facta condemnatione, ab eodem Iudice cogit ad foluendum, quia cogere est Superioris.

352. Notat autem glossa ad cit. c. 1. verbo *Iudicem*: reconuentionem cessare in tribus casibus.

Primo enim cessat, quando Clericus passus est violentiam a laico: tunc enim si Clericus contra laicum agat apud Iudices seculares, non potest apud eosdem reconueniri; vt in casu c. Relatum §. *Ad hoc De iure patronatus*: vbi laici Ecclesias per vim possessionibus spoliarent, vt sic cogent Clericos ad litigandum coram Iudice seculari: hac fortè intentione, vt illos ipsi reconuenirent coram iisdem Iudicibus: prout ibidem verbo, *coram seculari*, notat glossa. Adde non posse fieri huiusmodi reconuentionem iuxta legem 2. §. Sed si agant, ff. De iudiciis.

Secundo cessat reconuentione in criminibus, ex cap. Prius, tertia, quæst. 11. Tertio cessat in possessione repetenda, iuxta cap. Ex conuentione, De restitutione spoliatorum, & ex cap. 1. De ordine cognitionum. Hocque est, quod memorata glossa ad cap. Relatum, ante istis subiungit; quæstionem de spoliatione, ita priuilegiatam esse, vt intentans reconueniri non possit, nisi in casu alia spoliatione: quod probat ex cap. Super spoliatione De ordine cognitionum, & cap. Significauerunt De iudiciis. Qui casus notandi sunt ad intelligendum quando Iudex laicus sub prætextu reconuentionis trahens Clericum ad suum tribunal, incidat in censuram huius clausulæ; tanquam ille qui id faciat præter iuris canonici dispositionem. Sunt adhuc alij casus, in quibus Clerici possunt trahi ad tribunal Laicorum, de quibus dicemus in seq. cap. 26. Tantum h'c monendum est primo Regulam generalem esse (pro qua Canonibus & leges citat glossa ad cap. Si Clericus, verbo *Actor*, De foro competenti) quod actor sequatur forum Rei; & ideo in causa ciuili (in spirituali non potest laicus esse Iudex ex cap. 2. De iudiciis) Clericus aduersus laicum agere debeat coram Iudice seculari: nisi quod per cap. Cum sit generale De foro competenti, permittatur ei ob frequentem secularium remissionem in reddenda Ecclesiasticis iustitia, in vitro voluerit foro, laicum conuenire.

Monendum est secundo, quod quando collegium, hoc est, multitudo hominum iudicat: & maior aut æqualis pars illorum, est Ecclesiasticorum, possint tunc laicum Ecclesiasticis iudicare Clericum: quia censetur collegium Ecclesiasticum: vt cum Panorm. Sylu. in verbo Collegium in principio, docet ex eo, quod magis dignum trahat ad se minus dignum ex glossa ad c. Quod in dubio De consecratione Ecclesie, in verbo *Consecrata*.

Monendum est postremo, Clericum ratione, hære dicitur quam accipit a laico, subici foro seculari quoad duo. Vnum est, quod testamentum in quo laicus constituit Clericum heredem, aperendum sit & declarandum, ac publicandam coram Iudice seculari. Alterum est, quod omnes lites quæ incæptæ fuerint viuente laico defuncto, ipse Clericus hæres coram eodem seculari Iudice profequi debeat. Aliæ autem lites circa bona vel actiones defuncti, venire debent ad Iudicem Ecclesiasticum: de quibus latè Conar. in lib. practicarum qu. cap. 8.

353. Notandum est quarto, nomine personarum Ecclesiasticarum hoc loco intelligi omnes initiatos ordine Clericali: puta Sacerdotes, Diaconos, Subdiaconos, Acolytos, Exorcistas, Lectores, Ostiarios atque habentes primam tonsuram, iuxta cap. Nullus Iudicium, De foro competenti. Quod cum restrictione debet accipi ex Concil. Trident. sess. 23. cap. 6. De reform. cum dicitur: Is etiam (de primâ tonsura aut etiam minoribus ordinibus initiato loquitur) fori priuilegio non gaudeat: nisi beneficium Ecclesiasticum habeat, aut Clericalem habitum & tonsuram deferens, alicui Ecclesie ex mandato Episcopi inferuiat: vel in seminatio Clericorum, aut in aliqua schola vel vniuersitate de licentia Episcopi, quasi in via ad maiores ordines suscipiendos, versetur. Secundo omnes alios qui gaudent priuilegio Canonis Si quis suadente diabolo 17. quæstion. 4. nempe Monachos, & quoslibet Religiosos professos religionis approbatæ ab Apostolica Sede, ex cap. Monachi, cap. Non dubium & cap. Cum illorum De sententia excommunic. Item omnes conuersos cuiusvis religionis item approbatæ, iuxta citat. cap. Non du-

bium & cap. Ex tenore, eodem titulo: ac etiam cuiusvis religionis approbatæ Nouitios ex cap. Religioso De sentent. ex communi. in 6. Adde pariter ratione mulieres de quibus in cap. De monial. De sentent. ex com. Nempè quamlibet Religionis Conuersas, & Nouitias. De fratribus autem & foribus tertij ordinis Sancti Francisci, & S. Dominici, dubitatio est, quam Nauar. in Enchir. cap. 27. num. 79. distinctione explicat: inquit priuilegiatos esse illos tertij ordinis fratres, qui gestant habitum religionis, & viuunt gregatim in monasteriis; non item eos qui seorsim viuunt in suis domibus. De equitibus Melitenisibus nihil est dubitandum propter c. Canonica De sent. excommunic. Neque videri de eremita dubitandum Felinus ad cap. 2. De foro competenti, §. adfert pro argumento, quod ordo eremiticus inter sanctos ordines cum Monachis non inuenitur in litanis. Syluester autem in verbo Eremita n. 2. & Nauar. loco cit. id restringit ad eos eremitas, qui subsunt alicui Superiori Religioso, aut saltem gaudenti priuilegio Canonis Si quis suadente diabolo: quales sunt Eremitæ illi de quibus fit mentio in c. Vnico De excessibus Prælatorum in 6. & in c. Priuilegium De verbor. signific. eod. lib.

Notandum est quinto, plures esse alias personas, quæ quamuis non gaudeant priuilegio Canonis: gaudent tamen priuilegio fori, id est, exemptæ sunt à foro laicorum. De quibus personis dubitari potest, an huius quoque Bullæ censura protegantur. Eæ autem sunt primo illæ quæ dicuntur minores Ecclesie in cap. 2. De foro comper. Quo nomine ex Panorm. ibidem numero 5. intelligendi sunt perpetuo deputati; & adscripti Ecclesie seruitio (qui in cap. Per exemptionem De priuilegiis in 6. vocantur perpetuo oblati) vnde ipse infert seruientes Ecclesie, etiam si incedant habitu, & tonsura Clericali, viuantque inter Clericos, & intersint celebrationi diuinorum officiorum, non gaudere priuilegio fori, & immunitatis personæ Ecclesiasticæ: nisi sint perpetuo & efficaciter oblati ipsi Ecclesie; argumento Clementine 1. De decimis in fine. Hic igitur, præter personas in præcedenti notabilis memoratas, in numero eorum qui eximuntur à foro seculari, ponuntur primo illi qui perpetuo & efficaciter sunt oblati Ecclesie ad eius obsequium. Secundo, ponuntur illi qui sunt de familia Clericorum. Vbi aduerte, iuxta glossam quidem ad cap. Clericum 11. quæstio. 7. id esse intelligendum indistinctè, hoc est, non tantum de Clericorum mancipiis (iuxta cap. Inducatum dist. 89.) qui sunt serui, obsequiis illorum addicti in perpetuum: sed etiam de famulis qui ad tempus pretio conducuntur. Sed post Archidiaconum Panormitanus loco citato numero 6. & post vtrumque Felinus loco item citato numero 1. tenent priuilegium fori non habere locum in famulis posterioris generis, quia id nullo iure constitutum inuenitur. Leges enim 1. & 2. Cod. De Episcopi & Clericis, quæ pro ea re citantur, loquuntur de mancipiis, vt notat idem Felinus. Qui in seq. num. 2. monet conclusionem istam generalem tenendam esse, Vbi priuilegiatus vt non possit priuilegio suo, nisi familia ipsius includeretur, ea tunc includitur. Ponuntur tertio illi qui de familia, seu famuli sunt Episcopi. In qua familia speciale esse, vt priuilegio fori gaudeat, iuxta c. fin. §. Petrus De officio Archidiaconi, Doctores communiter ibidem tenere notat Panorm. in cit. n. 6. Aduerte verò ex Felino ad cap. Insuperante, De officio delegati num. 7. eum tantum domesticum censeri de familia: qui pro maiori parte cohabitatur: aut qui consanguineus est, etiam si non cohabitetur. In dubio autem eum qui est alicui domesticus, præsumi de eius familia.

Ponuntur quarto rustici Ecclesie, in tribus casibus relationis ab ipso Panorm. in eodem numero 6. Primus est, quando Ecclesia habet super ea re priuilegium ab Imperatore. Secundus est, quando rustici ipsi generalem administrationem habent, vt in Ecclesiastico foro conueniantur ratione administrationis. Tertius, quando conueniuntur super re quam ab Ecclesia tenent. Quos duos postiores casus deducit ex caput Si Clericus laicum, De foro competenti. Ponuntur quinto, vxores Clericorum: quia generaliter vxor debet fortiori forum mariti, iuxta verba illa Imperatoris in lege vltima Cod. De incolis. Mulieres honore maritorum eriguntur, & genere nobilitantur, & forum ex eorum per-

persona statuiamus. Quod plenius loco citato tractans Panormitanus, in seq. n. 7. illud intelligit, tum de vxore Clerici interdicti minore ordinis, & incendentis in habitu & tonsura Clericali: tum de vxore Sacerdotis, etiam Latini; quando de consensu vxoris maritus separatur, prout iura permittunt; & ad sacros ordines promouetur: maxime si illa continentiam voueat; quia talis adhuc est vera vxor, manente scilicet vinculo matrimonij, quod est indissolubile; neque consentaneum est, vt iure quo gaudent mulieres suis viris cohabitantes, priuentur illæ quæ non cohabitant ex pia & laudabili causa, vt eæ de quibus agimus.

De his igitur quinque generibus personarum quæ dicuntur gaudere privilegio fori dubium mouetur. An protegantur per excommunicationem latam in hac Bullæ clausula, ita vt iudices laici nequeant coram se ad suum tribunal eas trahere, quin in illam incurrant. Respondendum videtur quantumuis omnes tales personæ ampliato vocabulo possint quadam ratione dici Ecclesiasticæ; nimirum quia sunt aliquid Ecclesiæ: probabilis tamen esse, in hoc loco nomen Ecclesiasticæ personæ strictius sumi: nempe propriè, & prout solum continet personas in præsent. notabili memoratas: quando quidem eæ, quæ in hoc numerantur, non tam sunt Ecclesiasticæ personæ; quam aliquid Ecclesiasticarum personarum; vt vxor Clerici, est aliquid ipsius Clerici: si nulla Episcopi, est aliquid ipsius Episcopi, & sic de cæteris. Ideoque non videntur contineri protectione huius clausulæ, in qua exprimitur tantum Ecclesiasticæ personæ: non autem eæ quæ sunt aliquid Ecclesiasticarum personarum.

Notandum est sextò, de privilegio fori quo Clerici gaudent, apertas definitiones (quas Concil. Trident. innovat sess. 25. cap. 20. de reform.) haberi in questio. 1. & alibi in iure canonico, De iudiciis cap. At si Clerici, cap. Clerici & cap. Qualiter. Item De foro compet. cap. 2. cap. Si diligenti & cap. Significasti. Cum autem indultum sit in fauorem totius Clericali ordinis, ex cap. Si diligenti De foro competendi: non posse Clericum ei renunciare: ne quidem interueniente iuramento super tali renuntiatione: quæ est inualida, & sic illicita, vt tale iuramentum abque peccato seruari nequeat, prout ex eodem cap. habetur. Et ratio redditur, quia id est contra legem eam quæ constitutum est; & pacto priuatorum, iuri publico non derogari: de qua lege vide glossam ibidem ad verbum Pacto priuatorum. Quæ cum ita sint, mouetur difficultas, An si Clericus sponte subdat se iudici seculari, & in iudicio ipsius siue criminali, siue ciuili velit se purgare, idem Iudex ferens sententiam, aut permittens coram se fieri huiusmodi purgationem, incidat in hanc Bullæ censuram. Cui satisfaciendum videntur dicendo, talem Iudicem duobus modis se habere posse in eo casu. Primo quidem aliquatenus cooperando vt Clericus id faciat: nempe cogendo per minas, aut inducendo suasionibus, aut per se, aut per alios idem procurando: directè vel indirectè aut quouis tandem quæstio colore: sique sine dubio incidere in hanc censuram, vt euidenter patet ex verbis illis, *procurant directè vel indirectè, quouis quæstio colore*. Secundo verò modo, vt Iudex ipse habeat se merè negatùe; ita nimirum vt nullo profus modo trahat Clericum, neque directè, neque indirectè; sed ille vel ex pacto priuato, vel ex iuramento præstito, vel ex zelo sui honoris, putans id expedire pro sua iustificatione, se ei sponte subdit, vel coram eo se purgatur: que tunc probabile est Iudicem admittentem talem purgationem, malè quidem facere, sed non incurrere in hanc censuram: quia sic nullo modo trahit, nec procurat trahere ad suum tribunal Ecclesiasticam personam (cum trahendi verbum importet aliquam coactionem) hæcque censura imponatur solummodo trahentibus & facientibus, aut procurantibus trahi, &c. personas Ecclesiasticas coram se ad suum tribunal, &c. ex præsenso eorum officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcumque. Ex quibus postremis verbis licet colligere, quod non omnis qui procurat Ecclesiasticas personas trahi ad tribunal laicorum, incidat in hanc censuram; ne quidem pars, quæ contra eas litigat, aut ipsius Procurator, sed solummodo Iudex ad cuius tribunal trahuntur, aut ipsius ministri, & officiales constituentres vnam cum ipso personam. Neque adhuc ijs semper incidunt, sed lo-

lum quando ex præsenso officio vel ad instantiam partis, ipsi trahi faciunt, vel procurant. Vnde si ad sedandas amicitias & non ex officio, nec ad partis instantiam ad suum tribunal adducerent absque vlla coactione, non incidere, quantum potest ex ipsis clausulæ verbis colligi. Atque hæc dicta sunt circa priorem partem huius clausulæ. Circa reliquam &c. Nouerit De sent. excommunicationis, ex quo sumpta est, supersunt aliqua notanda.

Notanda circa posteriorem proposita clausula partem & capitulum Nouerit De sentent. excommunic. ex quo sumpta est.

SECTIO POSTERIOR.

Notandum est igitur septimò ex Innoc. Panorm. & Felino ad ipsum cap. Nouerit, & ex Summiariis in verbo Excommunicatio, dum in eod. cap. latam excommunicationem explicant, deinceps comme morandis: atque ex Navar. in Enchir. c. 27. nu. 119. vers. 5. Ecclesiasticam libertatem esse eam, qua tota Ecclesia gaudet: consistentem in privilegiis spiritualibus à Deo, vel à Summo Pontifice concessis: toti Ecclesiæ; & in privilegiis temporalibus eidem concessis ab Imperatore: quem solum posse toti Ecclesiæ privilegia temporalia concedere Innoc. loco cit. colligit. ex ca. Cum ad verum, dist. 96. ita vt Reges alique Principes & domini seculares, particularibus tantum Ecclesiis possint privilegia concedere. Quo ita posito.

Tenendum est primò, ex communi sententia, libertatem Ecclesiasticam tolli aut lædi statutis iis per quæ tolluntur privilegia, quibus tota Ecclesia gaudet; siue sint concessa personis Ecclesiasticis, siue earum collegiis, aut monasteriis; siue loco sacro, vt est immunitas Ecclesiæ; siue prædiis & bonis ad Ecclesiam seu Clericos pertinentibus; siue etiam toti congregationi fidelium; non autem quibus particularis tantum Ecclesia gaudet: vt bene declarat Caietan. in verbo Excommunicatio, cap. 31. notab. 5. Libertas enim Ecclesiastica, est vniuersalis Ecclesiæ, non huius vel illius Ecclesiæ: quamuis talis quoque per istam Bullæ clausulam protegatur: vt patet ex illis verbis *Et quauis cumque Ecclesiarum*.

Tenendum est secundo, eodem pertinere statuta omnia, per quæ Clerici, Ecclesiasticæ personæ timidiore efficiuntur, aut laici audaciores ad nocendum illis: quod ex Bartholo referat Angelus in verbo Excommunicatio 7. casu 12. Tab. eodem verbo; casu 20. num. 2. & Syluest. eodem etiam verbo 9. num. 31. in exemplum; adferunt statutum quo percussus Clericum punitur decem solidis; percussus autem laicum solidis viginti.

Tenendum est tertio, cum Felino ad idem cap. Nouerit in fine, & Tabiena loco citat. generaliter contra Ecclesiæ libertatem esse omne illud statutum, quo personis Ecclesiasticis aliquid prohibetur, quod neque diuino neque humano iure est illi prohibitum. Ad quod facit definitio libertatis qua dicitur esse naturalis facultas faciendi quodlibet, nisi iure prohibeatur; & sumitur ex lege Libertas ff. De statu hominum. Videtur autem id extendendum esse dupliciter. Primò quidem, ad statuta quibus personæ Ecclesiasticæ obligantur ad aliquid, ad quod neque diuino, neque humano iure tenentur, quod satis colligitur ex proposita libertatis definitione. Secundo verò ad statuta quibus laica ministeria, qualia sunt molere, coquere, vendere & similia, & prædia, aliaque bona temporalia subiciuntur contra libertatem Ecclesiasticam alicui obligationi, cui de iure non sunt subiecta.

Cui extensioni ad stipulatur, quod ait Caietanus in memorato notab. libertatem Ecclesiasticam importare id omne in quo Ecclesia non est subiecta aut actata: siue illud spectet ad naturale, siue ad spirituale, siue ad operari, siue ad recipere, siue ad quodcumque aliud: & siue id conueniat Ecclesiæ ex dono naturali, siue ex dono gratuito, siue ex iure communi, siue ex privilegio. Adeo vt non sit curare inquirere vnde Ecclesia illud habeat, dummodo tamen habeat vt Ecclesia est, quemadmodum ipse Caietanus restringendum censet quidem, & post ipsum Navar. in Enchir. cap. 27. num. 119. vers. 7. Sed ratio videtur esse in contrarium:

quia si libertas Ecclesiastica contineret tantum ea in quibus Ecclesia libera est quatenus Ecclesia, seu congregatio fidelium: excludendo ea quibus est libera quatenus est societas hominum pertinetque ad conuictum politicum, se queretur seculares Magistratus in eis quæ pertinent ad conuictum politicum obligare posse Clericos absque offensione libertatis Ecclesiastica, quandoquidem non obligarent eos ut Clericos: & ita non esset contra Ecclesiæ libertatem prohibere Clericis ne quid emant, aut vendant; ne alterius operas conducant, ne apud aliquem faciant molere suum triticum, aut panem coquere; ne transeant per pontem, ne habitent in cluitate; & similia. Hæc enim omnia pertinent ad politicum conuictum; nec qui talia statuto cauerent, facerent contra libertatem Ecclesiæ. Accedit, quòd videamus Ecclesiam esse liberam in multis quæ pertinent ad politicum conuictum: ut in emendo: itemque in accipiendo ex mera donatione; & in multis aliis. Accedit quoque durius esse, ac magis odiosum Ecclesiam, & Ecclesiasticos vexari in iis quæ pertinent ad politicum conuictum: *vt in vitio molendo, panibus coquendis, & similibus*, quam in aliis quæ pertinent ad Ecclesiam, ut Ecclesia est.

359. Notandum est octauò, ut statutum censetur esse contra libertatem Ecclesiasticam, non requiri ut expressè sit contra aliquod priuilegium vniuersalis Ecclesiæ: sed sufficere, ut sit tacitè: vel ex praua intentione statuentis, vel, vel ex praxi & vsu. Tacitè quidem, ut in casu capituli vltimi vltimi De immunit. Ecclesiarum in Sexto, vbi excommunicantur domini temporales, qui subditis suis prohibent ne Ecclesiasticis vendant; vel ab eis emant; triticum ipsorum molant; panem coquant; aliæque communia obsequia exhibeant: quæ quidem in re libertas Ecclesiastica læditur, cum id sit consequenter seu tacitè impedire, ne Clerici à talibus emant, vel ipsis vendant, vel apud ipsos triticum molant, vel panem coquant, aliæque huiusmodi faciant, *vt ibidem ad verbum Libertatis, glossa annotat.*

Ex praua intentione verò instituentis, ut cum sit statutum, ne quis donet aut vendat rem immobilem alicui, nisi subeat onera communitatis: etsi enim De Clericis nihil exprimitur, tamen statuentis intentio fuit, ut ad eos statutum suum extendere: in quo violat libertatem Ecclesiasticam, & ideo in hanc excommunicationem incurrit, ex Tabiena excommunic. 5. casu 21. Angelo eod. verbo 7. casu 26. Nauarr. in Enchir. cap. 27. numero 130. Vbi aduertit quod ex Caiet. habet Suarez tomo 5. in 3. par. D. Thomæ, disput. 21. num. 91. istiusmodi intentionem non esse spectandam ex parte statuentis, sed ex parte materiae statuti: quæ si talis sit, ut per se non respiciat res Ecclesiasticas, neque hatum exemptionem diminuat, licet legislator ipse intendat aliquod detrimentum, quod per accidens possit in Ecclesiasticas personas resultare, (ideoque peccet): non ager tamen contra clausulam, de qua agimus, prohibitionem: cum tale statutum ex se, non sit contra Ecclesiæ libertatem; atque eorum quæ sunt per accidens, non habeatur ratio. E conuerso autem, si statutum ipsum sit per se repugnans Ecclesiasticæ libertati, quamuis statutarius non intendat speciali intentione libertatem Ecclesiasticam imminuere, sed solum suis commodis seruire; nihilominus incurrit in hæc excommunicationem; quia opere ipse voluntariè agit contra prohibitionem sub ea factam.

Denique, ex praxi & vsu, statutum censetur esse contra libertatem Ecclesiasticam, si ipsum practiceatur, vsurpeturve contra Clericos & Ecclesias, scientibus statutariis, vel iis qui in locum ipsorum succedere, ac dissimulantibus: quomodo statutum laicorum ut vadens de nocte, tantum soluat, est contra libertatem Ecclesiasticam, si in praxi extendatur ad Clericos; quos non obligat, etiam si statuentis intenderit ipsos eo comprehendere: quia ipsi habent suum Iudicem à quo corrigantur. Quod quidem ex Ioanne Andrea Vicen. & Panorm. notant D. Anton. 3. part. tit. 24. cap. 18. Tab. in cit. casu 21. numero 4. & Syluester excommunicatio 9. §. 50.

360. Atque ex hoc notabili explicatur dubium quod tractant Tab. in præced. casu 20. numero 5. Caiet. in verbo excommunicatio cap. 31. sub finem, Nauarrus in Enchir. cap. 27. n. 120. de statuto quo cauetur, ne expensas in exequiis mortuo-

rum excedant certam summam: super feretrum non sit nisi talis pannus, vel nisi tot cerei; soli filij vestiantur nigro, certus Clericorum numerus vocetur ad exequias, nec eis detur vltra certam summam. Dicendum enim est primò, statutum arcens quoad partem expensarum quæ in mediâ, solumque pertinent ad Dei cultum, vel ad salutem animæ defuncti (ut quoad cereorum vel Clericorum numerum vel elemosinas Clericis ipsi aut pauperibus faciendas) esse contra libertatem Ecclesiasticam: & inducere tum Bullæ Cœnæ, tum iuris antiqui excommunicationem contra illius violatores latam: ipsumque esse inualidum ex Panormitano ad cap. vlt. num. 6. De rebus Ecclesiæ alienandis, vel non: quo ex loco, id satis aperitè colligi potest, vt inuuant Caiet. ac Nauarrus locis citatis, in fine.

Dicendum est 2. statutum restringens quoad partem earumdem expensarum, solummodo pertinentium ad mundanam pompam, & viuorum solatium (ut v. g. quod soli filij vestiantur nigro; quod cubicula non parentur panis nigri, aut aliud huiusmodi) non esse contra libertatem Ecclesiasticam: vt post Panormit. loco cit. & Corserum in suo reperiatio annotat Tabiena in eodem numero quinto, quia talia sunt mera temporalia.

Dicendum est tertio, statutum restringens, quoad prædictatum expensarum partem mixtam; seu quæ per se quidem instituitur ad pompam, seu ex accidenti prodest animæ defuncti eo nomine, quod insipientes excitentur ad orandum pro ea; vel facit ad Dei cultum qui perficitur cum apparatu maiore. Dicendum inquam, considerari debere mentem statuentium, prout habet ex Rosella Syluester Excommunicatio nono num. 31. Vel enim non fecerunt statutum illud in odium Clericorum: quæ ratione, etsi indirectè, per se tamen intenditur contra libertatem Ecclesiasticam facere; ideoque statutum eiusmodi est reuera nullum, ac inducit excommunicationem, tum iuris antiqui, tum huius clausulæ secundum antedicta. Vel statutum non alia intentione fecerunt, quam reprimendi pompas & expensas superfluas ex æquarum (quales fieri solent dum alij alios æquare, aut etiam superare volunt) eaque ratione consulendi indemnitati & bono hæredum, one tantum se supra vires ærealieno. Atque ita, statutum non videtur esse contra libertatem Ecclesiasticam (nisi forte ex accidenti) nec excommunicationem inducit, vt cum Caiet. contra Tabienam docet Nauarrus in memorato num. 120. vers. 9. Quamquam consilium est rem communicare cum Prælati Ecclesiasticis, & de eorum consensu statuere. Cæterum quando non constat de statuentium intentione, præsertim ipsis prætendentibus se bono animo statuisse; ad frenandas pompas in bonum cluitatis: ut iudicetur an res ita habeat; maximè confert attendere, an tunc communitet fuerit abusus aliquis & excessus in huiusmodi exequiis. Nam si nullus præcesserit communis excessus qui repressione egeret, presumptio erit odio Ecclesiæ ac Clericorum factum esse statutum; alias non.

Notandum est, nonò, tum à iuris antiqui, tum à Bullæ censura exulari ignorantes sua statuta esse contra libertatem Ecclesiasticam, si ignorantia sit probabilis: quod ex Innoc. habet Syluester Excommunicatio 9. §. 32. Et probat ex eo, quod talis ignorantia excludat contumaciam; nec nisi in contumacem cadat excommunicatio, iuxta cap. Certum 11. quæst. 3. Tunc verò eiusmodi ignorantia contingere censenda est ex Caiet. in verbo Excommunicatio cap. 31. notab. 4. & Nauarr. in Enchir. cap. 27. num. 119. ver. 4. cum facientes statutum, aut illud practicanes, non solum sincero animo procederent, intendentes in nullo lædere Ecclesiæ libertatem; sed etiam consulerent viros doctos, & statutorum examen illis committerent; ac tandem ab illis ceteriores fierent, nihil se contra Ecclesiæ libertatem statuere, scribere, practicare &c. Quamquam cum primum sciuerint se rem se habere, tenentur primo quoque tempore desistere. Adde excusari similiter eos qui inceperint quidem huiusmodi statutum, sed non perfecerint ex Felino ad memoratum cap. Nouerit num. 4. quia verbum facere denotat perfectionem.

Notandum est decimo: neque in ipso Cap. Nouerit ex Caiet. in eod. cap. 31. notab. 1. & Nauarr. initio citati numeri

119 neque in Bullæ clausula excommunicari eos qui quoquo modo libertatem Ecclesiasticam violant: sed qui illam violant per statuta, faciendo ea, vel utendo eis; ita ut illi qui talia statuta ordinant, faciunt, publicant, aut factis ordinatis & publicatis videntur incidant in censuram Bullæ Cœnæ prout manifestum est ex verbis istius clausulæ. In qua aduerte mentionem fieri de iis qui publicant huiusmodi statuta, qui non videntur contineri in cap. Nouerit, cum ibi de iis nulla fiat mentio; nec dici possit eos contineri sub aliquo genere personarum ibidem expressarum: quæ sunt statuarij, scriptores statutorum, Potestates, Consules, Rectores, & Consiliarij locorum: sub nullo enim horum continentur ij qui publicant, vt præcones.

Auerte præterea circa Bullæ verba, vel alias quomodolibet fecerint, ordinauerint, vel publicauerint, &c. colligi inter eos qui sunt de communitate faciente, ordinante, aut publicante, statutum contra libertatem Ecclesiasticam, incurrere in eadem Bullæ censuram singulares personas que tanquam membra illius ad tales actiones concurrunt per sua suffragia, vel alio simili modo: quia licet persona singularis per se tales actiones non faciat totaliter, facit tamen partem illius, quod est certo modo facere & per consequens comprehendit illis verbis *Quomodolibet fecerint, &c.* Hoc habet Suarez in sua expositione como 5. disputat. 21. num. 88.

Circa alia verba eiusdem Bullæ, vel factis & ordinatis vsi fuerint, aduerte item, aliud esse seruare statuta, aliud uti statutis. Nam seruare statutum est implere, id quod in statuto præcipitur; ut verò statutum, est ad aliquid vsum suum & commodum assumere ipsum statutum: v.g. agere contra aliquid ea vi statuti, repetere elemosynam, reuocare donationem factam, & similia agere, iustificando autoritate ipsius statuti ac illud allegando, & secundum illud iudicando. Qui ergo seruati statutum non transgrediendo illud, in hanc Bullæ censuram non incurrunt; sed solum qui eo vtantur.

Aduerte quoque in eadem Bulla solum fieri mentionem statutorum, ordinatum, constitutionum, & pragmaticarum: consuetudinibus autem non fieri mentionem, nisi quatenus assumitur tanquam prætextus ad faciendam statuta. Vnde sequitur eos qui vtuntur aliqua consuetudine, quæ alicubi inuenitur contra Ecclesiasticam libertatem; inquit eos qui sine statuto, constitutione, pragmatica, aut ordinatione vlla, talem consuetudinem introducunt, non incidere in hanc Bullæ censuram, etiam si peccent mortaliter. In cap. autem Nouerit fit mentio etiam consuetudinis. Nam excommunicantur qui seruati fecerint eiusmodi consuetudines introductas; atque Rectores, Consules, & potestates locorum vbi illæ fuerint obseruatae.

362. Notandum est vnde dicitur circa excommunicationem quæ in eodem cap. Nouerit imponitur iis, qui de cætero seruati fecerint statuta edita & consuetudines introductas contra Ecclesiasticam libertatem nisi illa de capitularibus suis, id est, de libris publicis in quibus scribi solent, fecerint amoueri intra duos menses. Notandum est, inquam, moueri difficultatem; num ad eam incurrendam requiratur, vt simul concurrant duo illa: scilicet facere seruati huiusmodi statuta, & consuetudines: & non facere eam moueri de capitularibus intra duos menses: An vero sufficiat vel facere ea seruati, etiam si de capitularibus non deleas; vel non delere, etiam si seruati non facias. A que Nauarr. in Enchir. cap. 27. num. 119. putat vtrumque simul requiri. Caietanus verò in verbo excommunicatio cap. 31. significare videtur, vtrumque teorim sufficere: quod Sylu. excomm. 9. num. 31. sub initium & Tabiena excomm. 5. casu 20. num. 1. clarè tradunt; & de rigore iuris tenendum esse facit Suarez in citata disp. 21. num. 87.

Cæterum concesserim quidem Nauarro ad incurrendam eam excommunicationem non sufficere, vt quis statuta faciat deleri de capitularibus, si faciat obseruari: quia quod in ipso cap. Nouerit statuitur de delendo, non est præceptum (sicut est in cap. Graue, De senten. excommunic.) sed solum conditio apposita rei præceptæ. Sufficere verò, vt seruati faciat, etiam si faciat, deleri de capitularibus; licet ex verbis non conueniat, atque in penalis benignior interpretatio sit sequenda: id tamen probabiliter rationes hæc ostendunt.

Primo quod in illo cap. Nouerit, simul ponantur duo hæc facere seruati statuta: vel facere seruati consuetudines introductas contra libertatem Ecclesiasticam: & ob vtrumque feratur excommunicatio. Vnde intelligitur, quod sicut ij qui consuetudines seruati faciunt eo ipso incidunt in eam censuram, nec requiritur, quod aliquid deleatur: cum in mea consuetudine nihil inueniatur scriptum, quod deleatur: sic etiam facientes seruare statuta contra libertatem Ecclesiasticam; eo ipso pari ratione in eadem censuram incidere. Nec enim datur ratio cur grauius puniantur facientes seruati consuetudines, quam statuta: præsertim cum si illi deleant statuta, & ea nihilominus seruati faciant, iam non vt statuta, sed vt consuetudines seruati facerent. Secundo, non minus violatur Ecclesiastica libertas, ad quam protegendam lata est talis excommunicatio, si statuta seruentur deleta, quam si non deleta. Ergo ad eandem excommunicationem incurrendam sufficit facere seruati statuta huiusmodi, siue deleta siue non deleta. Tertio mens Pontificis est per eam censuram providere libertati Ecclesiasticæ, quæ non læditur per scripturam statutorum, sed per eorum obseruationem. Ergo deletionem scripturæ intendit tantum in ordine ad eiusdem obseruationis vsum libertati Ecclesiasticæ perniciosum, tam deleta, quam non deleta ipsa scripturæ.

Porro ex duobus prædictis vnum putat facere seruati prædicta statuta, inducere adhuc excommunicationem istius clausulæ patet; quia idem est ac statuta factis vsi, de quo mentio est expressa in eadem hac clausula. Alterum verò; nimirum non facere amoueri ex capitularibus, seu archiuis: quantum ex verbis ipsius clausulæ colligi potest, non inducit Bullæ excommunicationem. Nam etiam si excommunicatio in ea fulminetur ratione statutorum, nihil tamen dicitur de non delentibus illa. Vnde sequitur eum, qui nec fecit, nec ordinauit, nec publicauit huiusmodi statuta, nec factis ordinatis ac publicatis vsus est (vt forte successor eorum qui seruati) quamuis non faciat ea deleri, non esse excommunicatum excommunicatione referuata in Bulla Cœnæ.

363. Notandum est duodecimo, dubium esse de scriptoribus statutorum qui exprimentur in cap. Nouerit De senten. excommunicationis, vtrum comprehendantur hac Bullæ clausula. Qui satis fieri potest distinctione. Si enim per scriptores intelligamus Cancellarios, & Vicecancellarios, qui intereunt cum sunt statuta (sicut intellexit Caiet. in verbo Excommunicatio cap. 31. notab. 3. cum scriptores explicat dicens, vt Cancellarij & similes) non videtur dubitandum, quin contineantur; quia cum cooperentur efficaciter in faciendis statuto, consentunt, & ipsi simul cum aliis facere statutum. Adde quod in eadem hac Bullæ clausula, verbum *ordinariè*, accipi possit pro eo quod est in certum ordinem, certamve formam reducere ipsum statutum, quod communiter solent Cancellarij, & similes qui constituuntur à Principe vel communitate ad faciendam aliqua statuta, pro bono communi: de quibus in cap. Grauem De senten. excommunicationis habetur exemplum. Si vero per scriptores intelligamus eos qui in libello publico seu publica forma statutum describunt dicente Cancellario, etsi improbable non est quod contineantur cap. Nouerit; certum tamen nullo modo comprehendit in hac Bullæ clausula: in qua solum exprimentur qui fecerint, ordinauerint, & publicauerint nam scribere non est facere, aut ordinare, vel publicare. Aduerte autem scribentem tantum in priuata forma, ne quidem censuram capituli Nouerit incurrere ex D. Anton. 3. part. tit. 24. cap. 17. sub finem.

364. Notandum est decimotertio ex Caiet. in eod notab. 3. illud quod in illo cap. Nouerit, cum statuariis, & statutorum scriptoribus excommunicantur Potestates, Consules, Rectores, & Consiliarij locorum in quibus statuta, & consuetudines contra libertatem Ecclesiasticam editæ fuerint vel seruata: non esse tam durè interpretandum, ac verba sonant: quasi omnes prædictæ personæ, hoc ipso quod sunt Potestates, Rectores, Consules, aut Consiliarij locorum vbi statuta huiusmodi edita sunt, vel seruata, excommunicari sint: sed solum si participes sint delicti, id est, si aliquid operentur ad editionem, vel obseruationem statutorum, aut consuetudinum.

num contra libertatem Ecclesiasticam. Notat verò Syll. excommunicatio nono, num. 32. de iisdem Potestatibus, Consulibus, & rectoribus, eos non ligari, si huiusmodi statuta ignorent. Postquam autem de illis certificati sunt, ligari si non curent quantum in ipsis est facere non seruari vel de suis capitularibus deleri intra tempus breue arbitrio boni viri: quod si non possunt tollere nec efficere vt tollantur, aut non seruentur, locum esse excusationi.

Quod verò adnerad nostram Bullæ excommunicationem, prædictæ personæ in eam incurrunt cum faciunt seruari statuta contra libertatem Ecclesiasticam. Idenim est vt illis; pro quo vsu, eiusmodi excommunicatio imponitur: non autem si solummodo faciant seruari consuetudines, de quibus in ipsa Bulla Cænæ non fit mentio.

Quod si tan- ummodo non impediatur talium statutorum obseruationem, dubium est, An in eadem Bullæ censuram incurrant cum negatiuè solum habeant feminum non prohibendo: neque in eadem Bulla præcipiatur vt talis prohibitio fiat. Ad illud autem Suarez affirmatiuè respondet ad 3. part. D. Thomæ tomo 3. disput. 21. num. 85. pro Nauarro contra Caiet. Sed videtur distinctione vtendum. Nam si tales habeant potestatem abrogandi eiusmodi statuta, & prohibendi eorum obseruationem, videntur ex officio ad id teneri: & consequenter si non faciant, videntur suo quodam modo illis vt: sicque probabile est inde incurrere huius clausulæ excommunicationem, per illa verba *vel facti vsi fuerint*. Sin potestatem non habeant tollendi statuta ipsa vel non impediendi eorum vsum: neque in Bullæ Cænæ, neque in iuris antiqui censuram incurrunt, nisi secundum ea iudicent: quod esset illis vt, quodq; expresse prohibetur sub excommunicatione in memorato cap. Nouerit. Vbi cum vsurpetur verbum *Presumpserit*, consequens est ab eadem excommunicatione excusari illum qui ex ignorantia & simplicitate, vel bona fide sic iudicauerit.

CAPVT XXIV.

De decimasexta excommunicatione in impediens vsu iurisdictionis Ecclesiasticæ, & recurrentes ad forum seculare, lata his verbis.

16. Necnon qui Archiepiscopos, Episcopos, aliosque superiores, & inferiores Prælatos, & omnes alios quoscumque Iudices Ecclesiasticos ordinarios, quomodolibet hac de causa directè: vel indirectè carcerando vel molestando eorum Agentes, Procuratores, familiares, necnon consanguineos & affines impediunt quominus sua iurisdictione Ecclesiastica, contra quoscumque vtantur, secundum quod Canonibus & sacre constitutiones Ecclesiasticæ, & decreta Conciliorum generalium, & præsertim Tridentini, statuunt: ac etiam eos, qui post ipsorum Ordinationem, vel etiam ab eis delegatorum quorumcumque sententias & decreta, aut alias fori Ecclesiastici iudicium eludentes ad Cancellarias, aut alias curias seculares recurrunt, & ab illis prohibitiones & mandata etiam penalia Ordinariis, aut delegatis prædictis decernunt, & contra illos exequi procurant: eos quoque, qui hæc decernunt, & exequuntur seu dant auxilium, consilium, patrocinium & fauorem in eisdem.

S V M M A R I V M.

- 365 Actiones ob quas & persona in quas fertur decimasexta excommunicatio Bullæ.
 366 Explicatio dubij An ea incurratur impediendo vsu iurisdictionis delegatæ.
 367 Causa merè Ecclesiastica quas impediendo incurritur talis excommunicatio, cum regulis distinguendi eas ab illis quas sunt mixti fori.
 368 Multitudo ac varietas priuilegiolorum Clericalis status.
 369 Quædam notanda de actionibus ob quas proposita excommunicatio fertur.
 370 De excommunicatione que fertur in cap. Quicumque De sententia excommunicationis in Sexto nonnulla notanda.

365. **M**ateria huius excommunicationis est sacrilegium quo libertas Ecclesiastica offenditur quoad vsu iu-

risdictionis; quam Prælati Ecclesiæ habent in suos subditos; & committitur septem actionibus, quarum tres sunt principales, & quatuor accessoria. Prima principalis est, quomodolibet Prælatos vel Ecclesiasticos Iudices ordinarios impedire siue directè siue etiam indirectè, quominus vtantur iurisdictione Ecclesiastica contra quoscumque, prout Canones & constitutiones Ecclesiasticæ ac decreta Conciliorum generalium, præsertim Tridentini, statuunt. Secunda est, recurrere ad Cancellarias, & alias Curias seculares post sententias, & decreta eorundem Ordinariorum, aut alias fori Ecclesiastici iudicium eludere, & procurare ad dictis curiis secularibus, decerni & exequi prohibitiones, & mandata etiam penalia, contra prædictos Ordinarios, vel ab ipsis delegatos. Tertia est decernere vel exequi prædicta mandata, & prohibitiones. Prima autem actio ac essoria, est dare auxilium: secunda, dare consilium: tertia, dare patrocinium: quarta dare fauorem in prædictis actionibus. In cuius quidem materiæ tractatione, nisi valde circumspicte procedatur, plus periculi tractanti, quam vtilitatis alij inesse potest. Quæ de causâ contentus ero nonnulla annotare pro quadam generali Confessorij constructione, maxime cum in particularibus istius generis diffidijs, vnicuique pro conscientia foro remedium esse videatur, vt ad Summum Pontificem recurratur; cuius est ea componere & de eis respondere. Talis remediij admonemur in Deuteronomio cap. 17. vers. 8. cum dicitur: Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, &c.

Primum notandum autem est, circa excommunicationem quæ ob primam actionem principalem imponitur, dubium esse an incurratur impediendo vsu iurisdictionis delegatæ. Ad quod videtur distinctione respondendum. Nam quædam est iurisdictione delegata personæ, & ad tempus: vt cum lis discutienda & de iudicanda committitur ab Ordinario alicui viro idoneo. Quædam vero est delegata dignitati & in perpetuum: vt ea quæ à Concil. Tridentino sess. 6. cap. 3. de reformat. committitur Episcopis tanquam à Sede Apostolica delegatis, ad corrigendum & castigandum Religiosos exemptos peccantes extra monasterium; & sess. 14. cap. 4. de reformat. quoscumque Clericos seculares exemptos, qui alias essent sub illorum iurisdictione: excessus, crimina, & delicta aliqua committentes, quando, & quoties opus fuerit ipsos corrigi ac castigari. Cum ergo hæc ista sint non videtur excommunicatio hæc incurri impediendo vsu iurisdictionis delegatæ priore modo: quia expresse imponitur tantum impediendis vsu iurisdictionis ordinariæ: sique Papa eam extendere voluisset ad impediendes vsu illius iurisdictionis delegatæ, id expresse fecisset, sicut fecit in materia sequentis excommunicationis. Impediendo autem vsu iurisdictionis delegatæ posterioris modi, hanc excommunicationem incurrere eo colligi videtur: quod mens Papæ sit per eandem excommunicationem protegere ac tueri omnem iurisdictionem Prælati concessam à Concil. Triiden. Deinde quod iurisdictione taliter delegata, sit ita media inter ordinariam, & priore modo delegatam, vt multo magis illius quam huius rationem induat: vt potest quæ ad instar illius perpetua est & dignitatem annexa.

Secundum notandum verò est, iure Pontificio præter Episcopos, & superiores Prælatos; iurisdictioni Ecclesiasticæ, tanquam Magistratus inferiores, præesse Decanos, Archidiaconos, & Abbates: atque de eorundem Episcoporum, aut superiorum Prælatorum mandato; tum Officialibus, tum Vicariis generalibus ipsorum: quos impedire in vsu suæ iurisdictionis, sufficere ad hæc excommunicationem incurrendam patet: tum quia illi, vel sunt Ordinarij, vel posteriori modo delegati; tum quia talem vsu in illis impedire, idem est, ac impedire iudicia Ecclesiastica, seu iudicia in quibus tractantur causæ quarum cognitio ad solos Ecclesiasticos Iudices pertinet: nempe causæ spirituales; vt de matrimonio, diuortio, hæresi, periurio, simonia decimis, excommunicatione & aliis ad religionem pertinentibus: de quibus laici cognoscere non possunt etiam si reus contra quem agitur sit laicus ex cap. 2. De iudicijs. Item causæ spirituales annexæ, vt de iure patronatus, de quibus ne laici cognoscere possunt ex cap. 3. eodem tit. vbi glossa id notat: ac eadem causæ Cle-

de Clericorum criminales ex cap. Clerici, eod. quoque tit. ubi dicitur quod in factis Canonibus generaliter tradatur, vt de omni crimine Clericus debeat coram Ecclesiastico Iudice conueniri.

Ad quas causas distinguendas ab illis quæ dicuntur mixti fori (suntque crimina quædam à laicis commissa de quibus cognoscere possunt tam Ecclesiastici Iudices, quam laici) Panormitad cap. Cum sit De foro compet. in fine, tradit has regulas.

Prima est: Index secularis potest omne delictum laicorum punire, nisi ipsum reperiretur esse merè Ecclesiasticum aut tale de quo maximum periculum esse laicos iudicare, vt cum dubitatur de ratione peccati, num sit vitia, vel hæresis, vel aliud crimen. Cuius regulæ rationem hanc ille addit: quod Imperator, ad hoc receperit gladium, vt puniret delicta, inuaretve Ecclesiam in exequenda punitione 23. quæst. 5. cap. Principes, cap. Administratores, cap. Sunt quædam, & cap. Rex debet.

Secunda regula est: quod Ecclesia possit cognoscere de criminibus laicorum quæ habent originalem prohibitionem à Canonibus, non à legibus; aut pro quibus pena laicis etiam est à Canonibus imposita, vt in cap. Contra idolorum cultores 26. quæst. quinta, pro idololatria & sacrilegio: in quibus, & in aliis animam tantum concernentibus, ius civile sequitur sacrorum Canonum dispositionem.

Tertia regula est, quod Index ecclesiasticus possit ratione peccati indirectè cognoscere de omni crimine laici. Probat ex cap. Nouit De iudiciis §. Cum enim, ubi statuitur ad iurisdictionem Ecclesiasticam spectare quemlibet Christianum, de quocumque mortali crimine corrigere: sique corruptionem contempserit coercere per districtiorem Ecclesiasticam, id est, per censuras, seu priuationem Sacramentorum, & aliorum bonorum Ecclesiæ. Ad iurisdictionem verò secularem spectat coercere per penam corporalem aut pecuniariam: ita vt vnus & idem laicus criminofus possit, & ab Ecclesiastico & à laico iudicari: atque adeo absolutus vel punitus in foro Ecclesiastico possit iterum puniri vel absolui in foro seculari, vel contra: quia pena spiritalis non tollit temporalem, nec è conuerso: vt communi consensu receptam esse tradit Couar. in lib. 2. variarum resolut. cap. 20. num. 6.

Tertium porro notandum est, circa illa verba, Secundum quod Canones, & sacra constitutiones Ecclesiasticae, & decreta Conciliorum generalium præsertim Concilii Tridentini statuitur: plurimum esse priuilegia Clericis per factos Canones concessa, & omnia in Concilio Tridentino innouata in sess. vlt. cap. 20. De reformat. quæ paucis referre commodum est: quia quantumuis non omnia attineant ad præsentem materiam, spectant tamen ad illam præcedentium aut sequentium excommunicationum, quibus Ecclesiastica libertas protegitur. Ea igitur ad duo genera reuocantur. Nam quædam vocantur priuilegia Canonis, quæ sunt spiritalia quædam concessa Clericis per ius Canonicum. Quædam verò vocantur priuilegia fori, quibus concessa est Clericis exemptio à potestate laicæ; alioque nomine vocantur, tum immunitates, tum exemptiones.

Atque priuilegia Canonis sunt primò, quod solus Clericus possit habere beneficium, vel pensionem Ecclesiasticam; ex cap. Cum adeo, de rescriptis, & cap. Ex literis De transact. & cap. 2. De institutionibus. Secundo, quod solus Clericus possit habere officium Ecclesiasticum, vel iurisdictionem seu potestatem aliquid statuendi in Ecclesia; ex cap. In noua adione, & ex cap. non placuit 16. quæst. 8. & ex cap. Decernimus, De iudiciis. Tertio quod is qui infert iniuriam Clerico, vel derogat Clericorum immunitati, puniatur variis excommunicationibus & aliis penis Ecclesiasticis: quod satis patet ex dictis & dicendis, in hac Bullæ explicatione.

Priuilegia autem fori sunt in triplici differentia. Quædam enim spectant ad ipsas personas Clericorum: quædam ad res ipsorum & quædam ad iudicium forense. Atque circa personas Clericorum sunt duo præcipua; alterum quod Clericus non teneatur ire ad bellum vt pugnet quantumuis id vouerit, & bellum sit sacrum; ex cap. Ex multis §. De voto & voti redemptione. Necetiam teneatur defendere ciuitatem egressi ad pugnam contra hostes; ex cap. penult. De homici-

dio, iuncta glossa, verbo Remordes. Teneatur tamen in necessitate custodire ciuitatem & obseruare vigilias; ex cap. 2. De immunitate Ecclesiarum: quæ nihilominus necessitas debet declarari per illum Clericum, qui alius præest in eadem ciuitate iuxta cap. Ecclesia sanctæ Mariæ, De constitut. Alterum est, quod Clerici sint liberi ab omnibus muneribus personilibus, hoc est, quæ requirunt laborem personalem, siue sint honesta, siue fordida, siue mixta, de quibus dictum est in præced. ca. 16. sect. 2. per legem secundam Cod. De Episcopis & Clericis. Neque tantum Clerici ipsi, sed etiam familia ipsorum: nempe vxor, filij, & filia, atque serui perpetui, à muneribus fordidis liberantur per eandem legem secundam, & per cap. Ecclesiarum 12. quæst. 2. Famuli autem liberi & coloni qui ad tempus seruiunt Clericis, non sunt à talibus muneribus immunes, vt notat Syluester verbo Immunitas primo quæst. one 4. dicto 2.

Aduerte autem Clericos à recipienda tutela, & curatela, quæ sunt munera mixta, non solum liberari per legem Generaliter Cod. De Episcopis, & Clericis: sed etiam prohiberi per cap. Cyprianus 21. quæst. 3. Attamen ex cap. finali dist. 86. iuncta glossa in verbo Tutelam, duo casus habentur in quibus illa Clerico recipi possunt. Prior est cum ipse fuerit agnatus pupilli; posterior verò cum necessitas pupilli id requirit. Quo posteriore casu non tantum potest (vt priore) sed etiam teneatur Clericus tutelam vel curatela recipere iuxta cap. 1. dist. tam. 87. quam 88.

Circa res Clericorum, duo sunt priuilegia; alterum quod Clericus adhuc existens in potestate patris, possit sine consensu ipsius disponere de rebus quas acquisierit; ex authentica Presbyteros primo Cod. De Episcopis & Clericis. Alterum est quod Clerici immunes sint ab omnibus muneribus realibus, atque à mixtis, ex cap. Aduersus De immunit. Ecclesiarum, & ex lege 2. Cod. de Episcopis & Clericis, & ex Authen. Item nulla communitas, ibidem. Quæ de re plurius dicitur in sequenti cap. 25. sect. posteriore. Nec solum Clerici ipsi sed etiam familia ipsorum gaudet hoc priuilegio ex lege 2. citata, & ex cap. Generaliter 16. quæst. 1. §. Nouarum.

Circa actiones forenses denique, tria sunt Clericorum Priuilegia. Primum, quod quatuordecim annos natus, agere possit in rebus Ecclesiasticis, & dependentibus ab illis, ac si maior esset viginti quinque annis; sique nondum attigerit 14. annum, dummodo sit maior infante, hoc est, peruenerit ad annum 7. possit eligere curatorem, & agere, ac si maior esset 14. annis ex cap. vlt. De iudiciis in 6. Secundum, quod laicus non possit ferre testimonium contra Clericum, nec illum accusare in causa criminali; nisi persequatur suam vel suorum iniuriam; ex cap. De cetero, De testibus, & attest. aut nisi crimen sit exceptum vt crimen hæresis, vel simonia, vel læsæ maiestatis; ex glossa ad cap. Cum P. Manconella, De accusa tionibus, verbo Laicus. Tertium, quod Index secularis nullam habeat potestatem in Clericum, neque in ciuili, neque in criminali causa; ex cap. 2. De foro competenti in 6. & ex Authen. Statuimus Cod. De Episcopis & Clericis. Idem dic de Iudice Ecclesiastico alieno: cui Clericus ne quidem submittere se potest, nisi de Episcopi sui licentia, ex cap. Significasti De foro compet. Verumtamen dantur aliquot casus in quibus laici possunt iudicare Clericum: de quibus in præced. cap. 23. notab. 3. iam aliquid dictum est, & in seq. cap. 26. notab. 4. plura dicentur.

Quartum notandum est, quod licet excommunicatio quæ fertur ob secundam principalem actionem initio memoratam, videatur conuenire cum excommunicationibus quæ 13. & 14. clausula feruntur: eam differre tamen, quod in clausula 13. excommunicantur recurrentes ad Curias seculares in finem impediendi vsum, & executionem literarum seu scripturarum Apostolicarum; & in hac excommunicantur recurrentes ad easdem Curias in finem impediendi sententias & decreta Ordinariorum, vel delegatorum ab ipsis, non autem Apostolicarum: atque eludendi illorum iudicium. Item quod in clausula 14. Excommunicantur Indices, qui propria auctoritate auocant à Iudicibus Ecclesiasticis causas spirituales: seque tanquam Iudices interponunt cognitionem earum: in hac vero, excommunicantur solum ij qui decernunt mandata & prohibitiones quibus Iudicium Eccle-

fiasticorum sententiæ impediatur executioni tradit.

Quintum notandum est. Actionem procurandi vel exequendi prædicta mandata, ideo à nobis positam esse inter principales, propter quas excommunicatio hæc incurritur: quia si recurrere ad curias seculares actio est principalis, multo magis erit procurare, vel exequi mandata: cum talis procuratio, aut executio, finis sit ipsius recursus. Atque ita fit, ut eo ipso, quod aliquis procurat vel exequitur, sit excommunicatus, quantumcumque inde non sequatur effectus impediendi. Quodquidem non erit dicendum de eo qui procuranti aut exequenti, dat auxilium, patrocinium, aut fauorem, non secuta procuratione, aut executione: quoniam illa tantum sunt actiones, his accessoria.

Sextum notandum est. Ex verbis huius clausule colligi, quod excommunicentur non tantum ij qui post Prælatorum sententiam recurrunt ad curias seculares: sed ij etiam qui idem faciunt quous alio tempore causa, ac quous alio modo eludendo iudicium Ecclesiasticum: habet enim textus (aut alias fori Ecclesiastici iudicium eludentes colligi item, quod excommunicentur non solum ij qui decernunt, vel decerni procurant Ecclesiasticis iudicibus mandata pœnalia; sed etiam qui mandata non pœnalia. Etenim in textu fit in genere mentio expressa mandatorum: cuius ad malitiam indicandam eorum qui in ista re peccant, particularis mentio de vna mandati specie ceteris grauiore subiturgitur, dicendo etiam pœnalia.

370. Postremum notandum est. Cap. Quicumque De sententia excommun. in 6. materiam habere cum hac clausula aliquo modo comunem: quæ est (vt Caiet. attingit in verbo Excommunicatio cap. 36.) Sacriligum quo libertas Ecclesiastica læditur, quoad opus tuendi per censuras suam iurisdictionem, aduersus Reges, Principes, & quoscumque alios. Personæ vero in quas profertur sunt i. dans licentiam occidendi eos, qui tales sententias tulerint, aut aliquem suorum: 2. dans licentiam capiendi eosdem aut aliquem suorum: 3. dans licentiam eosdem vel aliquem suorum grauandi, siue in sua persona, siue in suis rebus: 4. dans licentiam capiendi eos quorum occasione tales sententiæ fuerint late: 5. dans licentiam eosdem aut aliquem suorum capiendi: 6. dans licentiam eosdem aut aliquem suorum grauandi siue in persona siue in rebus: 7. prædicta licentiæ data vtens in ipsos Iudices aut eos quorum occasione tales sententiæ late sunt, aut in aliquem suorum: 8. motu proprio committens aliqui eorum, ad quæ committenda licentiam dari, prædiximus prohibitum esse; siue contra ipsos Iudices, siue contra eos quorum occasione tales sententias tulerint; siue contra aliquem suorum. Quæ omnia intelligenda sunt addita conditione: nisi re adhuc integra, datam licentiam reuocauerint. Aut si res non sit integra, sed ad bonorum captionem processum sit; nisi bona ipsa fuerint infra octo dierum spatium restituta, aut satisfactio pro ipsis impensa. Additur in fine eiusdem cap. vt post lapsos duos menses ab incurta excommunicatione quam imponit, non possit illa innodatus absolui, nisi per sedem Apostolicam.

Cæterum cum (vt patet ex dictis) per idipsum cap. excommunicentur, qui aliquam ex actionibus in eo prohibitis, aut faciunt, aut faciendi licentiam dant, contra ipsos Iudices excommunicatores, aut eos quorum occasione lata est excommunicatio, aut contra aliquem suorum: dubitari potest, Quinam intelligi debeant hoc verbo Suorum. Quæ dubitatio tollitur per illud, quod glossa ad idem cap. verbo suorum, subintelligendum esse ait, propinquorum vel familiarium: quia omnes tales sunt sui, id est, ad ipsos pertinent. Vnde excommunicatur non solum qui occidit, aut capit, aut grauatur in persona vel in rebus Iudicem ipsum, sed etiam qui quemcumque propinquum aut familiare ipsum, etiam si famulus sit. Nec item excommunicantur solum ij, qui illos quorum occasione tales sententiæ late sunt, similiter vexat in personis aut bonis propriis; sed etiam qui in personis aut bonis suorum. Illud enim relatiuū Suorum, non solum refert ipsos Iudices, sed etiam eos quorum occasione eiusmodi sententiæ sunt late, ac cum vtrisque coniungitur. Adeo vt neque ipsi, neque sui, possint in personis, aut in rebus grauari sine talis censuræ incurfione. Adde ex eadem glossa in verbo grauandi,

idipsum verbum intelligendum esse de quocumque graamine: vt. v. g. ne quis à supradictis, vel ab aliquo suorum emat: aut ne quis vendat eis, vel molat frumentum ipsorum & sic de similibus.

CAPVT XXV.

De excommunicatione 17. contra usurpantes Sedis Apostolicæ, vel quarumcumque Ecclesiarum iurisdictiones, vel fructus, aut hos sequestrantes: & de 18. contra eos qui imponunt decimas, & alia onera personis Ecclesiasticis, Ecclesiis, Monasteriis & eorum fructibus: quæ feruntur his verbis.

17. Quiue iurisdictiones, seu fructus, redditus, & proventus ad nos, & Sedem Apostolicam, & quascumque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes usurpant, vel etiam quauis occasione vel causa, sine Romani Pontificis vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentiâ, sequestrant.

18. Quiue collectas, decimas, tallias, præstantias, & alia onera Clericis, Prælati, & aliis personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus, & prouentibus huiusmodi, absque simili Romani Pontificis speciali & expressa licentiâ, imponunt, & diuersis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposta etiam à sponte dantibus & concedentibus recipiunt; nec non qui per se vel alios directè, vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel fauorem præstare non verentur, cuiuscumque sint præsentis, dignitatis ordinis, conditionis, aut status, etiam si imperiali, aut regali præfulgeant dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, & alij potentatus; quicumque etiam regnis, prouinciis, ciuitatibus, & terris quoquo modo præsidentes, & Consilij & Senatores, aut quauis etiam pontificali dignitate insigniti. Innouantes decreta super his peractos Canones, tam in Lateranensi nouissimè celebrato, quam aliis Conciliis generalibus edita, etiam cum censuris & pœnis in eis contentis.

SVMMARIVM.

371. Actiones ob quas, & personæ in quas feruntur 17. & 18. excommunicatio.
372. Excommunicatio decima septima tam ad Ecclesiasticos quam ad laicos Iudices extenditur: quodque ad eam incurrendam quinquerequirantur.
373. Tradita de eadem materia à Conc. Tridentino & quorum facultas in illa excuset ab excommunicatione.
374. Ob quam sequestrationem incurritur talis excommunicatio.
375. Varia constitutiones iuris circa materiam decima octauæ excommunicationis contra imponentes onera personis Ecclesiasticis, &c.
376. Excusatio duplex ab eadem excommunicatione.
377. Ea incurritur quæ aut minus bona Clericorum circa quæ peccatum non sint beneficiorum Ecclesiasticorum, sed propria illorum.
378. Alia excusatio à tali excommunicatione.
379. Ecclesiastici eadem censurâ proteguntur, etiam quoad bona ipsorum patrimonialia.
380. Tenenda in hac re quoad bona laicorum, quæ deuenire ad Ecclesiam.
381. Factum in hac materia, propter quod non incurritur quidem talis excommunicatio peccatur tamen mortaliter, & alia excommunicatio incurritur.
382. Quando Ecclesiasticus pro solutione onerum ad quæ tenetur conueniri possit, aut non possit coram Iudice laico.

Materia excommunicationis 17. est sacrilegium quo Ecclesia offenditur in iurisdictionibus, seu fructibus, & redditibus ad Sedem Apostolicam, vel ad quascumque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentibus: completiturque duas actiones: vna est, huiusmodi iurisdictionis

iurisdictiones seu fructus, redditus, & proventus, usurpare seu sibi sumere contra ius: altera est, eandem iurisdictiones seu fructus sequestrare, seu usurpandos seponere apud aliquem.

Notanda circa decimam septimam excommunicationem.

SECTIO PRIOR.

Notandum est primò, excommunicationem 17. tam ad Ecclesiasticos Iudices, quam ad laicos, extendi: vt ex eo probatur, quod in textu non fiat specialis mentio laicorù: sed generaliter dicatur, *Quæ iurisdictiones, &c.* quo argumento Caiet. in verbo *Excommunicatio cap. 27. conditione secunda*, significat simpliciter probari, quod licet excommunicatio hæc feratur occasione dominorum qui suâ potestate sibi usurpant, aut sequestrant proventus prædictos; eam tamen ab aliis quoque incurri: quandoquidem clausula est generalis, nec ad dominos ipsos restricta. Vnde intelligitur, probabile esse Ecclesiasticum, qui sibi usurparet iurisdictionem vel proventus alterius Ecclesiastici; non minus incursum in hanc censuram quam laicum idem facientem; nec item minus militem aut plebeium, quam ducem, aut alium magnatem. Neque excusabit cuiuscumque potestatis laicæ, etiam Imperatoris, dispositio aut concessio; cum licet nulli sit de spiritualibus concedendi vel disponendi facultas ex cap. Tuae. De Decimis.

Notandum est 2. iuxta Caiet. in eod. cap. 27. ad hanc excommunicationem incurritur quinque requirit.

Primum, vt illud quod usurpatur, sit iurisdictionis, seu fructus, redditus, aut proventus Ecclesiæ. Vnde ab hac censura excluduntur usurpatores, aut sequestrantes proventus profanos Ecclesiasticorum, id est, ex Nauar. cap. 27. num. 69. versus finem, pertinentes quidem ad Ecclesiasticos, non tamen quantum sunt Ecclesiastici, nec ratione beneficij; vt proventus patrimoniales.

Secundum est, vt tales res usurpentur, vel sequestrantur, non qualitercumque, sed tanquam fructus, proventus, aut redditus Ecclesiæ. Vnde infert Caiet. non ligari hæc censurâ fures & latrones, *quamuis peccent mortaliter & ad restitutionem teneantur*, qui res Ecclesiæ furantur & rapiunt vt quasdam res; non autem ea ratione, qua sunt fructus, & proventus Ecclesiæ. Inferri quoque ex aduerso potest, quod Toleus innuit in expositione tertie partis excommunic. nonæ, ligari eum qui cum sciat tales proventus esse Ecclesiæ, eos sibi appropriat, id est, usurpat tanquam pertinentes ad se, sibi que debitos: vt quia data sunt progenitoribus suis & malè administrantur diuina; aut quia in bello multas fecit expensas, nullâ acceptâ compensatione à Principe; aut alia simili de causa: quæ (atque a deo quauis omnino occasio prætexta) excluditur expressè à Summo Pontifice in præfati clausula.

Tertium est, vt tales proventus pertineant ad personam Ecclesiasticam obtinentem beneficium, ex quo proueniunt. Quod Nauar. loco citato merito reicit: quia inde sequitur, non incurri hanc excommunicationem ab eo qui sibi usurparet iurisdictiones seu fructus Ecclesiæ vacantis: quod est à ratione alienum; quia pari omnino ratione iniquum est ac sacrilegum, Ecclesiæ vacantis, ac non vacantis bona usurpare; nec minor necessitas est protegendi Ecclesiam vacantem, quam non vacantem. Neque obstant verba textus, & *quascumque personas Ecclesiasticas*, quia nomine personarum, possunt ob paritatem rationis significari quoque personæ sicæ: alioqui capientes bona quæ à Religiosis possidentur in communem: & ideo ad nullam personam pertinent, vt potest communitia conuenit cum Prelato, nõ innotarentur hæc censura: quod nemo dixit. Adde cum ipso Nauar. quod fructus tempore vacationis obuenientes pertineant ad successorem; & durâte vacatione ad commendatarium, vel economum: non quidem vt eorum dominium acquirat, sed vt ea conferuet & vero domino reddat suo tempore.

Quartum est, vt talis usurpatio, aut sequestratio fiat sine Pape licentia, vel aliorum habentium potestatem legitimam dandi illam; Quintum est, vt fiat quasi authoritatue, id est, vt usurpans, vel sequestrans id faciat tanquam potestatem habens. Sed istud reicitur per illud quod antè habitum est ex

eod. Caiet. quod hæc excommunicatio comprehendat non tantum Magnates qui autoritate vt possunt, sed etiam alios: quia verba clausulæ qua fertur, sunt generalia.

Notandum est tertio, de hac materia agi in particulari in Concil. Trident. sess. 22. cap. 11. de reformatione, citatis in margine antiquis canonibus; communicationemque ferri in omnes, siue Clericos, siue laicos quacumque dignitate, etiam imperiali, aut regali præfulgeant, qui alicuius Ecclesiæ, beneficiique cuiuscumque siue sæcularis, siue regularis, montiù, pietatis, aliorumque laicorum piorum iurisdictiones, bona, census, ac iura, etiam feudalia & emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones, quæ in ministrorum, & pauperum necessitates conuertitur debent: per se vel per alios; vt vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas Clericorum, aut laicorum: seu quacumque arte, aut quocumque quæsito colore in proprios vsus conuertere, illosque usurpare, etiam ex donatione suppositæ personæ præsumpserit; seu impedire ne ab illis ad quos iure pertinent percipiantur. A qua excommunicatione absolui non possunt, nisi per Summum Pontificem, & facta integra restitutione acceptorum: sique ij fuerint patroni eiusdem Ecclesiæ, cuius bona usurpauerunt, priuentur eo ipso iure patronatus; & Clericus qui tam nefandæ usurpationis fabricator, aut consentiens fuerit eiusdem penis subiacet: quibuscumque suis beneficiis priuatus sit, & ad quacumque alia beneficia inhabilis efficiatur; & a suorum ordinum executione, etiam post factam satisfactionem integram, & post absolutionem, arbitrio sui ordinarij suspendatur. Quæ diligenter sunt attendenda Confessario in tantâ morum perueritate, quantam alicubi cupiditas malorum omnium radix inuexit.

Notandum est quartò, circa verba illa, *sine Romani Pontificis, vel aliorum ad illegitimam facultatem habentium expressa licentia*: eos tantum censeri facultate in huiusmodi legitimam habere, qui facultatem habet alienandi ipsas iurisdictiones, seu fructus, redditus, & proventus Ecclesiæ; siue sint talium rerum possessores, siue Prælati quorum iurisdictioni iidem possessores subiciantur. Usurpatio enim; quæ aufertur dominium; & sequestratio, quæ ipsum impeditur; rationem quandam habent alienationis. Itemque ad plenam intelligentiam exceptionis, quam eadem verba continent, explicanda essent quæ de eadem facultate tenere oportet. Sed ea coincidunt cum illis quæ tenenda sunt de obligatione non alienandi bona Ecclesiastica. Vnde ad vitandum repetitionis fastidium, illa hic omittimus, commodius tradenda in sequen. lib. 30. traç. 3. num. 61. & aliquot sequentibus.

Notandum est postremò: sequestrare nihil esse aliud quam rem aliquam de qua est inter duos controuersia, alicui certæ personæ causa securitatis custodiendam, aut etiam possidendam committere, donec certò constet, ad vtram ex litigantibus pertineat; ex lege *Sequester ff. de verborum signific. & ex lege Interesse puto De acquirenda possessione*. Atque sequestrationem aliquando esse voluntariam, vt cum fit ex conuentione partium: & aliquando necessariam, vt cum fit præcepto Iudicis: de qua hic agitur, *sicut & in lib. 2. Decretalium tit. 17. ac regulariter est illicita, tanquam iure prohibita*: quandoquidem ex præced. tit. 16. nihil est innouandum licet pendente: ita vt Iudex donec de causa cognouerit, debeat possessionem relinquere illi qui tempore litis cõpræ possidebat (iuxta cap. primum memorati tituli 17. ex quo glossa ad verbum *Sequestrari*, id colligit) & legem vnicam Cod. de prohibita sequestratione. Tres tamen sunt casus in quibus iure etiam Canonico sequestratio à Iudice fieri permittitur. Primus est, cum sequestratio fit puniendæ contumaciæ causâ; ex cap. 2. De dolo & contumacia. Secundus est, cum missus in possessionem dilapidat fructus ex receptos. Tunc enim iidem fructus sequestrandis sunt ex cap. 2. De sequestrat. possessionum & fructuum. Tertius est, cum quis ad restitutionem rei condemnatus appellauerit, & periculum est, ne ipse pendente appellatione consumat fructus ex re perceptos: tunc enim debebunt iidem fructus apud aliquem deponi; ex cap. finali eodem. tit.

Notanda circa decimam octavam excommunicationem.

SECTIO POSTERIOR.

375. **N**Oandum est primò, circa 18. excommunicationem, in iure antiquo varias haberi super illius materia Ecclesiasticas constitutiones. Primò enim per cap. Non minus, De immunitate Ecclesiarum, excommunicantur imponentes istiusmodi onera Ecclesiasticis personis, sine licentia Sedis Apostolicæ; nisi Episcopus, & Clerus tantam utilitatem, vel necessitatem conspexerint esse; vt ad vitandam releuandam, cum laicorum non suppetunt facultates: subsidia per Ecclesias existimant conferenda. A qua excommunicatione absolui non possunt, nisi post factam competentem satisfactionem.

Deinde in cap. Aduersus eod. tit. Inno. cen. 3. in generali Concilio Lateran. propter quorundam imprudentiam, sustulit prædictam exceptionem: volens ad fraudes vitandas, in casu quoque necessitatis & utilitatis communis, prius consulendum esse Romano Pontificem; cuius interest communibus utilitatibus providere. Et declarat, imponentes ea onera, memoratæ satisfactioni subiaci: etiam postquam fuerint à regimine a moti: successores item ipsorum excommunicationi subiacens, nisi satisfaciant intra mensem. Postea autem Bonifacius 8. in cap. Clericis De immunit. Ecclesiarum in 6. eam excommunicationem reseruauit Summo Pontifici, & extendit eam ad talia accipientes, tum, etiam ad dantes illis auxilium, consilium vel fauorem; quocumque modo accipiant; etiam si à donantibus immo & ad Ecclesiasticos talia onera subeuntes etiam sponte quouis titulo, modo, vel colore quaesito; ac demum communitates circa talia delinquentes, subiacit interdicto reseruato ipsi Summo Pontifici. Postea verò Benedictus 11. in Extrauaganti communi Quod olim De immunit. Ecclesiarum, declarauit, eandem Bonifacii constitutionem; illam restringendo quoad soluentes, & quoad recipientes à sponte soluentibus; ne penes in illa statuta habeant in eis locum. Clementis quinti portò in Clemen. vnica de immunit. Ecclesiarum, tam illam constitutionem Bonifacii, quam hanc declarationem Benedicti reuocauit: ac decreuit standum esse constitutionibus antè memoratis capituli Non minus & ca. Aduersus, quarum explicationem persequuntur D. Anton. 3. par. tit. 2. 4. cap. 26. Angelus Excommunicat. septimo casu 5. Tabien. Excommunicatio. 5. casu 8. Sylu. excommunic. nono, casu 5. Nauarr. in Enchir. cap. 27. num. 115. Postremò per hanc Bullæ clausulam eadem excommunicatione extendit denuo ad recipientes à sponte dantibus, innouanturque decreta per sacros Canones in Lateranensi & aliis generalibus Conciliis edita super hac re; cum censuris, & penis contentis in illis. De qua innovatione Toletus in expositione excommunicationis nonæ sub finem, monet per eam non innouari decretum Bonifacii octaui, quoad illius partem qua excommunicationi subiacit Clericos soluentes collectas, tallias, decimas, seu aliquotam suorum prouentuum portionem: sed tantum imponentes, vel accipientes, vel exigentes talia onera: quia inquit, nouo Canone non innouantur antiqui: nisi quoad illa quorum in ea facta est mentio. Nulla autem in hac Bullæ clausula mentio facta est soluentium siue sponte siue alio modo.

376. Notandum est secundò, quod bene aduertit à Vualdo in sua expositione huius Bullæ num. 117. & approbat Georgius Saurus in tomo 1. sui thesauri lib. 3. cap. 21. num. 10. Si custodes alicuius pontis, portus, vel fluminis; pedagium gabellas, aut alia onera petant ab Ecclesiasticis transeuntibus; vel Ecclesiastici ipsi transeuntes, sponte illis dent; non incurtere in hanc censuram: nisi talia onera essent ipsis quoque Ecclesiasticis imposta: quia in textu particula coniunctiua, cum dicitur imponunt, & diuersis etiam acquisitis modis exigunt: indicat ad hanc excommunicationem duo illa debere simul concurrere: nempe & quod prædicta onera sint Ecclesiasticis imposta, & quod ab ipsis exigantur, vel ab ipsis sponte dantibus recipiantur.

Notandum est 3. hinc nomine Clericorum non comprehenduntur Clericos primæ tonsuræ, aut etiam minorum ordinum, nisi beneficium Ecclesiasticum habeant, aut Clerica-

lem habitum, & tonsuram deferentes, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi seruiant, vel in seminatio Clericorum, aut in aliqua schola, vel vniuersitate de licentia Episcopi, quasi in via ad maiores ordines suscipiendos versentur. Id quod habetur ex Cond. Trident. sess. 23. cap. 6. de reformatione: vbi illi, his exceptis, priuantur priuilegio fori, quod varium est: & inter cetera comprehendit immunitatem ab illis de quibus agimus oneribus, prout habitum est in præced. cap. 24. notab. 3.

Notandum est 4. in hac clausula excommunicari, non tantum eos qui collectas, & alia onera imposuerint, exegerint, aut re ceperint ex bonis beneficiorum Ecclesiasticorum: sed etiam ex aliis bonis propriis Clericorum. Pro quo plures authores citat Georgius Saurus in præcedenti numero nono. Ipsumque colligitur ex verbis eiusdem clausulæ, ac eorum, & Ecclesiarum, monasteriorum & aliorum beneficiorum bonis: vbi dictio eorum distinguitur contra sequentes: ideoque ea intelligi non potest, nisi de patrimonialibus bonis & aliis, quæ ad Ecclesiam, monasterium, aut alia beneficia non pertinent. Sicque merito Syluester Excommunicatio 9. num. 46. (quidquid contradicatur Nauarr. in Enchir. cap. 27. num. 128.) censet excommunicationem laicam in cap. Quamquam. De censibus. in 6. contineri in Bulla Cœnæ. Ea enim absolute & generaliter ac sine restrictione fertur in eos qui contra decretum Alexandri 4. in cap. 1. de immunit. Ecclesiarum in 6. collectas, pedagia, & huiusmodi alia, pro personis Ecclesiasticis aut propriis ipsorum rebus, quas non causa negotiandi deserunt, vel deserere faciunt; per se vel per alios, suo nomine, vel alieno exegerint, vel easdem personas ad talia soluenda compulerint: non obstante quacumque consuetudine, quæ censenda est contra prela. Quæ constitutio innouatur in Clementina Præsenti De censibus: de eaque agunt præter Syluestrum & Nauarr. locis proxime citatis, alij quorum ante notabili primò meminimus D. quidem Antonius ca. 25. Angelus casu 23. & Tabiena casu 19. quibus adde Caiet. in verbo, Excommunicatio, cap. 39.

De eo autem notandum est 5. non facere mentionem recipientium à sponte dantibus, ideoque si à Bulla Cœnæ talis mentio remoueretur, fore vt censura non incurreretur à talibus, vt potest qui nullatenus cogunt ac verbum exigendi seu extorquendi, quo Papa vitatur in eod. cap. importet excommunicationem. vt Caiet. argumentatur. Quamquam vt idem addit, factis cogere censetur, qui Clericum requirit non rogando, sed tanquam à debitore petendo vt soluat: iubendoque vt arretentur res ipsius nisi parcat.

Notandum est 6. præter specialem & expressam Papæ licentiam, ab hac Bullæ censura excusare: tum casum extreme necessitatis, in qua maturè ad Papam recurri non potest, ex Panorm. ad cap. Non minus De immunit. Eccles. num. 19. tum casum in quo iniuria fieret proximo: numquam intendere, existimandus est S. Pontifex, ne existimetur velle peccare, & contra fas autoritate sua abuti. Qui casus quando contingat, iudicari poterit obseruatione sequentium notabilium.

Notandum est primò, nomine priorum bonorum Clerici, quæ eximuntur à gabellis, & cæteris oneribus realibus, comprehenduntur non modò bona laica quæ acquisierint Ecclesiæ: sed etiam bona ipsius patrimonialia, vt notat Panorm. ad cap. Ex literis Deuina & honest. Cleric. num. 4. per memoratum cap. Quamquam & Clemen. Præsenti de censibus Idemque repetit ad cap. Sanctum. eodem titulo in fine: & sequitur Felinus ad cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ De constitut. numero 7. Et certe nomine priorum bonorum Clerici, quorum prædicta iura expressam mentionem faciunt, comprehendunt ipsius patrimonialia, nihil est carnegetur, cum id nullatenus sit à ratione alienum. Sit autem æquitati naturali maximè consonum, vt Summus Pontifex Clericum tanquam diuinis ministerijs consecratum, ac Deo militantem, nec secularibus negotiis (iuxta Apostolum in posteriori ad Timoth. 2.) se implicentem, ita eximere à prædictis oneribus; vt ne quidem pro patrimonialibus, solucte ea teneatur: præsertim cum ipsa naturalis ratio dicat ad bonum rerum spiritualium cedere plurimum vt Ecclesiastici, quorum fieri potest, liberi sint à potestate laicorum, quos esse illis insectos semper obseruatum est ex cap. Laicos & ca. Laici 2. q. 7. & ex cap. Clericis De immunit.

munit. Eccles. in 6. Accedit quod res eo ipso quod sunt diuinis vñibus deputatæ separantur à seculari & profano vsu: vt calices cæteraque Ecclesiastica instrumenta, hoc ipso quod sunt benedicta. Cum igitur Clerici sint diuinis vñibus deputati & consecrati, consentaneum est vt eximantur ab vsibus oneribusque secularibus, vt quoad suas personas, sic & quoad suas res, tanquam comparatas ad sustentationem, vitæ & conseruationem ipsorum.

Porro tali priuilegio non gaudent Clerici negotiatores, per cap. Ex literis De vita & honest. Cleric. vbi glossa verbo *Suis familiaribus*, notat id esse ita intelligendum, vt non præiudicet Ecclesiæ facultatibus, quæ etiam Clerico negotiante ex illis (vt habet ibidem Panorm. num. 10.) retinent suum priuilegium; sed solum bonis propriis Clerici: idque pro eo tantummodo tempore quo se implicat negotiationi: prout contingit, ex eodem Panorm. ad idem cap. Ex literis numero 14. cum res emit, vt eas non mutatas iterum vendat: non item cum eas suâ curâ, industria, aut labore, mutatas vendit: nec cum res emit ad suos vsus, & eas postea vendit ob aliq̄ casum: nec etiam cum fructus sibi ex re sua prouenientes vendit: nullum enim horum est negotiatio, nec prohibetur Clerico. Adde ex eodem Panorm. in præcedent. num. 5. Clericum non perdere propositum priuilegium suarum facultatum, eo ipso quod negotiatur: nam ex memorato ca. Ex literis debet ter moneri à Superiore, & sic monitus, non desistere à negotiatione.

Notandum est 8. de bonis laicorum prius obligatis ad gabellas vel collectas soluendas; si deueniant ad Clericum vel ad Ecclesiam donatione aut alio contractu, dubium esse ad deueniant cum eadem obligatione. De quo dicendum videtur primò, Clericum, vel Ecclesiam teneri ad soluendas collectas præteritas quas laicus omisit soluere: quia in eo casu locum habet illud; quod res ad alium transeat cum suo onere, iuxta c. Pastoralis, & c. Cum non sit, de decimis, & c. Ex literis De pignorib.

Dicendum est secundò, quando res laicorum annexam habent expressè aliquam gabellam, vel collectam certam, & perpetuam acinuariabilem, si deueniant ad Clericum, vel Ecclesiam, manere subiectas eidem oneri: ita vt Clericus, vel Ecclesia in cuius venerunt possessionem, obligetur ad solutionem talium gabellarum, aut collectarum. Nam in hoc quoque casu locum habet illud; quod res ad alium transeat cum suo onere. Et confirmatur à simili: quia si res eon. sui, vel seruituti subiecta transeat ad Clericum, transit cum tali onere. Similiter si emphy. eusis aut feudum, vel res per hypothecam tacitam vel expressam obligata, deueniat ad Clericum, transit cum suo onere; argumento Clement. 1. De censibus. Quæ doctrina est Panorm. ad cap. Ex literis De vita & honestate Clericorum n. 12. & ad c. Sanctum, De censibus n. 8. in fine.

Dicendum tertio, si res laicorum oneratae sint gabellis, aut collectis, onere tantum indeterminato & variabili pro varietate temporum, & necessitate occurrentium: quale est impositionum, quæ communiter sunt occurrente aliqua publica necessitate: vt quisque pro quantitate suarum facultatum aliquid pendat: probabile esse exonerari cum perueniant ad Clericum vel Ecclesiam. Ita sentit Panorm. in cit. num. 12. vbi repudiatis aliorum Canonistarum sententiam hanc cum Ioanne de Lignano, Ioanne Andrea, & Archid. amplectitur. Rationem adferens, quod tale ius nequeat possessionibus annexum esse; cum non sit perpetuum sed variabile, & quandoque imponatur personæ, loco rerum.

Si quis in contrarium opponat cap. Si tributum 11. quæst. 1. & cap. Tributum 23. quæstio. 3. Respondendum est in illis agi de tributis quæ olim erant in vsu apud Romanos: ad quæ soluenda obligati sunt Clerici, auctoritate Imperatoria, per legem De his, Cod. De Episcopis & Clericis; cui cum pro tuenda pace, & quiete, nollet Ecclesia resistere, voluit vt res tributariæ ad ipsam translatae, manerent tributò obligatae, sicut antea. Vnde nihil contra propositam sententiam inde inferitur: quia tale onus erat reale hoc est, rebus ipsis seu possessionibus impositionum: perinde ac si ex communi consensu ciues sua prædia per hypothecam generalem, aut specialem obligassent pro collectis impositionum

imponendis, vt ad quemcumq; deueniant cum eo onere transeat. Id quod obiter aduerte non esse contra libertatem Ecclesiasticam; quia vnicuique licet rei sue imponere onus. Cui quod Ecclesia per eiusdem rei acquisitionem subiciatur, prouenit ex pacto proprio ipsius, seu ex contractu quo illam ipsam rem acquisiuit. non autem ex impositione laicorum.

Notandum est nono, quod post Panorm. ad cap. Non minus. De immunit. Ecclesiarum docent in verbo Immunitas 1. Angelus §. 37. & Sylva quæst. 5. dicto 4. Tabiena excommunic. 5. casu 18. num. 4. Clericos non teneri ad collectas quæ imponuntur causa publicæ necessitatis vel pietatis, nisi illos ea perinde ac laicos concernat; vt quando hostes grassantur, vastandum territorium ciuitatis, in quo Ecclesia multas habet possessiones: pro quo faciant dicenda in seq. lib. 13. num. 216. & aliquid seq.

Notandum est decimò, quod licet ab hac excommunicatione Bullæ iuxta præcedens notab. 2. excusentur exigentes à Clericis summam pecuniæ solitam solui à laicis; qui transeant per certam portam, vel pontem, vel certas res asportauerint, vel inuenerint, vel vendiderint, aut donauerint; non excusari tamen à peccato mortali, & ab excommunicatione iuris per textum expressum in cap. Quamquam De censibus in 6. vbi ratio peccati tangitur, quod talis exactio sit contra leges tum Canonicas: tum etiam ciuiles, quod patet ex lege Placet. Codic. De sacrosanctis Ecclesiis relata in cap. Generaliter, §. Placet. 16. quæstio. 1. Vnum est tamen ex Nauarr. in l. 3. consil. iij. De immunit. Ecclesiarum consilio 1. in fine, per quod prædicta exactio excusari potest: nempe fraus Clerici, qui de facto negotians, pactum expressum, aut tacitum cum alio dicitur, vt is quædam ad ipsam nomine donum mitteret, & ipse tantundem, aut etiam quid amplius eodem nomine remitteret, ne portorium debitum soluere compellatur, fraus enim, & dolus nulli patrocinari debent, ex cap. Sedes Apostolica, De rescriptis.

Iam verò quod iidem exigentes à tali peccato excusari non possint ratione consuetudinis, patet: quoniam ea verius est corruptela quam consuetudo, vt in eodem cap. Quamquam habetur. Et aperte sequitur, ex eo, quod ibidem quoque ponitur: quod Ecclesiæ Ecclesiasticæ personæ, ac res ipsarum non solum iure humano; sed etiam diuino sint à secularium personarum exactioibus immunes. Si enim id accipiamus sicut communiter Canonistæ (de quibus Couarr. in lib. 1. practic. quæstionum cap. 31. num. 1.) vt sensus sit eam immunitatem à Christo in Ecclesia institutam esse, res est clara; quia statutum diuinum quidquid agant homines, semper manet firmum & immutabile. Si verò ita accipiamus, vt sensus sit: constitutum quidem esse iure tantum humano (quod latè docent Couarr. in seq. num. 2. & Medina in Cod. De rebus restituendis qu. 15.) sed tamen conformiter iis quæ inueniuntur in sacris literis (quale est Genes. 47. quod Ioseph omnem terram Ægypti fecit tributariam Pharaoni, præter illam Sacerdotum: & 1. Esdra 7. Artaxerxes iussit ne à Leuitis & à Sacerdotibus tributum exigetur) tunc etiam talis consuetudo corruptela esse merito iudicatur: quia tollit Clericorum exemptionem ijs conformem quæ in literis sacris referuntur tanquam consentanea æquitati naturali. Neque ea, cum sit legibus Principum concessa, reuocari potest ab iisdem Principibus, & multo minus ab inferioribus; nisi consentiente non modo Papa sed etiam Ecclesiasticis quorum interest: cum ex reg. 29. iuris in 6. quod omnes tangit, debeat ab omnibus approbari. Et ratio est, quia donatum & acceptatum reuocari non potest, nisi de mutuo partium consensu: alioquin tolleretur fides humana quæ est fundamentum omnis iustitiæ, obligationis, & contractus inter homines.

Notandum est postremò ex Panorm. ad ca. Non minus De immunit. Ecclesiarum numero 18. Clericum in casibus in quibus dictum est ipsum obligari ad collectas aut pedagia, non posse conueniri coram Iudice seculari, nec ab illo compelli ad illas soluendas. Quod tamen verum est tantum cum tale onus annexum est personæ, & ideo ex rebus soluendum est ratione personæ; tunc enim sicut Clericus exemptus est secundum personam, ita quoque res illius sunt exemptæ. Cum verò tale onus annexum est rebus, vt sunt tributum, census, feudum, hypotheca, tunc Clerico nolente

soluere, executio fieri potest per Iudicem secularem: quia res ipsæ Clericorum non sunt ea ex parte exemptæ, iuxta antedicta in notab. 7.

CAPVT XXVI.

De duabus reliquis excommunicationibus Bulla Cœna Domini, qua feruntur his verbis.

19 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes & quoscumque Magistratus, & Iudices, Notarios, Scribas, Executores, Subexecutores, quomodolibet se interponentes in causis capitalibus seu criminalibus, contra personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiēdo, seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo sine speciali, specifica, & expressa huius Sanctæ Sedis Apostolicæ licentia. Quique eiusmodi licentiam ad personas & casus non expressos extendunt, vel alias illâ perperam abutuntur, etiam si talia committentes fuerint Consiliarij, Senatores, Præsidentes, Cancellarij, Vicecancellarij, aut quouis alio nomine nûcupati.

20. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se seu alios, directè vel indirectè sub quocumque titulo, vel colore, inuadere, destruere, occupare ac detinere præsumserint in totum vel in partem, Almam urbem, Regnum Siciliae, insulas Sardiniae, & Corsicae, terras citra Pharium, Patrimonium Beati Petri in Tuscia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venusinum, Sabinensem, Marchiam Anconitanam, Massæ Trebariarum, Romandiolam, Campaniam, & Maritimas Prouincias, illarumque terras, & loca, ac terras specialis commissionis Arnulforum, ciuitatesque nostras, Bononiam, Cæsenam, Ariminum, Beneuentum, Perusinum, Auentinonem, ciuitatem Castellum, Tudertum, Ferrariam, Comacium, & alias ciuitates, terras & loca, vel iura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictæque Romanæ Ecclesiæ mediatè vel immediatè subiecta: necnon supremam iurisdictionem in illis, nobis & eidem Romanæ Ecclesiæ competentem, de facto usurpare, perturbare, retinere, & vexare variis modis præsumunt, necnon adherentes, fautores, & defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel fauorem, quomodolibet præstantes.

SVM MARIVM.

383 Crimina ob quæ, & persone in quas fertur decimanona excommunicatio, quodque ea sit species quedam lata in ca. Si quis suadente Diabolo 17. q. 4.

384 Quid sit causa criminalis, quid processere, & quatenus istud liceat possit laico aduersus Clericum.

385 Personæ ad quas excommunicatio hæc extenditur, & casus in quibus ea illam non incurrunt processando, aut alia faciendo contra Clericum.

386 Ob quam causam, & in quas personas feratur vltima excommunicatio.

387 Que excusatio ab ea esse possit.

388 Explicatio difficultatis, de inuadentibus terras Papa, sine animo eas sibi usurpandi ac retinendi.

383. Sequitur 19. excommunicatio, in Iudices seculares, qui interponentes se in causis criminalibus contra personas Ecclesiasticas. Illius materia est sacrilegium quo libertas Ecclesiastica offenditur in causis criminalibus: Personæ quibus imponitur sunt omnes & quoscumque Magistratus, Notarij, Scribæ, Executores, & Subexecutores. Actio principalis propter quam imponitur est Interponere se in causis criminalibus contra personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiēdo, proferendo sententiam contra easdem, aut illam exequendo sine speciali, specifica, & expressa Apostolicæ Sedis licentia.

Notandum est primò, hanc excommunicationem fieri & præcedentem 11. censeri posse speciem quandam illius generalis quæ fertur in cap. Si quis suadente diab. 17. quæst. 4. proindeque dicta in eiusdem explicatione addita ad calcem libri primi antecedentis huic quoque loco seruire posse: restrictione facta ad personas exercentes iudicium seculare in causa criminali contra Ecclesiasticum à seculari foro exemptum, non modo iure Canonico, 11. quæst. 1. cap. 1. & aliquot sequent. sed etiam iure ciuili, vt in cap. Clerici De iudiciis

probat ex eo, quod Imperator dicat, quod leges non deigentur sacros Canones imitari: & ex eo quod in Authentica Statuimus Cod. De Episcopis & Clericis statuatur, vt nullus Ecclesiasticam personam in criminali quaestione vel ciuili, trahere ad Iudicem secularem præsumat contra constitutiones Imperiales, & Canonicas sanctiones, vbi etiam additur triplex pœna vti iam annotauimus in præcedent. num. 349.

Dicitur verò quaestio seu causa criminalis, prout in sua expositione à Graphijs lib. 4. decis. auctar. cap. 18. num. 134. tangit alij cit. quando agitur ad pœnam pro crimine applicandam fisco, nempe vt satis fiat iustitiæ vindictiue, exigenti in Rep. delicta puniri à Magistratu. Quando autem agitur ad pœnam applicandam parti: vt scilicet satis fiat iustitiæ commutatiue, exigenti vt cuique suum reddatur, dicitur quaestio seu causa ciuilis.

Notandum est secundò, ex eodem authore in sequ. num. 135. processare idem esse ac inquirere contra aliquem: in ordine ad prædictam pœnam fisco applicandam: ideoque illum qui de crimine aliquo Ecclesiastici, tantum accipit informationem, vt veritas facti cognoscatur, non incurrit in hanc censuram, quia id non est processare, nisi ulterius procedatur ad pœnam à seculari Iudice infligendam. Neque etiam incurrit ille qui secreto Ecclesiasticum processat animo præferendi processum Summo Pontifici, non autem officialibus regis: prout idem auth. ibidem notat. Et patet ex eo, quod hæc excommunicatio feratur ad protegendum Ecclesiasticos aduersus seculares Magistratus, volentes de eorum criminibus iudicia exercere.

Notandum est tertio, excommunicationem hanc generalem esse quoad personas: vt pote quæ extenditur ad omnes secularium iudiciorum Ministros, siue primarios, vt Magistratus & Iudices, etiam si fuerint Senatores, Præsidentes, Cancellarij, aut Vicecancellarij; siue secundarios vt Notarios & Scribas. Adde pariter alios qui eisdem Iudicibus cooperantur in exercendo iudicio, vt solent Aduocati, & Procuratores; horum enim par omnino ac illorum est ratio. Siue denique executores & subexecutores, quales sunt qui capiunt, ligant, trahunt ad laicorum criminali tribunal personas Ecclesiasticas, aut qui comitantur trahentes ad hos defendendos; qui ligant ad torturam, aut torquent, aut aliud eius generis faciunt.

Notandum est quarto, multos esse casus (quos ex Iulio Claro in praxi criminali consequenter à Graphijs loco citat. persequitur) in quibus hæc excommunicatio non incurritur processando aut aliud supradictorum faciendo. Primus est, cum Clericus criminofus, est realiter degradatus, aut depositus eo modo quo ex c. Cum non ab homine De iudiciis tradidimus in l. 1. n. 237. vbi vide.

Secundus casus est, cum quis tonsura tantum Clericali, aut minoribus ordinibus initiatus est, nisi beneficium Ecclesiasticum habeat, & habitum, ac tonsuram Clericalem deferens alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi inferuiat, aut in seminario Clericorum, aut in aliqua schola, vel vniuersitate, de licentia Episcopi quasi in via ad maiores ordines suscipiendos, versetur. Talis enim priuilegio fori non gaudet ex Conc. Trid. 23. cap. 6. De reform. Vnde intelligitur nullum Clericum coniugatum gaudere priuilegio fori, nisi ferens tonsuram & habitum Clericalem inferuiat alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi, sicque accipi debet cap. vnicum De Clericis coniugatis in 6. de quo multa Couar. in lib. practicarum quaestionum cap. 31. num. 6. & sequentibus. Habetur quoque ex eodem Concil. in præcedenti sess. 7. cap. 10. nullo priuilegio, præsertim in criminalibus, gaudere Clericum qui accipit minores ordines infra annum à morte sui Episcopi cum literis dimissorijs Capituli, vel alicuius qui locum Episcopi habet, nisi arctatus sit occasione beneficij accepti, vel accipiendi.

Tertius casus (de quo & sequentibus videnda sunt dicta lib. 1. cap. 18.) est cum Clericus se facit iaculatorem. Quartus, cum se miscet enormitatibus, Quintus, cum inuenitur in delicto flagranti. Sextus, cum Iudex laicus non iure proprio, sed de mandato Superioris Ecclesiastici interponit se in causa criminali Clerici, capiēdo ipsum ex cap. Vt summa De sent. excom. & ex cap. Si Clericos eod. tit. in 6. Et ratio patet, quia id

facit tantum vt minister Ecclesiæ, sicut faceret cætera, si causa in totum ei committeretur à Papa vt committi posse docet glossa ad caput Decernimus, De iudiciis, verbo Non presumans, non item ab Episcopo, nisi quod in causa pecuniaria, aut alia merè ciuili Clerici, possit laicum delegare cum deest Clericus idoneus; non tamen Iudicem ordinarium constituere: quod etiam attingit eadem glossa.

Septimus est, cum Clericus neque tonsurâ, neque vestitum genere quidquam præ se fert de Clericatu, nec tertio monitus ab Episcopo emendat se. Nam talis perdit priuilegium Clericale ex cap. Contingit 2. De sent. excommunic. Qua de te regimus in eodem cap. 18. Adde ex cap. Si iudex De sent. excommunic. in 6. si quis in tali statu captus, se Clericum dicat, retineri posse à laico donec constiterit de veritate, qua examinanda est coram Iudice Ecclesiastico; eaque comperta, criminofus statim remittendus est ad suum Ecclesiasticum Iudicem: sicut & cum notorium esset, aut publica fama ferretur, aut communi æstimatione iudicaretur ipsum esse Clericum. Hoc (de quo latè Lud. Molina de iust. & iure tract. 3. tom. disput. 49. à num. 4. ad 12.) Nauar. in Enchir. cap. 25. nu. 24. versu 14. tangit: simulque insinuat quod Clericus delictum notorium coram Iudice laico committens, possit ab eo capi: ita tamen vt infra tempus debitum ad suum Iudicem Ecclesiasticum remitti debeat.

Aduerte autem, quod et si iuxta Innoc. & Panorm. ad cap. De Apostatis, Clericus ex sola dimissione habitus, & tonsuræ Clericalis non perdat priuilegium fori: cum ad id requiratur adhuc trina monitio Episcopi, iuxta ante memoratum cap. Contingit tamen quoad Clericum primæ tonsuræ, aut minorum ordinum qui potest resilere, videri satis consentaneum rationi (vt & iuri in cap. finali §. Mandamus De vita & honestate Clericorum) illud quod in verbo Apostasia num. 1. indicat Syluester, ipsum absque huiusmodi monitione perdere tale priuilegium, si nullo modo velit viuere clericaliter. Id quod intelligitur non modò si ter monitus nolit respicere; sed adhuc, si contrahat, conueniat, & conueniatur, tallas, aliaque eius generis onera subeat & tanquam laicus ad bellum vadat, nunquam de Clericatu excipiens. Item si conuenit coram Iudice Ecclesiastico, excipiar de foro seculari: aut aliter in iudicio confiteatur se nolle Clericaliter viuere.

Octauus casus est, quando quis post crimen commissum effectus est Ecclesiasticus in fraudem, vt effageret forum seculari: tunc enim capi potest à Iudice seculari, non tamen puniri. De qua re legendus est Syluest. verbo Index i. numero 6.

Casus nonus addi potest ex Francisco à Victoria in relectione priore de potestate Ecclesiæ, sect. 7. propos. 8. quando Ecclesiastici impunè bacchantur in cædem laicorum, & Pontifices nollent adhibere remedium: tunc enim Principes possunt consulere suis ciuibus, non obstante priuilegio Clericorum: quia respublica ciuili cum sit perfecta & sibi sufficiens, potest propria autoritate se defendere, & seruare ab iniuria cuiuscumque, atque adeo ab iniuriis Clericorum. Quibus volentibus se tueri priuilegio quo gaudent iure tam ciuili, quam Canonico, obliçietur illud cap. Contingit 2. De sent. excomm. Priuilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate: ac frustra legis auxilium inuocat, qui committit in legem. Item quod ex cap. fin. De immunit. Ecclesiarum; ob hanc eamdem rationem, priuilegio a syli concessio Ecclesiis, & cæmiteriis non gaudeant illi qui se impunitatis delinquant in eis.

Quod attinet ad Vltimam excommunicationem Bullæ in occupantes bona, aut terras Ecclesiæ Romanæ, & in illis supremam iurisdictionem vsurpantes, contenti erimus pauca notare: illius materiam esse sacrilegium quo offenditur Ecclesia Romana per vsurpationem terrarum ipsius, ac iurisdictionem supremam ipsi competentem in iisdem terris. Item personas, in quas ea fertur, esse primò, omnes illos qui per se, aut per alios, directè sub quocumque titulo, vel colore: inuadere, destruere, occupare, ac detinere præsumperint in totum vel in partem vrbem Romanam, & alias ciuitates, terras, & loca, vel iura ad Romanam Ecclesiam pertinentia, eidemque mediatè, vel immediatè subiecta. Se-

cundò, omnes illos, qui vsurpare, perturbare, retinere, & vexare variis modis præsumunt supremam iurisdictionem: illis locis Summo Pontifici & Romanæ Ecclesiæ competentem. Tertio, omnes vtriusque illius generis personarum, fautores, seu auxilium, consilium & fauorem quomodo libet illis præstantes.

Aduerte autem iura Romanæ Ecclesiæ hic intelligi temporalia: nam iuribus spiritualibus sufficienter protulim est in præcedentibus. Item supremam iurisdictionem pari ratione intelligi de temporalibus.

Aduerte etiam quod habet Suarez in 3. partem tomo 5. disput. 27. num. 105. propositas actiones quacumque ratione fiant contra iustitiam, posse quidem sufficere ad hanc excommunicationem incurendam: sed tamen si bona fide & titulo iuxta doctorum hominum iudicium probabili, aliquid eiusmodi fiat: sicut tunc excusatio erit à culpa, ita etiam erit à censura. Pro quo facit doctrina Caietani in verbo excommunic. cap. 31. notab. 4. Aduerte demum Per hanc Bullæ clausulam sic Summo Pontificem prouidere suis iuribus, ne in eis detrimentum patiat, vt tamen nolius Principibus tollere, si quod in memoratis verè habeant: quia æquitas id non pateret; sed velit prohibere ne sibi vsurpent, quod adhibita diligentia, se non habere cognoscere possunt.

Difficultas autem esse potest, An cum in ciuitatibus Papæ sunt factiones, & altera factio extra existens inuadit hostiliter ciuitatem: duces, & milites talis factionis incurrit in hanc excommunicationem. De qua cum Caiet. & Nauar. Suarez loco cit. tenendum censet, quod incurrant. Et probatur: tum quia id est simpliciter inuadere ciuitatem hostiliter. Nec obstat quod id non fiat animo subtrahendi eam ex dominio, aut iurisdictione Papæ: quia vbi lex simpliciter prohibet, restrictio vt non licet, nisi ratio cogat. Tum quia huiusmodi inuasiones regulariter ac frequenter non fiunt, quin ciuitas saltem in parte destruat.

L A V S D E O.

LIBER SEXTVS, ET TOTIVS OPERIS DECIMVS.

DE RESTITVTIONE FACIENDA PROXIMO:
qua satisfactionis Sacramentalis
comes esse debet.

P R A E F A T I O.

DEVS Optimus Maximus, vt ad se & ad proximum amandum, sic & ad iniuriam sibi illatam, & ad illatam proximo resarciendam, vna eademque lege obligatos nos esse voluit: vnde pendet conuenientia illa inter satisfactionem Sacramentalem & restitutionem, cuius Sotus meminit lib. 4. De iust. & iure, quaest. 6. art. 1. quod vtraque sit debiti compensatio, facta alteri ad aequalitatem iustitiae: pendet item, quod vt tractatio de amore proximi, tractationi de amore Dei, sic tractatio de restitutione, superius instituta tractationi de satisfactione, apud (vt communiter fit à Theologis scholasticis in 4. distinct. 15.) adiungatur: etiam si se iungendi, vt plerumque fit ab aliis, sufficientem causam praebeant varia differentia, quibus illa dua compensationes multum inter se distare cognoscuntur: quales sunt primo, quod satisfactio Sacramentalis sit pars Sacramenti Penitentiae; & restitutio sit tantum praambulium ad

Kk 3

illud